BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
13 0
11

NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
55
4 K
21

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

12.17 f8.

THOMAE ERASTI
PHILOSOPHI ET MEDICI CELEBERRIMI, DISPVTATIONUM
num & Epiſtolarum Medicinalium volumen doctiſsimum.

NVNC RECENS IN LVCEM EDITVM, OPERA ET STVDIO THEOPHILI MADERI *Philoſophiæ ac Medicinæ doctoris, ac Phyſices in Academia Heydelbergenſi Profeſſoris ordinarij.*

Ex Legato D. Laurentij de Rubeis



TIGVRI
APVD IOANNEM VVOLPHIVM, TYPIS FROSCH. ANNO M.D.XCV.

NOBILITATE GENERIS, DOCTRINA, PIETATE,

PRVDENTIA, OMNIQVE LAVDIS GENERE

præſtantiſsimo viro, D. Adriano Borckio, Cameræ Imperialis Adſeſſori digniſsimo, Mecœnati ſuo inprimis obſeruando S.

SAEPENVMERO à me flagitarunt amici, Borki nobiliſsime, ut quę ex prælectionibus Medici clariſsimi, deq; Repub. literaria optimè meriti D. Thomæ Eraſti piæ memoriæ, hoſpitis olim noſtri, annis 12. quibus ipſum Heydelbergæ & Baſileæ docentem audiui, obſeruaſſem, & pro me notaſſem priuatim, cum Medicinæ ſtudioſis communicarem, atq; publicarem. Verum graues ob cauſas ipſorum hactenus petitioni locum non dandum exiſtimaui, inter quas hæc non eſt poſtrema, quòd notæ illæ multis in locis ſunt imperfectæ, nec ſatis elaboratę, ideoq; recognitione diligenti & emendatione egent. Interea cùm ſpes de notis euaneſceret, precibus apud me inſtiterunt, ut diſputationes ſaltem ipſius Medicas ſummo iudicio & accuratione conſcriptas ſiue editas ante hac, ſiue in lucem nondum emiſſas in gratiam Medicinæ & Philoſophiæ candidatorũ euulgarem. Quam ego prouinciam in me haud inuitus ſuſcepi, ac theſes collectas in unum uolumen congeſsi, quas quidem cõparare potui. Comparaui uerò, ſi non omnes, pleraſq; ſaltem, ut pauciſsimę deſiderentur. At licet mul-

tæ aliæ Eraſti nomine circumferantur, utpote ſub cuius pręſidio defenſę fuerunt, eas tamen, quia Eraſtum auctorem non agnoſcunt, ſciens & prudens prætermiſi. Ex earum genere ſunt hæ, & aliæ nonnullæ:

De febribus.
De febre peſtilentiali.
De febribus tertianis.
De febribus humoralibus.
De artis Medicæ definitione & diuiſione.
De animæ facultatibus.
De temperamentis, &c.
De curatione intemperiei.
Vtrum concocta ſolùm purganda ſint.
De ſudore.
De uertigine.
De lethargo.
De canitie.
De deſtillatione.
De catarrhis.
De pleuritide.
De lienteria.
De dolore colico.
De dyſenteria.
De hæmorrhoidibus.

Vnam tamen diſputationem de medicamentis purgantibus D. Sigiſmundi Melanthonis medici item celebris, & profeſſoris quondam in Schola Heidelbergenſi, theſibus Eraſtianis de occultis medicamentorum poteſtatibus, ob argumenti affinitatē, & quòd cum

cum ſententia Eraſti de pharmacis catharticis cõgrueret, adiunxi.

Cæterum quò maiorem etiam apud Medicinæ ſtudioſos inirem gratiam, Epiſtolas Eraſti Medicas, & eas, quibus theſes de ſaporibus, morbis totius ſubſtantiæ, de putredine, deq; contagio explicantur magis & defenduntur, & alias diuerſi argumenti adijcere uolui. Continent enim grauiſsimarum & obſcuriſsimarum in arte noſtra quæſtionum declarationem eruditam, ſolidam, & perſpicuam. In quarum collectione me non parum eſſe adiutum à matrona nobiliſsima ac lectiſsima uxore olim D. Eraſti, quæ poſt mortem mariti D. Iacobo Caſteluetrio ſeniori nupſit, & non ita pridem, ut ad nos relatum eſt, è uiuis exceſsit, lubens profiteor.

Quod ad ordinem in hoc uolumine obſeruatum attinet, quia præſertim in epiſtolis uix ullus potuit certus inſtitui, cum ſæpè una plures diuerſi argumenti quæſtiones tractet, ſecutus ferè ſum annorum numerum, quo exaratæ fuerunt, ac antiquiores priore loco collocaui.

Hunc uerò laborem tibi nobiliſsime Borcki inſcribere uolui, cum propter ipſius auctoris, cum quo arctiſsimum tibi amicitiæ uinculum interceſsit, gratam & iucundam memoriam, tum ob inſignem tuam eruditionem, humanitatem ſummam, uirtutes eximias, ueræ nobilitatis uera ornamenta, quæ tantum tui amorem & admirationem conciliarunt, ut animi mei obſeruantiam quibuſcunque poſſum modis te-

ſtatam facere, & eius publicum exſtare teſtimonium cupiam.

Huc accedit, quòd toto illo tempore quo eodem conuictu & menſa, eodemq́ contubernio ſumus uſi Heidelbergæ & Baſileę, te rerum naturalium contemplatione, & diſputationum philoſophicarum lectione mirificè delectari, nec ulla re magis, quàm ueritatis indagatione & cognitione affici animaduerti. Quocirca priſtina tua & ſolita beneuolentia fretus certo mihi perſuadeo, te munuſculum hoc chartaceum non aſpernaturum, ſed hilari uultu ſuſcepturum, quod ut facias, tuamq́ in nos præclaram uoluntatem porrò etiam conſerues, abs te etiam atq; etiam obnixè peto. Vale. Heidelbergæ. a. d. 3. Kal. Octob. anno reparatæ ſalutis CIↃ. IↃ. XCIV.

Qui te multum obſeruat

& colit

Theophilus Maderus.

IN THO-

IN THOMAM
ERASTVM
MED. D.

SI qua ſalus homini eſt, vllam ſperare ſalutem
A medicis, tu ſpes Thoma ſalutis eris.
At ſi fortè nefas aliquam ſperare ſalutem
A medicis, medico te ſine nulla ſalus.

S. D. G.

Calend. Febr.

Gabriel Gerberus.

THOMAE ERASTI MEDICI ET PHILOSOPHI CELEBERRIMI DISPVTATIONVM MEDICARVM LIBER.

DISPVTATIO PRIMA: RESPONDENTE *Heinrycho Smetio Aloſtenſe.*

De Conſtitutione hyemis præteritæ anni 1559.

INTEMPERIES *præſertim vehementiores, ac diuturniores anni temporum, morbos vulgares aliquando parere, aliquando non, certum eſt.*

2. *Vtrum autem futurum ſit, non ex arte aliqua diuinatrice, ſed ex ſola Medica, præcognoſcere boni Medici poterunt atque ſtudebunt.*

3. *Cognoſcent autem, cum ex alijs circumſtantijs, tum verò maximè ex conſideratione naturæ temporum (vt enim omnium non eſt natura eadem, ita corpora noſtra afficere eodem modo nequeunt) & ex eorundem inter ſe permutatione.*

4. *Fieri nanque poteſt, vt quæ præſens eſt aëris intemperies, non modò nihil obſit, ſed maximè quoque proſit, dum corpora à ſuperiorum temporum conſtitutione immutata, ad naturalem temperiem reuocat.*

5. *Vnde rectè prudenterque Hipp. non præſentem tantùm conſtitutionem inſpiciendam, ſed etiam ex quibus, & in quas permutatio facta ſit, conſiderandum monuit.*

6. *Hæc tametſi vera eſſe ſcimus, non temerè tamen metuere videmur, ne auſtrina hæc, pluuioſa, & tepida (hoc enim in aphoriſ. nomen* εὔδιος *ſignificat) totius hyemis conſtitutio morbos eos, quos Hipp. 3. aphor. 16. connumerat, illiſque ſimiles alios generet.*

7. *Maior nanque eſt, quam vt præcedentis æſtatis, ſimul & autumni ſiccitatem correxiſſe tantum, credi debeat.*

8. *Quare ſi veris conſtitutio, hyemis intemperiē nō corrigat, corporūque humiditatē cōſumat, multos grauesque morbos expectare oportebit.*

9. *Si præterea ver humiditatē augeat, æſtasque naturam ſuam ſeruet, malignæ putredines, et febres peſtilentes multis in locis naſcētur.*

10 *Quæ vbi Medicus fore præuiderit, eorum, quos à periculo præſeruare volet, corpora ſiccare, perſpirabilia reddere, excrementis, quæ per hyemis intemperiem collecta ſunt, omni ſtudio, atq; induſtria liberare debebit.* 1560. *in Scholis Medicis.*

DISPVTATIO II. RESPONDENTE *Sigiſmundo Melanchthone.*

De Tumoribus præter naturam.

TVmor, ait Galenus, διάστασις, ſpacium ſiue interuallum eſt ſecundum longitudinem, latitudinem & profunditatem.

2. *Alij corporibus ſecundum naturam, alij ſupra naturam, alij præter naturam inſunt.*

3. *Diſtinguuntur autem qui præter & ſupra naturam fiunt, cùm materia à qua excitantur, cùm multò magis naturæ intentione, vt vocant, ſiue propoſito & fine.*

4. *Qui præter naturam oriuntur, nec actionem aliquam ſenſibiliter lædunt, ſymptomata dicuntur.*

5. *Qui verò iam actionibus incommodant, & præter naturam ſunt, (nam & qui ſupra naturam ſunt, actiones quaſdam impedire interdum videntur) morbi rectè nominantur.*

6. *Definitio tumoris præter naturam, quæ dicitur eſſe affectus, ex triplici morborum genere conflatus ſiue concretus, ex intemperie, ex vitioſa compoſitione, & continui ſolutione, minimè bona eſt ac vera.*

7. *At quæ groſſitiem ſiue inflationem præter naturam actiones lædenẽ definit, vt parũ ſit Latina, damnari tamen ſententia nõ debet.*

8. *Nam & naturam rei exponit, & à Galeni ſententia, quam initio libri* XIII. *Meth. expreſſit, non diſſentit. Etenim* διάθεσιν *membrorum eſſe, quæ in magnitudine ſiue dimenſione præter naturam aucta cernatur, affirmat.*

9. *Ergo ſi rationẽ ſequi, tumorumq́; eſſentiã per ſeſe, & in abſtracto, vt vocant, contemplari volemus, ſimplices, hoc eſt, vnius generis morbos, ſcilicet inſtrumentales, (nam inſtrumentorum non ſimiliariũ partium, quatenus ſimilares ſunt, functiones impediunt) eſſe fatemur.*

10. *Hoc cum dicimus, non negamus in pleriſq; præter naturam tumoribus, vnà cum magnitudine membri adaucta, vel ſitum, vel figuram,*

rum, vel tale quippiam corrumpi: ſed intemperiem eos habere ſuæ eſſentiæ partem negamus.

11. De continui ſolutione quid ſtatuendum ſit, præſertim cum non ſenſu, ſed ratione æſtimanda fuerit, etſi minus liquet, idem nihilominus, quod de intemperie iam dictum eſt, ſtatuimus.

12. Cum verò de tumoribus, quatenus in ſubiecto corpore à certa aliqua ſubſtantia, ſine qua nec intelligi rectè, nec definiri aptè poſſunt, loquimur, aliter paulò rem habere dicimus.

13. Etenim cum ab humoribus (quos non quantitate ſolum, verum etiam qualitate ſubiectorum membrorum diſpoſitiones permutare notum eſt) excitantur, tunc membrum tali tumore affectum, morbo ex intemperie & tumore compoſito, laborare non neſcimus.

14. Cum autem vel à natura in prima formatione errante generantur, vel ab oſſea efficiuntur ſubſtantia, vel à flatuoſo ſpiritu in corpore collecto (qui nec frigidus nec calidus valdè ſit) producuntur, ſine intemperie ſæpenumero cernuntur.

15. Quæcunq; autem ſubſtantia tumorem præter naturam fecerit, eam tumoris cauſam continentem rectè appellari poſſe cenſemus.

16. Nam ea præſente, præſens eſt, eàdemq; abſente abeſt etiam tumor, qui ab ea efficiebatur, niſi in eius abeuntis locum aliud quiddam ſuccedat, quod ſimiliter diſtendere, aut iam antè factam diſtentionem conſeruare queat.

DISPVTATIO III. RESPONDENTE *Sigiſmundo Melanchthone.*

De Humoribus.

HVmores omnes in humano corpore geniti inter ſe præcipuè differunt materia ex qua fiunt, forma, efficiente, & fine.

2. Materiæ varietas vel in tota ſubſtantia, vel in qualitatibus conſideratur.

3. Formarum diſcrimina, tametſi à priore, vt vocant, cognoſci nequeunt, à poſteriori tamen percipi à nobis poſſunt.

4. Efficientis diuerſitas in tribus coctionū diſtinctis ſedibus, ventriculo, epate, & cæteris partibus, manifeſtè conſpicitur.

5. Fine differunt humores, quòd alij vtiles ſunt, alij non: quorum vtrunq; aut à tota humorum ſubſtantia, aut à ſolis qualitatibus, idq; vel mediatè vel immediatè, proficiſcitur.

6 *In ventriculo, vt humorum ſecundum naturam exemplo vtanur, generantur chylus τρόφιμος, faeces inutiles, & viſcidus quidam humor ventriculo & inteſtinis oblinendis conueniens.*

7. *In epate ſanguinis chymus, tota ſubſtantia ad corporis & ſpirituū reſtauratione vtilis: praeterea tres excrementorū ſpecies, quae tamē et ipſae quae ſuis qualitatibus quaſdā corpori cōmoditates adferunt.*

8. *Bilis enim ad irritandam vim expultricem inteſtinorum, eorumq́ abſterſionem, amaritudine: melancholica faex ad ventriculum roborandum & acuendam appetentiam, acerbo ſapore: ſeroſa ſuperfluitas ad meliorem ſanguinis diſtributionem & meatuum ablutionem ſua aquoſitate confert.*

9. *Sed maſſa ſanguinea tota eſt apta nutriendo corpori, tametſi ex quatuor diuerſis partibus ſit conflata: quarum vna ſanguis, duae ὁμώνυμοι prioribus excrementis, bilis & ſuccus melancholicus, quarta pituita & phlegma vocatur.*

10. *In tertia coctione non minor eſt varietas. Nam praeter οἰκείαν τροφὴν ſingularum partiū, & inutilia excrementa, gignuntur etiam ſuperfluitates quaedam vtiles, non quidem ad nutritionem, ſed ad alios vſus. Tale eſt ſemen, lac, &c.*

DISPVTATIO IV. RESPONDENTE *M. Hieronymo Nigro.*

De Saporibus.

NAturae ac generationis Saporum notitia, ad cognoſcendas medicamentorum facultates, multò quidem, quā odorum, (quanquam penè ſimilis vtrorumq́ generationis modus videatur) vtilior, non tamen neceſſaria prorſus exiſtit.

2. *Etenim temperamenti proprietates conſequi credimus, non à forma ſubſtantiae effectrice, abſq́ medio temperamento, in ſubiectis rebus fieri opinamur.*

3. *Quare qui nouit cuius temperamenti ſoboles ſit vnuſquiſq́ ſapor, is probè medicamenti alicuius ſapore percepto, rectè de eiuſdem temperamento, quoad eius homini licet, iudicabit.*

4. *Inde exorſus, facultates omnes minimo cū labore inueniet, quas tumuis experientiam ipſius nullam fecerit, nec vires eius aliunde perdidicerit.*

5. *Quod*

5. *Quod ita verum eſſe intelligimus, ſi quod ſapore certo praditum eſt medicamentum, non ſit ex diſſimilis naturæ partibus conflatum, nec occulta poteſtate agat, ſiue à tota Medicis vocata ſubſtantia vires ſuas obtineat.*

6. *Tales etenim facultates, nec per ſapores, nec aliam rationem, ſed ſolam experientiam ſubiectis rebus inexiſtere deprehenduntur.*

7. *Porrò ſapor non eſt aliud, quàm πάθος, affectióue in humido à ſicco per actionem caloris ea miſcentis & concoquentis orta, poteſtatem obtinens guſtatum mouendi.*

8. *Species eorum vſitatas ſeptem ponimus, Acerbum, Auſterum, Acidum, Dulcem, Salſum, Amarum, Acrem. Si quis plures bono conſilio numerare, vel aliter eoſdem recenſere malit: huius nos factum haud temerè vituperauerimus.*

9. *Tres priores à calore deficiente, ſeu frigore vincente (pro eodem hoc in loco iſta ponimus) Tres verò poſteriores, à calore excedente: Medium, hoc eſt, dulcem à temperato calore generari aſſerimus.*

10. *Extremos cum Galeno Acerbum & Acrem ſtatuimus. Qua in re Ariſtotelis ſententia, Dulcem & Amarum extremos ponenti, nos minimè aduerſari putamus.*

11. *Nos etenim, quoad ex primis effectricibus qualitatibus generantur, & ad medicamentorum facultates vſum præbent, conſideramus. Ariſtoteles verò non hoc pacto, ſed quoad nutriunt, conſiderauit, in quo Galenum quoq; habet conſentientem.*

12. *Et amarum quidem ſaporem à ſolo calore ſiccum terreum perurente, ſecus quàm Auerroës (& qui ſententiam eius probant) opinatus fuerit generari, certioribus perſuaſi rationibus, credimus.*

13. *Dulcem quoq; à calore temperato ſemper gigni cenſemus, etiamſi dulcia quædam refrigerare non negemus.*

DISPVTATIO V. RESPONDENTE *M. Simone Grynæo.*

An occultæ medicamentorum, in quorum numero & cibos ponimus, poteſtates, methodo inueſtigari poſsint, vel per ſolam experientiam in ſubiectis rebus deprehendere & obſeruare neceſſe habeamus.

OCcultam vocamus poteſtatem, vim in rebus inſitam, cuius effectum quidem cernimus, naturam verò, cuiuſmodi ea ſit, animo & intelligentia comprehendere non ſatis quimus.

2. *De talibus rerum abditis facultatibus, doctos non idem omninò ſenſiſſe conſtat.*

3. *Sed nec eandem eſſe omnium talium virium in rebus naturalibus rationem, certum eſt.*

5. *Aliæ namq; totam ſequuntur ſpeciem, vnde ſpecificæ rectè ſunt appellatæ. Aliæ verò in certis ſolummodo, non in omnibus ſpeciei, indiuiduis inſunt, quales ἰδιοσυγκρασίας Galenus nominat. Sanè omnis Struthio ferrum conficit, Omnis Magnes genuinus, ferrum ad ſe attrahit, Omnis Torpedo, ſe tangentibus torporem adfert. Omne perfectum Rhabarbarum, bilem purgat. Sed non ſic in hominibus (loquor de notis & apertis, non obſcuris & incognitis proprietatibus) res ſe habet. Aliqui ab optimis tum cibis tum odoribus læduntur, à quibus cæteri omnes iucundiſſimè afficiuntur. Adferunt aliquibus feles animi deliquium, qui compluribus alijs gratiſſimi ſunt. Ederunt aliqui medicamenta purgantia ſumma cum voluptate, & ſine omni noxa, quorum vel odor ſolus nonnullos alios ſtrenuè purgare ſolet. Et quod amplius eſt, in eodem indiuiduo aliquando vno tempore inſunt, alio tempore non inſunt. Sæpe quæ adoleſcentes delectabant, ſenibus exitioſa facta ſunt.*

5. *Diſcrimen etiam aliud reperitur earum, nempe quòd aliæ tantiſper dum viuunt, vim ſeu efficientiam hanc ſolùm poſſident, aliæ mortuæ eaſdem ſeruant. Quin imò partes harum vel per coctionem, vel per diſtillationem (vt vocant) ſecretæ, vt aquæ, olea, ſucci &c. plerunq; eaſdem vires integras obtinent, quas in totis ineſſe ſciebamus. Struthio viuus ferrum percoquit, mortui ventriculus tale nihil poteſt. Magnes in tenuiſſimum puluerem tritus, virtutem ſuam perdit. Torpedo mortua ſine offenſa tangitur, editur, quæ cùm viueret, ſine noxa tangi nequiret. Rhabarbarum viuum & mortuum in puluerem redactum, & quouis modo alio apparatũ, potentiam ſuam retinet, bilemq; expurgat. Ratio eadem eſt aliorum purgantium, imò aliorum medicamentorum propè omnium.*

6. *Ex prædictis videmur nobis rectè concluſuri, duo eſſe harum*

poten-

potentiarum genera diuerſa, quorum alterum vel eſt ipſamet forma ſubſtantialis (ſiue anima in animatis (vel qualitas hanc ita conſequens, vt humanam animam comitatur riſibilitas. Alterum verò, (quod ferè ſolum in medicamentis conſideratur. Rarò enim viuentibus rebus vtimur, vt medicamentis) διάθεσις quadam eſt in temperamenti peculiari proprietate conſiſtens.

7. Oritur hæc temperamenti qualitas, non ex ſolis quatuor effectricibus qualitatibus, certa inter ſe proportione mixtis, ſed ex multorum potius temperamentorum (Sic perſpicuitatis gratia voco) certa in rebus coitione vel mixtione. Quippe plantæ non ex elementis primo ad mixtionem coëuntibus, ſed ex antea mixtis corporibus conflantur, ſicut exemplo, cùm aliarum rerum plurimarum, tùm verò lactis luculentè docemur.

8. Ergo prioris generis occultæ proprietates, Methodo perueſtigari tàm non poſſunt, quàm non poteſt forma ſubſtantialis eadem inueniri, & qualis ſit, plenè cognoſci.

9. Poſterioris autem generis poteſtates, videntur quidem ſcrutabiles rationi magis eſſe. At hîc tanta etiam eſt difficultas & obſcuritas, vt non immeritò has quoq; ſola experientia deprehendi, affirmatum putemus.

10. Si quid hîc poteſt ratio, μόνον ὑπόνοιαν τινὰ πιθανὴν, eamque non in omnibus, ſed in quibuſdam ſolùm, locum habere, cum Galeno credimus.

11. Sic ex ſapore & odore, cùm de medicamentis quibuſdam purgantibus, tùm de nonnullis alimentis aliquid iudicare, quanquam obſcurè admodum, poſſumus.

12. Quocirca non contradicit ſibi Galenus, cùm ſapores & odores vtiles ad ciborum cognitionem aſſerit, & cùm eoſdem ſola experientia cognoſci contendit.

13. Concludimus ergo, perfectam harum facultatum notitiam, ratione perueſtigari non poſſe, ſed per ſolam experientiam, vtrum inſint in rebus tales virtutes, an non inſint, & quid in res quaslibet agere poſſint, vel non poſſint, perdiſcendum nobis eſſe.

DISPVTATIO VI. PRAESIDE D. D. SIGISmundo *Melanchthone, reſpondēte Pet. Turnero Anglo.*

De purgantibus medicamentis.

MEdicamentum purgans triplici ſignificatione vſurpari con ſueuit.

2. Primùm, generali & lata, pro omni medicamento quod corpus noſtrum ab excrementis quouis modo liberare poteſt. Quo ſignificato, quæcunq; alui fæces, vrinam, ſudores mouere, aut per quamcunq; partem vacuare poſſunt, ita appellare licet.

3. Secundò, magis contracta, pro eo quod aluum duntaxat, vel vomitum ciere poteſt.

4. Atq; huc pertinent (præter ea, quæ tertio ſignificato dicentur) quæcunq;, vel comprimendo, vel laxando, molliendóue, ventris excretionem promouent.

5. Priora quidem, quæ vel adſtrictione contrahendo, vel mole premendo, alui fæces excludunt, poſt alios cibos ingeſta, id potiſſimùm præſtant. Talia ſunt, Cotonea, Meſpyla, Corna.

6. Sed quæ humiditate lubricante emolliunt fæces duras, aut internam inteſtinorum ſuperficiem leuigant, alijs cibis præmiſſa magis laxant. Vt muccago althææ, Fænugræci, oleum dulce, Butyrum.

7. Supereſt tertia ſignificatio maximè propria, qua medicamentum purgans appellamus, quod per ſe vim habet aluum perturbandi. Cuiuſmodi verò hæc vis ſit, & in quo conſiſtat, cùm diuerſæ ſint multorum ſententiæ, noſtram diſcendi cauſa in medium proponemus.

8. Nempe, cùm oculos diligenter circumferimus per omnes euacuationes, quas natura molitur in ſanis & ægrotis, tam ſponte, quàm medicamentis adiuta, vnum in his omnibus communem reperimus modum, facultatis expultricis irritationem.

9. Quoniam verò expultrix virtus, non niſi à moleſtis, ingratis & noxijs incitatur: ſequitur omnia per ſe purgantia medicamenta, moleſta aliqua & aduerſa qualitate pollere, quæ illam ſuſcitare, mouereq; poſſit,

10. Quanquam enim & quantitas immodica aſſumtorum, naturam offendere, & ſtimulare ad expulſionem queat: hoc tamen modo offendentia tantum abeſt, vt purgantia propriè ſint, vt ne medicamenta quidem dici mereantur.

11. Vt

11. *Vt porrò purgatricis iſtius virtutis natura planior ſit, tres eius gradus in præſentia conſtituere libet.*

12. *Primum, eorum, quæ minus graui & horrida qualitate nobis aduerſante pollent: qualia ſunt, quæ vulgò benedicta appellantur, vt Manna, Caßia fiſtularis, Aloë, Rhabarbarum, Poliphodium, Sena, Myrobalani, Terebinthina.*

13. *Secundum, quibus magis violenta & hoſtilis ineſt qualitas: quo in ordine ponimus Colocynthidem, Scammoneum, Euphorbium, Elleborum, Eſulam, Cyclaminum, Laureolam, &c.*

14. *Tertius eſt, prorſus venenata & maligna qualitate noſtro corpori aduerſantium, veluti eſt vitrum antimonij, Mercurius præcipitatus, & ſimilia.*

15. *Cùm igitur dictis omnibus commune ſit, vt graui ac moleſta qualitate naturam noſtram ſtimulante, purgent: non iudicamus ita latentem atq; occultam huius facultatis eſſe rationem, quin ex temperamenti & materiæ qualitatibus, naturæq; noſtræ ſympatheia cognoſci, & tanquam per nebulam videri poßit.*

16. *Etſi enim non in omnibus æquè conſpicua & manifeſta eſt (ſicut nec temperamentorum proprietates exactè nouimus) videtur tamen non ineptè ad vnam ex tribus referri poſſe, ſcilicet vel amaritudinem abſtergentem, vel acrimoniam mordentem ac vellicantem, vel qualitatem fœdam & viroſam corpus turbantem.*

17. *Et hæc quidem inimica & nauſeoſa qualitas, tametſi nomine certo careat, rarò guſtatum & olfactum noſtrum latet. Quod ſi penitius infixa & tecta eſt, quàm vt confeſtim ſeſe prodat, diligenti tamen exploratione adhibita, vix in vllo deeſſe huius indicia & notas deprehendes. Ita enim antimonium fuſum & liquatum, oua barbi piſcis ſiccata, multa medicamenta decocta, odore tetro & abominando vim ſuam produnt, alioquin nihil ingrati præ ſe ferentia.*

18. *Ac amaritudinis & acrimoniæ natura, quin ex temperamento proueniat, neminem dubitare cenſemus.*

19. *Sed & tertiam iſtam inimicam naturæ qualitatem, ſoli temperamentorum, & materiæ propinquæ proprietati acceptam, referimus.*

20. *Idq́, Galeno minimè aduerſari arbitramur, toti ſubſtantiæ vim purgatricem adſcribenti.*

21. *Iuuatur autem & augetur vis purgatrix, partim qualitatum prædictarum intentione ac magnitudine: partim plurium ex illis concurſu: partim aliarum qualitatum acceſſione, ſicut eſt humiditas emolliens ac lubricans, calor liquans, fundens, aperiens.*

22. *Quare mirum non eſt, ſi pro iſtorum varietate naturæ, modo vnum, modò alium humorem facilius ac liberius deijciat.*

23. *Sed quod vi attrahente medicamenta purgent, præſertim certum & ſpecialem humorem, multis rationibus compulſi negamus.*

24. *Quod cùm alij ſtatuiſſent, nec aliter probare ſententiam potuiſſent, non ſine errore ad occultas formæ ſubſtantialis proprietates, atq́; abditam cum educendo humore ſimilitudinem, vel ad cæleſtem influxum, confugere coacti ſunt.*

25. *His miſſis, non tamen volumus, cuiuis humori expurgando, quoduis medicamentum indifferenter competere: ſed potius diſcrimen hactenus ab omnibus eruditis & probatis medicis obſeruatum, tanquam experientiæ & ſupradictis rationibus conſentaneum, ſanctè & diligenter imitandum conſulimus. Quippe non in eo quod ſit, ſed in cauſarum aſſignatione ab alijs diſſentimus.*

DISPVTATIO VII. RESPONDENTE
M. Simone Grynaeo.

De Dentibus.

Partes eæ, quas Græci ὀδόντας, Latini dentes (quaſi edentes dicere voluerint, nominant, ſunt inſtrumenta à natura in homine ad communem vſum, nempe ciborum confectionem, præcipuè facta.

2. *Etenim ad concinnam ſermonis prolationem & conformationem, non omnes, ſed anteriores ſiue priores tantùm conferunt, teſtibus Ariſtotele, Galeno, & alijs.*

3. *Porrò inter oſſa eos cum Galeno ponimus, licet ortu, incremento, ſenſu, duritie, (vt qui ſint inuicti ignibus, teſte Plinio, atque alia*

alia oſſa frangant) plurimum ab alijs oſsibus differre pleriſque videntur.

4. Et de incremento quidem atque duritie non admodum inter ſe pugnant authores, licet ita potius in adultis augeri videantur, quemadmodum vngues augentur, quàm vera auctione. De ortu quoq; eorum aliquid eſt controuerſiæ. De ſenſu etiam olim lis fuit, vt ex ſequentibus liquebit.

5 Affectiones patiuntur dentes varias: inflammationi quid ſimile: maciem ſiue tabem: eroſionem: coloris mutationem: ſtuporem, quem Hæmodiam Græci vocant, dentium maximè peculiare ſymptoma: tumores: & præterea acerbiſsimos dolores.

6. Ac primorum quidem affectuum ratio admodum eſt euidens. Cùm enim nutriri ſiue ali eos conſtet, neceſſariò redundantiæ & inopiæ morbis ſubijciantur. Ad hos cùm inflammatio & tabes quodammodo pertineant, non eſt mirum tale quid, ſicut & coloris quoq; mutationes, ipſis nonnunquam accidere.

7. Eroduntur autem tunc, cùm humor acris & tenuis, ſiue ſit ſua ſponte talis, ſiue per putredinem ſit redditus talis, in ipſis inhæret diutius.

8. Stuporem ſiue αἱμωδίαν ab acidis rebus & acerbis prouenire? (de eo qui ex ſtridore ſiue auditu oritur, hîc non loquimur) nullus ferè ex idiotis non eſt aliquando expertus.

9. De tumoribus ſiue nodis dentium haud ſcio, an præter Hippocratem quiſquam ſcriptum aliquid reliquerit. Interim nõ neſcimus Haly atq; alios quoſdam aliter Hippocratis verba exponere.

10. De ſenſu ſiue dolore dentium, longè maior inter præſtantiſsimos viros olim quoque diſſenſio fuit. Quippe aliqui opinati ſunt, ipſos ſenſu prorſus deſtitui, quòd oſſa ſint: quòd duriore & craſsiore ſubſtantia conſtent, quàm oſſa alia: quòd rumpantur abſque ſenſu: quòd citra dolorem notatu dignum lima atterantur: terebro perforentur: igne vrantur. His videtur Hippocrates etiam ſubſcribere, qui dentes tum dicit dolere, cùm pituita ſub radices eorum ſubierit.

11. Alij verò, inter quos eſt Galenus noſter, eos exactè admodum ſentire, adeoque non tactiles ſolùm qualitates, verùm etiam ſa-

porum diſcrimina percipere aſſerunt, nimirum propter molles neruos à tertia cerebri neruorum coniugatione in ſingulos diſtributos.

12. *Aretæi ſententiam, qui propter ingenitum calorem eos viuere ac ſentire putauit, haud multi poſſunt probare, niſi commodè aliquis interpretetur. Non concedimus enim Aretæo, partem aliquam animalis ſentire abſq; facultate ſentiendi, per neruos in ipſam delata. Quoniam ipſa etiam caro, ſicut & cæteræ omnes partes, non dicuntur ideò ſentire, quia ſine neruis ſentiant, ſed ob eam potius cauſam, quòd facultate per neruos ſentiendi àccepta, habiles & idoneæ ſunt ad ſentiendum, qualiſcunq; ſingulorum calor inſitus eſſe putetur,*

13. *Qui cum Galeno ſentiunt, rationes ſententiæ ſuæ adferunt non parum probabiles, nempe dentes eroſos facilius percipere ſapores: attritos in ſenibus, ſi ſtilo in medio pungantur, dolorem percipere. Molles neruos non incaſſum à natura ſingulis datos eſſe, qui aliàs ſolis illis partibus dati cernantur, quæ exactiſſimo ſenſu eguerunt. Non minus poſſe animales ſpiritus per dentium ſubſtantiam diſtribui: imò longè facilius hoc fieri, quàm ſanguinem à quo eos per omnem ferè ætatem nutriri & augeri conſtet. Exercitatos ſenſus, quorũ ſit de ſenſilibus iudicare, docere ipſum dentis corpus aliquando doluiſſe, nec alio firmamento hîc opus eſſe.*

14. *Nos, vt ſentire dolereq; dentis ſubſtantiam, interiorem præſertim, quam dura & lapidea pars exterior inſtar ferè corticis tegit, non inficiamur: ita ſenſum abſq; adminiculo rationis certò iudicare poſſe non putamus, vtrũ membrana, an neruus, an dentis corpus præcipuè doleat. Etenim doloris imago ſic confuſa plerumq; eſt, vt dente aliquo vno dolente, proximus dolere putetur. Non ſemel contigit ſanè, vt bono atq; integro euulſo, putris, eroſus ac dolens remanſerit, dolore propter euulſum remiſſiore facto.*

15. *Eſt autem hæc ratio certiſſima, cùm natura nihil faciat fruſtra, & ſenſus omnibus partibus per neruos infundatur, partes eas omnes ſentire, in quas neruos inſeruit, præſertim verò molles. Hos enim non motus, ſed ſolius ſenſus cauſa, partibus eam tribuere, confeſſum eſt cunctis.*

16. *Quod cùm dicimus, non probamus illorum mox opinionem, qui ſenſum ita ſolis neruis adſcribunt, vt ipſos ſolos ſentire affirment,*

partes,

partes, in quas diſtribuuntur, ſentire negent.

17. Nos enim partes ita à natura temperatas eſſe dicimus, vt ſentientis facultatis per neruos communicatæ participes factæ, pro ſua natura ſingulæ ſentiant. Hinc euenire arbitramur, vt non ſimiliter omnes partes ſentiant: quo etiam factum eſt, vt αἱμωδίαν ſoli dentes patiantur.

18. Vtrum autem in radices dentium ſingulorum ſinguli inſerantur nerui, ex corporis ſectione perſpicuum fieri poteſt.

19. Quocirca inefficax eſt ea ratio, qua dicuntur dentes non ſentire: quia oſſa ſint. Nam ſi oſſa cætera non ſentiunt. (De qua re non ſine cauſa multi ambigunt. Quin & Galenus in libro de multitudine cap. 4. concedere videtur, aliqua ex oſſibus ſentire dolereue) ideo non ſentiunt: quia neruos, præſertim molles, nullos in ſuam ſubſtantiam diſperſos habent.

20. Rationes aliæ non minus diluuntur facilè. Etenim pars, quæ nuda extra gingiuas egreſſa cernitur, in adultis durior facta eſt quàm vt multum ſentiat: ſiquidem nulla adſit eroſio, & pars humilior, quæ membranulis & gingiuarum carne cingitur, non lædatur, & deniq; intra dentis cauitatem, quæ in adultis non perinde vt in pueris conſpicua eſt, nihil noxij penetrauerit.

21. De pulſu in dentium inflammatione, aut affectu huic analogo, difficultas quoq; aliqua eſſe videtur, quemadmodum & de doloris eorum cauſa. At eæ tantæ non ſunt, vt propterea vera de ſenſu dentium ſententia abijci debeat. Etenim explicari probabiliter ſaltem, hæ quoq; poſſunt.

DISPVTATIO IIX. RESPONDENTE *M. Petro Turnero Anglo.*

De Renum calculis.

QVanquam in omnibus humani corporis partibus, earundemq; particulis, in quibus humor craſſus & lentus colligi aſſariq; poteſt, lapides ſeu calculi generari etiam poßint: frequentiſſimè tamen in renibus & veſica eos concreſcere videmus,

propterea quòd in parte alia nulla tam ſæpè & tam facilè cauſæ generationis eorum concurrunt.

2. Nam aut materia non ſuppetit idonea, aut nō retinetur ſatis longo tempore, aut non ſic coquitur à calore, vt tenuioribus partibus ſolutis cogat & induret cæteras: quorum ſi aliquid deſit, calculus generari nullus vel in his vel in alijs partibus corporis noſtri poterit.

3. Etſi verò lapides non à calore ſolùm, ſed etiam à frigore concreſcere non neſcimus, in homine tamen viuo frigus tantum eſſe non credimus, vt ab eo craſſus ſuccus in lapidem indurari queat.

4. Efficientem verò calculorū in corporibus noſtris natorū cauſam ſtatuimus calorem, manifeſtum quidem, nō tamen dicimus hunc ſemper & neceſſariò vehementē & intenſum requiri. Etenim à mediocre etiā calore aptā materiā, ſiquidē vel propter lentorem tenacius adhæreſcat, vel propter loci anguſtiam exitum non facilè inueniat, percoqui, inq; calculum verti certum eſt.

5. Porrò materia calculorū apta, eſt omnis humor craſſus et lētus, qualis cùm plerūq; ſit humor pituitoſus, vt plurimū ex hoc calculi generantur. Etenim qui omni lentore caret, in ſpiritū poti⁹ ſoluitur à calore, aut certè in ſabulum ſiue arenam vertitur, vt cuius partes nullo glutine cohæreant.

6. Quamobrē nō diſſentiūt à nobis illi, qui ex arenulis coactis calculū cōcreſcere exiſtimāt. Etenim præter arenulas ponere ipſi quoq; humorem aliquē coguntur, qui inſtar viſci cuiuſdā arenas illas cōglutinet.

7. Idem quoq; Hippocrates docuit in lib. 4. de morbis circa finem. Nec aliud ſentit in lib. de aëre, aquis & locis, cùm de aqua ex niue & glacie ſolutis nata diſſeruit.

8. Ex dictis poterit intelligi, primū quidē, cur nō omnes calculo affligantur, qui arenā in matula ſubſidentē aliquando habēt ſatis multā, cū nōnulli alij, in quorū vrinis (illis p̄ſertim tēporib⁹, quib⁹ actu nō laborāt) pauciores arenæ tales apparēt, grauiſſimè hoc morbo crucietur.

9. Secundo qua ratione non modo prohiberi generatio eorum, verumetiam quomodo iam generati comminui & frangi debeant.

10. Etenim cùm præſeruare nihil aliud ſit, quàm generationis cauſas fugere, danda erit opera, vt humor craſſus & tenax in venis, nullus colligatur: vel ſi hoc fieri nequeat, ne ad renes perueniat, inq; illis hæreat longius, elaborandum.

11. Prius

11. *Prius ita fiet, ſi poſt corporis exquiſitam purgationem, ratio victus inſtituatur talis, è qua neq; multi nimis, neq; crudi lentiq́; ſucci in venis aceruentur,*

12. *At verò quoniam fieri vix poteſt, vt non aliquando in victu ægri delinquant, atq; aliquid talium humorum circa ventriculum & primas venas colligant, proximum eſt, vt hi aluum leuiter ſubducentibus medicamentis educantur, priuſquam in venas rapiantur: illi autem, qui iã rapti in venas ſunt, in renibus hærere diutius nõ ſinantur.*

13. *Sumenda ergo per interualla ſunt, quibus aluus lubricetur, & quæ pituitam in ventriculo, inteſtinis, & primis venis contentam detergant, à validioribus abſtinendum.*

14. *Talia ſunt medulla caſsiæ, Mel aërium, quod Mannã hodie nominamus, Syrupus violaceus & roſaceus, quibus aliquid Agarici infuſum fuerit, Terebinthina & huius generis alia plurima.*

15. *Vſurpanda ſimiliter ſunt, quæ craſſos humores incidere, meatus renum leuiter expurgare, ipſisq́; inhærentes humores citra violentiam extergere poſſunt, ne diutius adhæreſcendo tandem aſſentur & in calculum cogantur.*

16. *Huius generis illa ſunt, quæ abſtergunt & incidunt citra manifeſtam caliditatem & ſiccitatem, vt ſunt ſemen Vrticæ, Nuclei ceraſorũ, Perſicorũ, Semina melonũ, Acetoſæ, Aſparagi: Decoctum Cicerum, Capillarium herbarum, Pentaphylli radicum, Oculi cancrorum, quibus Feniculi & Aniſi ſeminum aliquid adijcere licebit.*

17. *Quod ſi præter modum calidi ſint renes, poterit eorum caliditas & ſumptis & admotis temperari. Inter admota plurimum prodeſſe teſtantur aliqui, ſi æger tenuem plumbi laminam lumbis atq; renibus impoſitam geſtet.*

18. *Cùm aũt factus iam ſiue cõcretus in renibus ſiue veſica lapis eſt, nec remedijs expelli propter magnitudinẽ poteſt non cõminutus prius ſeu fractus, tunc exhibenda erunt, quæ frangere eum poſſunt.*

19. *Et quoniam cum authore de dignoſcendis & curandis renum affectibus, parum illis confidimus, quæ ab occulta proprietate ab aliquibus iuuare creduntur, eiuſmodi eligamus, quæ vim habent manifeſtam incidendi & extergendi.*

20. *Præſtantiſsima aũt ſunt, quæ hoc præſtare poſſunt abſq; excel-*

lente caliditate, vt in lib. 5. de ſimp. med. fac. cap. 13. Galenus affirmat. Quanquam non parum proſint etiam manifeſtè calida, modò non ſint ſummè tum calida tum ſicca, vt non modo omnium ſeculorum docuit experientia, ſed ipſe quoq; Galenus aſſeruit, in lib. de comp. med. κατὰ τόπους ι. *ſic ſcribens,* τὰ δὲ λιθιῶσιν ἀρήγοντα, Μιᾶς δεῖται δυνάμεως, τοῦ τέμνειν καὶ διαθρύπτειν πεφυκυίας, μετὰ θερμότητος ἐπιφανοῦς.

21. Ratio huius rei non videtur iſta eſſe, quæ ab aliquibus profertur, quòd non poſſit calculus, qui à calore excoctus & compactus ſit, à calidis ſolui, idcirco temperatis hoc eſſe perficiendum, quæ, comparatione ad calorem cogentem facta, frigida videri valeant: ſed hac potius, quam Galenus attulit dicens, συνίστησι γὰρ ἀποξηραίνουσα τὸν πῶρον ἡ θερμότης, οὐ τέμνει καὶ διαιρεῖ.

22. Quippe neq; à valido calore ſemper concreſcunt calculi, vt ſupra diximus, & experientia liquidè probat: neq; rectè adducitur iſta propoſitio, quæ à calore indurata ſeu concreta ſint, à frigore ſolummodo emolliri & liquefieri poſſe.

23. Vt enim cætera nunc omittamus, hoc ſolùm conſiderari hîc volumus, non eſſe nobis propoſitum, concretum calculum vel fundere vel mollem reddere, ſed in cinerem ſeu puluerem atq; arenulas comminuere. Hoc autem qui ignem facere poſſe negat in illis, quæ ab eo indurata prius fuerunt, haud ſatis notas habet ignis vires.

24. Quæ non ſic accipi debent, quaſi putemus tantum calorem in corporibus humanis aliquando inueniri, qui concretos à calore in renibus calculos in ſabulum vertere poſſit, ſed hoc ſolùm indicare volumus, non ideo à pharmacis calculos rumpi & atteri, quia frigida ſint, ſed quia propter partium tenuitatem per anguſtos meatus in profundum ſubeant, perq; omnes partes penetrando continuitatem ſoluant. 1567.

DISPVTATIO IX. RESPONDENTE *Sebaſtiano Cæſare Themarenſi.*

De Febrium definitione.

Febrem

FEbrem diuerſi diuerſe cùm definierint, nec inutile videatur veram ipſius definitionem tenere, qua cognita, facilè ſit longas & intricatas de hac re quorundam medicorum diſputationes explicare, operam nos minimè malam ſumturos exiſtimauimus, ſi eam inuenire tentaremus.

2. Ergo febrem eſſe morbum conſtat: morbum autem eſſe diſpoſitionem vel conſtitutionem. (Nam Galenus nominibus διαθέσεως & κατασκευῆς, in definitione morbi, pro eadem re ſignificanda vtitur) corporis contra naturam, actiones ipſius lædentem, ſimiliter confeſſum eſt omnibus.

3. Porrò diſpoſitio, definiente Ariſtotele, ordo eſt ſiue τάξις rei partes habentis, aut ſecundùm locum, aut ſecundùm potentiam, aut ſecundùm ſpeciem.

4. Talium diſpoſitionum ſiue morborum prima genera cùm ſint duntaxat tria, morbus partium ſimilarium ſiue intemperies, morbus partium inſtrumentalium, & communis ambarum, patet febrem ſub vno ex his tribus comprehenſam eſſe, nempe ſub intemperie.

5. Intemperiem vocamus, neq; vnam, neq; duas, neq; plures, neq; omnes illas qualitates, à quibus fit mixtio, ſed mixtionis harum terminum ſeu habitũ, quem Galenus ſubinde κρᾶσιν, Ariſtoteles λόγον τῆς μίξεως nominare ſolet.

6. Quocirca populariter magis quàm propriè appellauit Hippocrates febrem, præſertim vehementiorem, ignem. Licenter illi quoq; locuti ſunt, qui calore igneo ipſam definiunt. Etenim calor igneus eſt patibilis & ſenſilis qualitas, ad tertiam qualitatis ſpeciem pertinens: febris autem adeoq; intemperies omnis in prima qualitatis ſpecie repoſita eſt.

7. Ratione tum hac, tum alijs refelli poſſunt illi etiam, qui aſſerũt, febrem rectè et propriè per calorem natiuũ, qui ſit in naturam igneam mutatus, definiri. Etenim cùm duo quædam ſignificet medicis natiui caloris nomen, videlicet qualitatem ſenſilem, & veluti formam ſeu præparationem quandam, cuius ratione corpus eſt habile, vt ab anima informetur, neutra febri congruit.

8. De prima paulò ante dictum eſt. De altera, quæ latè admodum patet, nunc eſt dicendum. In hac ſignificatione ſumtus naturalis ca-

lor, vnus idemq́ numero permanens, modò ſecundum, modò contra naturam afficitur, ſine contrariarum qualitatum vel habituum eſt receptor. Genus autem, quatenus in definitione ſpeciei pars eſt Eſſentiæ definiti, atq; cum differentia indiuiduam ſpeciei eſſentiam conſtituit, tantum abeſt, vt oppoſitam poſſit recipere differentiam, vt abſq; Speciei differentia, cuius definitionis pars eſt, nec eſſe, nec intelligi poßit.

9. Deinde non diſtinguitur naturalis calor temperato & intemperato, vt oppoſitis differentijs: ſicut animal diuiditur rationali & irrationali. Quippe non poſſet calor inſitus, qui intemperatus aut igneus eſſet, ad conuenientem corpori temperiem permutari: quemadmodum non poteſt animal expers rationis eiuſdem particeps fieri. Quo poſito, tenendum nobis foret, aliquos ſemper febricitare, aliquos autem ſic perpetua frui valetudine bona, vt in aduerſam incidere non poſſent.

10. Præterea conſentiunt in hoc omnes Medici, Intemperiem calidam de febre ſic enunciari, vt Genus de Specie. Proinde cùm etiam natiuus calor ponatur Genus eſſe febris: nec poßint vnius ſpeciei duo eſſe Genera æquè propinqua: neceſſe eſt, vt vel idem ſint, vel ſaltem vnum in ſe contineat alterum, vt inferius continetur à ſuperiore. At verò neq; idem ſunt calor inſitus & intemperies: neq; vnum de altero, vt ſuperius de inferiore, prædicatur. Nullus enim dixerit, vel intemperiem eſſe calorem congenitum: vel hunc eſſe intemperiem. Vt enim Homo non dicitur albedo, ſed albus: ita natiuus calor non dicitur eſſe vel temperies vel intemperies, ſed temperatus vel intemperatus.

11. Neq; intereſt aliquid, de vtro calore intelligatur, de influente, an de fixo. Idcirco liquet falſum eſſe, quod à nonnullis ſcribitur, influentem ex corde calorem Generis & materiæ vel ſubiecti rationem habere: Generis quidem, quoad temperato & intemperato diuidatur: Materiæ verò, quoad idem qualitas ſit interminata, quæ certo gradu terminari, definiri, & velut informari apta ſit.

12. Non inficiamur quidem res aliquas eſſe, quæ Generis vicem atq; ſubiecti quoq;, ſub diuerſa tamen ratione, ſubeant: Verùm non liquere aſſerimus, an hoc in calore natiuo accidat. Nam ſupra oſtendimus, in-

mus, inſitum calorem ſubiectum eſſe temperiei & intemperiei, non hu, vt differentijs oppoſitis, inſtar Generis diuidi.

13. *Itaq; cum ſit monſtratum, calorem naturalem non rectè poni pro Genere in definitione febris, ſed calidam intemperiem, qua naturali calori accidit: conſiderandum nunc eſt, quod ſit proprium febris ſubiectum. Accidentia namq; Phyſica & propria cauſis & ſubiectis ſuis, quibus primò inſunt, omnino ſunt definienda.*

14. *At verò conſtat apud Medicos, non cuiuslibet partis calidam intemperiem, ſed eam ſolùm, quæ cor occupauit, ac tanta eſt, vt eius actiones manifeſtè lædat, pro febre haberi.*

15. *Quæ cùm aliquando in cordis ſubſtantia inhæreat, nonnunquam in humoribus impreſſa ſit, ſæpe in ſolis ſpiritibus ineſſe noſcatur, quas partes inter ſe plurimum differre certum eſt, conſectarium eſt totidem eſſe febrium ſpecies, quot ſunt cordis partes enumeratæ.*

16. *Ratio namq; docet accidentia Phyſica ſpecie diſcrepare, quæ in diuerſis primis ſubiectis inſint. Ex quo illius poteſt ſententiæ perſpici abſurditas, quæ nullam cordis intemperiem patitur eſſe febrem, niſi quam influens in omnia membra calor ſuſceperit, ſuſceptamq; vniuerſi corporis partibus communicauerit.*

17. *Equidem ille calor, qui extra cor eſt, & è corde, vt ex quodam fonte promanans, in corporis membra deriuatur, non magis eſt febris, quam ſenſus motusq; in membris apoplecticorum priuatio, apoplexia eſt. Nam vt apoplexia ſic eſt cerebri morbus, vt extra ipſum fingi non poßit, cuius tamen ſymptoma, nempe amißio ſenſus ac motus in toto corpore, ſenſu percipitur: ſic diſpoſitio, quæ febris eſt ac dicitur, minimè poteſt intelligi alibi eſſe, quàm in corde, cuius interim ſymptoma, videlicet moleſta caliditas, in toto corpore deprehenditur ac ſentitur.*

18. *Febris ergo vniuerſè generatimq; definita, nil eſt aliud, quàm calida cordis intemperies, actiones ipſius lædens, qua totum corpus præter naturam calet.*

19. *Porrò non eſt totum cor huius intemperiei primum ſubiectum ſed aliquando in ſpiritibus, aliquando in humoribus, aliquando in ipſa cordis ſubſtantia primò inhæret.*

20. *Ex prædictis vtiliter hæc poſſumus diſcere. Primò Hippocratem atq; Galenum, quotiens febrem definierunt per calorem acrem, mordentem, igneum, per ſymptoma definiiſſe, aut certè intemperiem intellexiſſe.*

21. *Deinde non habere febres Ephemeras, Hecticas, & Putridas, Genus item Phyſicum, ſed tantum Logicum, vt quarum non ſit idem ſubiectum primum. Proinde ſingulæ ſunt ſpecies proprio ſuo, cui primò inſunt, ſubiecto definiendæ. Prætereà tot eſſe putridarum febrium ſpecies, quot ſunt ſpecies humorum, qui putreſieri, ſuaque putredine cordis temperiem labefactare poſſunt. Horum quinque cùm ſint, pituita, bilis flaua, bilis atra ſeu melancholicus ſuccus, ſanguis ex his omnibus conſtans, (Nam ſanguis abſque permixtione aliorum humorum in corporibus noſtris intelligitur, at non actu ſeorſum exiſtit) & prætereà ſerum, efficitur quinque putridarum febrium eſſe ſpecies.*

22. *Poſtremò & illud intelligimus, quomodo ſcilicet verum ſit, quod Galenus in tertio libro de præſagio ex pulſibus ſcripſit, febrem aliquando ex putreſcentibus humoribus naſci, corpore cordis frigidiore quàm ſecundum naturam permanente.*

DISPVTATIO X. RESPONDENTE *M. Matthæo Madero Heluetio.*

De Reuulſione.

Omnes Medici in hoc conueniunt, quòd videlicet vacuare idem ſignificet, quod inanire: Reuellere idem, quod reuocare ſeu retrorſum trahere: Deriuare idem, quod ad latus aut vicinas partes transferre.

2. *Vacuantur autem, Reuelluntur, & Deriuantur humores & vapores toti corpori, aut parti alicui, moleſtiam vel qualitate vel quantitate adferentes.*

3. *Refelluntur porrò & deriuantur vacuatione vel ſenſibili, ſcilicet ſcarificatione, prouocatione menſium, hæmorrhoidarũ, vrinarum, ſudoris, purgatione, vomitu, venæ ſectione, &c. vel inſenſibili, nempe*

cucurbitulis ſine ſcarificatione, ligaturis, frictionibus, medicamentis calidis, dolorem excitantibus, alijſq; talibus.

4. *Cùm verò auxilia hæc inter ſe differant, & proinde indicantia diuerſa eſſe oporteat, ac nihilominus omnia interdum ab vno humore indicentur, neceſſarium prorſus eſt, vt à diuerſis affectionibus in eodem humore nonnunquam inhærentibus, diuerſa hæc auxilia poſtulentur. Nam vnum quoad vnum eſt, non niſi vnum per ſe & primò indicat.*

5. *Cæterum duplex eſt humorum aut vaporum in corpore præter naturam exiſtentium affectio, quod ad noſtrum inſtitutum attinet. Etenim vel quieſcunt, ſoláq; præſentia ſua moleſti ſunt, vel mouentur de parte vna ad aliam, morbumq; ſic faciunt.*

6. *Ac quieſcentes, ſiquidem probi ſunt, & quantitate tantùm peccant, ſiue in totum corpus diffuſi fuerint, ſiue in parte vna ſola vel paucis quibuſdam intra vaſa comprehendantur, ſui vacuationē tantum indicant.*

7. *Qui autem in partem quampiam ex alia confluxerunt, ij vel ex venis egreſſi per ſubſtantiam partis ſparſi, & adeò impacti ſunt, vt transferri aliò commodè nequeant, & vacuationem ſui per ipſammet affectam partem indicant: vel intra venas affectæ partis retinentur, atque ad alias partes traduci poſſunt, & deriuatione ſeu ad vicinas translatione, ſi tolli commodius non poſſint, ex loco patiente vacuari poſtulant.*

8. *Atqui in partem aliquam adhuc confluunt, ij quatenus ad locum feruntur, ad quem ferri non debent, reuulſione, id eſt reuocatione opus habent: præſertim ſi cum impetu & violentia ferantur. Etenim ſi leniter & tardè moueantur, ac pauci ſint, quod plerunq; in leni motu contingere ſolet, etiam deriuatione corrigi motus eorum vitioſus poterit.*

9. *Quocirca non à copia humorum aut vaporum, ſiue in toto corpore, ſiue in parte aliqua vna pluribuſue inueniantur, indicatur reuulſio, ſed ab horum motu vehementiore.*

10. *Hinc eſt, quòd omnes medici reuulſioni locum eſſe tantùm voluerunt in morborum principijs: in factis et confirmatis nunquam adhibendam cenſuerunt.*

11. *Quanquam verò nonnunquam humores, qui nuper fluxerunt, & nec dum impacti ſunt, Reuelli dicantur, tamen accidere hoc Reuulſioni putandum eſt. Cùm enim Medicus fluxionem ceſſaſſe, periculumq́ in hac parte nullum ſupereſſe compertum habet, quouis alio modo potius vacuat, quàm Reuulſione: cùm longè ſit facilius per ipſammet affectam partem aut ei vicinam, quod influxit, vacuare, quàm ad remotam retrahere.*

12. *Eſt igitur Reuulſio, humorum aut vaporum ad partem aliquam corporis præter naturam confluentium retractio in contrarium. Quam & ſine & cum vacuatione ſenſibili fieri, ſupra monui.*

13. *Ex prædictis rectè concludimus, primum quidem, Reuulſionem non rectè vocari vacuationem humoris, qui nondum fluere cœpit, ac ne fluere incipiat, educitur. Quantum enim à præſeruatione differt curatio, tantum differt hæc euacuatio à Reuulſione propriè dicta: cùm à Reuulſionis neceſſitate corpus præſeruet.*

14. *Ideò autem nos iubet Galenus ex eadem vena vacuationem hanc, & veram Reuulſionem facere, quia ex illa parte vacuandum indicat, à qua fluxionem naſcituram coniectura eſt.*

15. *Deinde ex eiſdem illud argumentamur, Reuulſionem ideo inſtitui, vt fluens humor ab affecta parte ad eum locum, à quo abijt, quo ad fieri poteſt, proximè retrahatur.*

16. *Quare ſi supernè deorſum fluat, ſurſum retrahendus, ſi infernè ſurſum tendat, deorſum reuellendus, ſi ab externis ad interiora feratur, foras reuocandus, ſi à dextris ad ſiniſtras inclinet, ad dextras reducendus erit.*

17. *At verò naturam plerunq; ne dicam ſemper, corporis ſeruare rectitudinem, rarò ab vno latere impellere fluentes humores ad oppoſitum latus, ex illis, quæ in ægris quotidie cernimus, manifeſtiſsimè perſpicitur.*

18. *Quæ res præſtantiſsimos Medicos, Hippocratem, Galenum, & alios, præcipuè monuit, vt ab hac rectitudine, quam Naturam in morborum generationibus, permutationibus, & criſibus ſeruare animaduerterunt, Medicis, vt Naturæ Imitatoribus & Miniſtris, neutiquam diſcedendum cenſuerint: niſi ſi fortè fluxionem à latere oppoſito incepiſſe deprehendiſſent.*

19. *Cauſa*

19. *Cauſa huius motus Naturæ obſcura eſt, & fortaßis nulli ad huc plenè cognita. Propius ad rei veritatem accedere illa videtur, quam Stephanus Athenienſis in expoſitione decimi quarti capitis, lib.1. Gal. ad Glauconem, primus, quod ſciam, attulit.*

20. *In alijs reuulſionis modis difficultas vel nulla vel exigua eſſe hac in parte videtur: in ea, quæ per venæ ſectionem fit, prorſus maxima: quod concertationes medicorum, & libri de hac re editi abundè probant.*

21. *In cauſa hoc eſt præcipuè, quòd in hac reuulſione ſanguis neceſſariò ſecundùm venarum ductum mouetur, ſemperq́; in vacuati locum proximus ſubit. Quocirca vix apparet, quomodo refelli poßit fluens ſanguis, quando nec illa vena, ex qua cœpit fluere, nec vicina aliqua recto tractu ex eadem orta, (quæ ſanè ambo non rarò in ægris quibuſdam difficiliorem reddunt curationem) ſecari poteſt.*

22. *Veruntamen quia omnium ſeculorum experientia medicos expertißimos & diligentißimos docuit, naturam ibi etiam viam inuenire, vbi videre nos eam non poſſumus, in refellendo ſic venarum ſeruanda erit rectitudo, vt ab vno latere ad alterum temerè non fiat tranſitus.*

23. *Ex ante dictis tertiò colligimus, vacuationem, qua fluentes quidem ſucci vacuantur, ſed verſus affectam partem attrahuntur, quantumuis vltra eam ſecundùm latus longius abducantur, reuulſionem minimè nominari debere. Quare ſanguinis ab hepate ad renes fluentis ad venas poplitum aut malleolorum attractio, non eſt reuulſio, licet à renibus verſus pedes procul auocetur. Tunc enim defluens ſanguis non retrahitur ſurſum, id eſt, verſus fluxionis principium. Ratio eadem eſt ſanguinis ab hepate ſurſum delati, & per venam ſine coniuge in pleuram effuſi. Quippe ſi in hoc caſu vena cubiti ſecetur, nequaquam reuulſio nuncupari propriè poterit eiuſcemodi vacuatio, tametſi longius abſtrahat ſanguinem, quàm ad prædictam vſque venam pari carentem.*

24. *Sequitur quartò, Vacuationem & Reuulſionem, præterea vacuationem & deriuationem ſimul fieri poſſe: At Reuulſionem & Deriuationē ab vnica vena ſectione fieri non poſſe: niſi Deriuationem nominare velimus fluentium humorum, priuſquam ad affectum lo-*

locum vſq; peruenerint, retractionem ad latus nonnihil declinantem.

25. Sane duobus tantum modis vſurpatur nomen Deriuationis apud Medicos. Vnus eſt, cum humores in affecta parte iam contentos, non quidem reuocamus ad locum, à quo fluxerunt, ſed ad latus aut vicinam partem affecti loci traducimus. Alter eſt, cum fluentes adhuc non quidem retrahimus, ſed ex fluxionis itinere ab affecta parte ad vicinam auertimus: quod propriè eſt Deriuare. Nam quieſcentes iam in parte, qui ex eadem transfert in vicinam, vacuare ex ea videtur potius, præcipuè cùm in parte, ad quam transferuntur, non relinquuntur, ſed per eam extra corpus educuntur.

26. Cum igitur neutra ſignificatio videatur conuenire poſſe humori, qui, dum mouetur, reuocatur verſus principium fluxionis, tametſi non recta retrahatur, ſed ad latus impellatur, liquet per eandem venam eodem tempore, non poſſe humores reuelli & deriuari.

27. Sequitur deniq; Galenum Reuulſionis nomine impropriè vſum, quando vacuationem ſanguinis ex inciſa vena frontis in inueteratis occipitij morbis, ſanguine iam quieſcente, nec amplius influente, Reuulſionem localem appellauit: niſi fortè localem nominando innuere voluit, aliam eſſe capitis, quam ſubiectarum ei partium rationem. Equidem venæ ab vtroq; latere infernè aſcendentes, in ſumma parte capitis & cerebri vndiq; ſibi appropinquant, & occurſu mutuo eò vſq; inter ſe iunguntur, vt ſanguinis ex vnis in alteras tranſitio paulò (ne nullo dicam modo) videatur eſſe difficilior, quàm humorum in iecinore ex venis portæ in ramulos cauæ, aut ex his in illas tranſmiſsio. Quod haud difficulter ab eo intelligi poterit, qui totius capitis formationem, venarum progreſsiones, torcularis & aliorum duræ membranæ cerebri ſinuum, formam, ſitum, vſum, vaſorumq; in eoſdem inſertiones accuratè contemplatus fuerit.

DISPVTATIO XI. RESPONDENTE *M. Sebaſtiano Cæſare Themarenſi.*

De Hydrope.

HYdropici in genere dicuntur ij, in quibus tumet aquoſus in partibus externis omnibus, aut ventre inferiore ſolùm, etiam ſubiectis membris apparet. Vnde morbus quoq; vulgò Aqua inter cutem appellari ſolet.

2. Per

2. *Per tumorem aquoſum intelligimus non tantum eum,qui ex aqua pura conflatur, ſed in quo materia aquea, ſiue quæ in aquoſitatem facilè mutari ſolet,continetur.*

3. *Hydrops igitur eſt tumor præter naturam vel totius corporis, vel ventris ſolùm, vel ſubiectorum etiam membrorum, ab aqua vel aqueo humore ob virtutis Epatis Nutritiuæ errorem excitatus.*

4. *Naſcitur hic error ob nimiam Epatis refrigerationem,quæ nihil aliud eſt,quam caloris eius innati diminutio.*

5. *Diminuitur autem calor inſitus triplici ratione, Suffocatione, Abſumtione,Extinctione.*

6. *Suffocatur calor duobus præcipuè modis: vel copia humorum, præſertim excrementitiorum,vel obſtructione vaſorum.*

7. *Abſumitur autem euacuatione aliqua vel ſenſibili, vt hæmorrhoidum,menſiũ,etc.vel inſenſibili,qualis per inediã,labores,morbum diuturnum, triſtitiam aliasque animi affectiones, nec non per calorem nimium pabulum calidi innati paulatim abſumentem contingere poteſt.*

8. *Extinguitur à contrario vel manifeſto, vel occulto. Occulto quidem: vt à venenis, quæ calori naturali toto genere ſunt inimica. Manifeſto autem,vt à frigido, idq; vel immediatè,parte ſcilicet ipſa naturaliter refrigerata vel mediatè,ratione totius aut partis alicuius.*

9. *Ratione partis introducitur intemperies frigida in Epar per duplicem viam. Aut per venas partium Epatis gibbarum, quando affectio eſt in ijs partibus, quarum venæ communicationem habent cum ramis cauæ venæ: Aut Simarum: ſi prius afficiuntur inteſtina, Meſenterium, Lien,Ventriculus & alia.*

10. *Tres autem Hydropis ſpecies pro varietate tum materiæ ab Epate debilitato generatæ,tum loci,in quo ea colliguntur,oriuntur.*

11. *Prima dicitur Aſcites ab vtre: quod venter aqueo & ſeroſo humore inEpiploi peritonæi,& inteſtinorum ſpatium exundante plenus vtrem repræſentat. Vnde venter cruraq; extumeſcunt, ſuperiores autem partes extenuantur atq; macreſcunt.*

12. *Altera ſpecies dicitur Tympanitis à ſonitu,quem venter plurimis flatibus exiguo humore commiſtis diſtentus atq; percuſſus inſtar tympani reddit.*

13. *Tertiam ſpeciem nominant Anaſarcam, Hypoſarcam & Leucophlegmatiam ob coloris natiui & ſanguinis ad albidius ſeu pituitoſum mutationem, propter aſsimilationis priuationem, quæ in totum corpus diſtribui ſolet.*

14. *Cauſa Aſcitis eſt materia aquoſa ſeu ſeroſa quæ in corpore colligitur & non expellitur, vel propter obſtructas vias in Epate aut renibus: vel propter materiam crudam & ineptam naturæq́ imperium & diſpenſationem detrectantem.*

15. *Defluit hæc aquoſitas ex tunica Epatis veſiculis repleta, ex ipſa Epatis ſubſtantia, ex venis Meſaraicis vel vmbilicalibus in pedes & cauitatem abdominis, aut propter harum partium qualitates, conditiones & ſitum, aut propter materiæ proprietatem.*

16. *Cauſa Tympanitidis eſt flatus, ſiue ſpiritus flatulentus & craſſus ab Epatis imminuto calore generatus, & in capacitatem abdominis collectus.*

17. *Loci commoditas & propinquitas præcipua cauſa eſt, cur Spiritus ex Epatis corpore vndique erumpens hic potius quàm alibi aceruetur.*

18. *Anaſarcæ cauſa eſt humor liquefactus & crudus vel pituitoſus, tum à cibis pituitoſis, tum à refrigeratione primarum partium, vt epatis, ventriculi, inteſtinorum, &c. generatus.*

19. *Defertur autem humor hic in totum corporis habitum, quia intra venas continetur, & cum pauxillo bono illo, qui ſupereſt ſanguine, per eaſdem digeritur, atque à membris ob eandem cauſam attrahitur.*

20. *Signa hydropis in genere ſunt: Tumor & inflatio ventris inferioris, dolor in latere dextro vel ſiniſtro, diminutio ſudoris ac vrinæ, fœditas coloris, qui iuxta intemperiem Epatis variatur, ſitis aſſidua cum appetitus proſtratione, quæ vel ratione facultatis extincta vel frigiditatis euenire ſolet.*

21. *Signa propria Aſcitidis ſunt: inflatio pedum & grauitas ventris plurima, qui, dum percutitur, aut æger ſe de latere vno in alterum voluit, ſonitum inſtar vtris aqua ſemipleni efficit: partium ſupra iecur ſitarum alimentumq́, non ſentientium conſumtio. Vrina vt plurimum eſt tincta: ſæpè icteritia, citrina vel nigra præcedit. Sitis quoque*

tis quoque in hac, quàm in alijs ſpeciebus maior adeſſe ſolet.

22. *Tympanitidis ſigna talia habentur: Egreſſio vmbilici plurima, tenſio abdominis in modum tympani, areſactio reliquorum membrorum cum ariditate & ſiccitate. Percuſſo ventre ſentitur ſonus vtris flatu pleni. Tumor tactui non cedit. Fiunt eructationes cum quadam alleuiatione. Non ſemper adeſt ſub initium inflatio pedum. Pulſus velox & frequens.*

23. *Signa Hypoſarcæ ſunt hæc: corpus fit quaſi Oedema vnum, digiti & brachia poſt compreſſionem foueam relinquunt. Eſtq́ cum ea vt plurimum fluxus ventris Chyloſus, interdum ſanguinolentus. Pulſus vndoſus, latus, lenis: Vrina vt plurimum charopa, vel alba, lactea & craſſa apparet.*

24. *Ratio prognoſticandi ſumi poterit ex cauſarum præcedentium quantitate & qualitate: Ex morbi magnitudine & duratione, Ex ſyptomatibus conſequentibus. Ex morbi ſpecie ſeu differentijs. (Nam curationis facilitate ac difficultate inter ſe non parum differunt.) Deniq́ ex coniunctis & ſuperuenientibus.*

25. *Indicationes porrò ſumuntur, Primum à Natura morbi vel propria, vel communi: (quibus adiungi poſſunt ea, quæ morbum fouent eiq́ ſunt annexa:) Secundò à natura ægrotantis: Tertiò à qualitate aëris.*

26. *Communis natura hydropis, quæ eſt intemperies frigida cum materia, indicat materiæ euacuationem cum intemperiei correctione. Fomenta diuerſa diuerſis etiam modis auferri debent. Inter annexa illi, in primis inſiſtendum, quod magis vrget: reliquis tamen minimè neglectis.*

27. *Indicatio à natura ægrotantis ſumpta, quouſq́ alterandum & euacuandum ſit, quibusq́ remedijs præſtandum ſit vtrumq́ docet. At aër vel aduerſatur morbo & auxilij vices ſubit, vel eundem auget, ac ſui correctionem poſtulat.*

28. *Propria natura cuiuſcunq́ ſpeciei Hydropis materiæ præſentis euacuationem, cauſæ eam fouentis ſublationem, caloris naturalis, qui talem materiam vincere poſſit, inſtaurationem & confirmationem nobis indicat.*

29. *Hiſce indicationibus ſatisfit tribus inſtrumentis, Diæta, Medicamentis & Chirurgia.*

30. *Diæta, quæ in ſex rebus non naturalibus conſiſtit, communiter ad caliditatem & ſiccitatem vergere debet: pro varietate tamen cauſa hydropem fouentis & pro diuerſa natura ægrotantis & aëris alio rumq́, annexorum eandem interdum variare licebit.*

31. *Æger in cibo ſit parcus: Sitq́, panis ex aniſo & fœniculo paratus, aliquantulum furfuraceus: carnes ſint ſiccæ, non tamen difficilis digeſtionis: Olera vitentur: Fructus exſiccantes, præſertim paſſulæ concedi poſſunt: Potus ſit vinum album, ſubtile, antiquum, ſed modicum. Aquam non videat, inquit Auicenna, nedum vt bibat: Vigilia ſomno, exercitium quieti præferendũ. Euacuationes naturales, quantum poßibile eſt per ventrem, veſicam, &c. fiant. Affectionibus animi, quæ calorem inſitum refrigerant ac debilitant, vt eſt timor, triſtitia, omnino reſiſtat. Venus licet exſiccet, plus tamen nocet debilitando calorem natiuum, quàm exſiccando poßit.*

32. *Pro euacuatione materiæ conſiderandum, quid, in quo loco, & quantum ſit euacuandum. Deinde cauſa illius materiæ euacuandæ, natura ægrotantis, annexa hydropis, & externa exploranda erunt.*

33. *Materia euacuanda aut eſt fomentum morbi, quæ vel in primis vijs vel in venis continetur: Aut materia actu iam morbum faciens, quæ poteſt eſſe flatuoſa, pituitoſa, aquoſa & miſta: Bilioſa quoq́, interdum ſolet eſſe, præſertim poſt morbum acutum.*

34. *Fomentum in primis vijs exiſtens pro diuerſa hydropis cauſa, eiusq́, annexis & natura ægrotantis tribus modis auferri poterit, nempe Vomitu, Enematis & Lenientibus vulgò dictis.*

35. *Sanguis hydropem fouens in ſola Anaſarca, quæ ex retentione ſanguinis menſtrui aut hæmorrhoidarum, &c. nata eſt, mittendus erit per venas inferiores. Quod ſi is alium morbum cum hydrope coniunctum foueat, etiam in alijs ſpeciebus venæ parti affectæ vicinæ competit.*

36. *Quantitas ſanguinis mittendi ſumenda eſt partim ex ijs, quæ ſanguinis mißionem præcedunt, vt ex copia ſuppreßi ſanguinis, quam ex conſueta euacuatione & ex venis repletis, nec non ex viribus ægrotantis æſtimare licet, partim ex ijs, quæ ſectionem conſequuntur, vt ex natura ſanguinis craßi & cum impetu exeuntis.*

37. *Venæ ſectio partienda erit, ſiquidem vires adſint languidæ cum*

morbi

morbi diuturnitate. Si recens ſuppreſſa ſit euacuatio, & anaſarca nondum ſit facta, plurimus ſanguis vnica etiam vice, dummodo reliqua coindicantia reſpondeant, tutò educi poterit.

38. *Humores verò pituitoſi & melancholici hydropem fouentes, medicamentis tum leuioribus, vt agarico, ſena, polypodio: tum fortioribus, vt Turpeto, Colocynthide, Elleboro nigro & alijs, euacuandi ſunt,*

39. *Bilis quoq;, ſi in Epate adeò copioſe aggregetur, vt eius gratia calor naturalis extinguatur, per medicamenta facilia naturæq; amica, euacuari poterit: quale eſt Rhabarbarum, &c. Cui alia quoq;, quæ humores bili admiſtos educere, ac Epar aliaſq; partes ipſi conſentientes roborare queant, admiſceri poterunt.*

40. *Abſtinendum eſt à pilulis vehementioribus: quales ſunt de Euphorbio, de Serapino, &c. in ijs præſertim corporibus, quæ vel natura vel morbo aliquo præcedente labefactata et debilia reddita ſunt. In alijs autem corporibus, in quibus virtus tam in aſcite quàm in anaſarca ex frigida cauſa proueniente, valida adhuc fuerit, eiſdem tutò vti licebit.*

41. *Flatus, qui actu iam tympanitidem faciunt, triplici modo diſcuti poſſunt: medicamentis per os datis, externis adhibitis & Enematibus.*

42. *Medicamenta per os exhibenda ſint moderatè calida: potiſſimumq; cibarijs miſceantur. Probatur Mitridatica confectio & Theriaca, nec non & illa, quæ Cyphoides dicitur, quam ad omnem hydropis ſpeciem commendant. Hiſce noſtra olea diſtillata ex Garyophyllis, ex nuce muſcata, cinnamomo, &c. conuenientiſſimè annumerabuntur.*

43. *Externè fiant ſuffumigia ex decocto eorum, quæ & partem roborant, ac flatus diſcutiunt, ſi lapis molaris ignitus in eo extinguatur, atq; æger in partem affectam vaporem hunc recipiat. Ex ijſdem in oleo decoctis poſt aſperas totius corporis frictiones, poſſunt fieri inunctiones, fomenta. euaporationes. Præter hæc diſſipant flatus hydropicorum cucurbitulæ magnæ & ignitæ, ſtillicidia thermarum & oleorum, & his ſimilia.*

44. *Ex eorundem decocto, ſcilicet rutæ tum ſylueſtris tum dome-*

ſtica, baccarum lauri, aniſi, fœniculi, &c. poſſunt parari Enemata.

45. In Anaſarca pro materia pituitoſa euacuanda probantur frictiones omnes aſperiores partium corporis œdematoſarum, manibus prius inunctis oleo ex ſcylla parato, vel oleo quod ſalitum vocant. Item conueniunt balnea ſicca: Emplaſtra confecta ex ſtercore bouis, caprarum, &c. cui pulueres Cucumeris ſylueſtris, Iridis Illyricæ, Soldanellæ & aliorum, cum aliqua portione Colocynthidis, aut Ellebori, vel ſimilium ſint admiſti. Fiunt etiam picationes & oblinitiones cum luto aquæ ſulphureæ.

46. Materia aquoſa, quæ iam Aſcitem actu facit, educenda eſt vel ſenſibiliter, vt pharmacis hydragogis, vrinam & ſudorem prolicientibus: vel inſenſibiliter, vt Fomentis, Emplaſtris, Sacculis, Cerotis, &c.

47. Medicamenta aquam ducentia alia ſunt moderata, vt eſt puluis ſeu ſuccus radicis Iridis Illyricæ, Soldanellæ, medij corticis Sambuci & Ebuli, cum modico vini Maluatici, vel cum aqua Cinnamomi, aut alio quodam, quod ventriculum & Epar roboret, exhibitus. Alia ſunt vehementiora: vt eſt Elaterium, idque ſingulis octo vel decem diebus pondere quinq; grana non excedente, exhibeatur. Intermedijs verò temporibus alia leuiora alternis diebus adminiſtrentur. Metallica, vt ſquama æris, æs vſtum, limatura chalybis, antimonium, & his ſimilia, non niſi robuſtis corporibus tutò proponi cenſemus.

48. Sudorem & vrinam prolicientia poſſunt eſſe Syrupi, qui tamen potius ſint craſſiuſculi, quàm diluti.

49. Quod ſi his tumor aquoſus non cedit, ad veſicatoria circa crura, abdomen, regionem ventriculi, vmbilici, iecinoris & lienis, denique ad cauſtica, ſcarificationes talorum deueniendum erit. Horum tamen remediorum maior in præſeruatione, quàm in curatione vſus eſſe ſolet.

50. Perforatio abdominis, quam Paracenteſin vocant, conuenit tantùm in ea Aſcite, quæ lethalis non eſt, & in qua tanta aquæ portio ſupereſt, quanta alijs remedijs euacuari non potuit: dummodo virtus ægrotantis & res non naturales dictæ conſentiant. Ex eiſ-

dem etiam

dem etiam quantitas aquæ educendæ cognoſci debet.

51. Tandem tranſeundum ad Epatis, & reliquarum partium intemperiem corrigendam, quæ aptè delebitur medicamentis tum manifeſtâ, tum occulta qualitate agentibus. Manifeſta, vt ſunt Cichoratia, præſertim ſi calida Epatis intemperies præceſſerit, aromata, herbæ calefacientes, olea diſtillata, Theriaca, &c. Occulta, vt ſunt paſſulæ, cochleæ, Epar lupi, &c. quibus moderatè aſtringentia admiſceri debent: eaque intermedijs temporibus, quibus à purgantibus abſtinemus, commodius exhibebuntur.

52. His ſi adiunxerimus victus rationem reliquam, quæ collectam materiam vitioſam digerere paulatimque euacuare, & ne iterum colligatur, prohibere queat, hominem etiam à recidiua vindicauerimus. Anno 1572.

DISPVTATIO XII. RESPONDENTE M. Iacobo Seidelio.

De natura & cauſis Epilepſiæ.

Nomen Epilepſiæ aliquando pro ſymptomate ponitur, aliâs pro morbo ſumitur. Cùm ſymptomatis nomen eſt, interrupta conuulſione totius corporis, cum mentis ac ſenſuum oblæſione definitur.

2. Cùm verò morbum denotat, affectum cerebri ſignificat, quo ſic mouetur, vt cum mentis ac ſenſuum offenſa corporis vniuerſi membra per interualla inæqualiter concutiantur.

3. Cæterum quia omnes ſimul ſenſus cum mente ſemel lædi non poſſunt, illæſo permanente cerebro, manifeſtum eſt, Epilepſiam cerebri morbum exſiſtere.

4. Cerebri porrò partes cùm ſint plures, (quippe Venas, Arterias, Membranas, Neruos, Cerebri corpus, Ventriculos, Spiritus, in ſe continet) videndum eſt primo loco, quod ſit actionũ primariarum, motus ac ſenſus communis, principium ſiue inſtrumentum primum, vt ni-

mirũ liqueat, quæ pars Cerebri in Epilepſia præcipuè afficiatur. Deinde conſiderandum, quæ in illa parte affectio conſiſtens prædictorum ſymptomatum cauſa ſit effectrix.

5. *Quòd neq; Vena neq; Arteria nuper dictarum actionum propria ſint inſtrumenta, liquidò ex eo patet, quòd alium in cerebro vſum non habent, quàm in partibus corporis omnibus obtinent. Subſtantiarum proprietates ſibi proprias facultates vbiq; cõiunctas poſſident, inquit Galenus. Quare ſi alibi tale nihil præſtare poſſunt, ne hîc quidem præſtare cenſendæ ſunt,*

6. *Ratio par eſt membranarum. Etenim extra Cerebrum munimenti gratia cùm ſint neruis datæ (quod Gal. in 7. de Plac. Hippoc. & Plat. luculentè demonſtrat) intra caluariam quoq; aliũ vſum Cerebro non præbent. Quòd ſi vaſorum explantationi etiam ſeruire dicantur, nihil hoc attinere ad præſentem cauſam reſpondebimus.*

7. *Quòd nec Cerebri ſubſtantia, quoad pars ſimilaris eſt, princeps & proxima cauſa ſit prædictarum actionum, eodem in loco Galenus præclariſſimè probat. Confirmant idem experientia vulneratorum in capite: itemq; ſectiones animalium viuorum.*

8. *Manifeſtiſſimè autem demonſtrat, quòd operationes illæ principales non ſunt actiones ſimilares, ſed inſtrumentales: id quod multis comprobari argumentis poteſt.*

9. *Actio namq; purè ſimilaris à temperamento partis, cuius actio eſt, non tantùm inchoatur, verumetiam abſoluitur: atq; à qualibet eiuſdem particula perficitur. Actio autem nudè inſtrumentalis, à temperie partis nec inchoatur nec abſoluitur: & à toto duntaxat inſtrumento perficitur. Mediæ, quæ partim ſimilares ſunt, partim inſtrumentales, à temperamento inchoantur quidem, ſed ab eodem abſque fabrica eiuſdem non abſoluuntur: & proinde non à quauis inſtrumenti particula ſeparatim peraguntur.*

10. *Et alijs argumentis ſi deſtitueremur, Epilepſia nos abundè, quid ſentiendum ſit, docere poſſet. Etenim morbum inſtrumentalem eam eſſe, & ſine Cerebri intemperie nonnunquam repentè inuadere, nullus eſt qui neſciat. Adhæc toties nominatas actiones Cerebri omnes grauiſſimè lædit, temperie eiuſdem illæſa permanente. Quò fit, vt inſtrumentales potius iudicandæ ſint quàm ſimilares.*

11. Nec

11. *Nec impedit nos, quòd temperamento vitiato eadẽ actiones vitiantur Nam rectè illo habente, hæ nihilominus vitiari poſſunt. Equidem cùm cauſæ plures ordine quodam ad certi effectus productionem concurrunt, minimè neceſſum eſt, vt natura poſterioribus læſis, lædantur antecedentes, quomodo prioribus læſis neceſſariò lædi oportet conſequentes vnà cum effectu.*

12. *Iam quòd nerui quoq; non ſint vera & proxima cauſa principum actionum, certum eſt. Etenim extra cerebrum cùm non ſint, quomodo in ipſo fuerint?*

13. *Reliquum eſt, vt in cerebri ventriculis opera & miniſterio ſpirituum in eis exiſtentium ratiocinationem, imaginationem ac ſenſum communem &c. fieri dicamus. Cui ſententiæ conſentiunt omnia: repugnat nihil.*

14. *Quocirca rectè firmeq; concludemus, Epilepſiam morbum eſſe ventriculorum cerebri: non autem reliqui corporis ipſius.*

15. *Subiecto inuento, indaganda eſt diſpoſitio. At abſq; cauſæ propinquiſſimæ ſeu immediatæ cognitione haud facilè poterit inueniri. Etenim proprietates, quæ definitis ſubiectis nõ ſemper inſunt, ſed propter determinatam cauſam accidunt, ſine ſuis cauſis obſcurè imperfecteq; noſcuntur.*

16. *Epilepſiam efficiunt res multæ ac variæ: vapor, & aliquando humor acris et mordax, exhalatio putrida, ſanies fœtida, halitus graueolens & virulentus à vermibus, vtero, vaſis ſeminarijs, ſanguine corrupto, bitumine & cornibus caprarum, hircorum vſtis, ſublatus) aura venenata ſeu inimica neruis & cerebro, fumus, ira, fames, vigiliæ, conſternatio ſubita, frigus & aliæ complures.*

17. *Has omnes oportet vnum aliquid idemq; agere, quò vnam aliquam & eandem gignant diſpoſitionem in cerebri ventribus: quæ Epilepticorum ſymptomatum cauſa prima & immediata ſtatuitur. Quid autem commune eſſe omnium poſſit, præter mordicationem ſeu vellicationem cerebri, (omnes vel nota qualitate, vel abdita & maligna poteſtate, neruos ac cerebrum offendere irritareq; ſolere ac poſſe, citra dubitationem notum eſt) imaginari difficilè, imò impoſſibile eſt.*

18. *Quod enim obſtructionẽ efficere aliqui fingunt, abſurdum, &*

& ab omni ratione alienum eſt figmentum: vt cùm ex alijs plurimis, tùm ex dicendis pateſcet.

19. *Primum eſt, quòd omnium ætatum Medici Epilepſiæ ſpecies quaſdam abſq; obſtruente humore accidere conceſſerunt. At vnam eſſe proximam omnium ſpecierum cauſam oportet: tametſi vehementia, efficacitas, duratio, frequentia, non ſemper eadem ſit.*

20. *Deinde, quòd ex recitatis cauſis paucæ, aut nullæ potiùs, repentè obſtruere adeò capaces cerebri ſinus poſſunt: Quoniam humor craſſus, cùm copia magis, quàm qualitate offendit, Apoplexiam parit, non Epilepſiam.*

21. *Tertiò, quòd nullo exemplo doceri poteſt, partem corporis notabili cauitate præditam propter morſum hactenus contrahi, vt ſpiritibus per eam tranſeuntibus iter intercludatur.*

22. *Quartò, quòd animal confeſtim ſenſu ac motu priuari oporteret: Quia vi nulla fieri poteſt, quin cerebri ventriculis occluſis eodem ferè momento ſenſus ac motus in toto corpore deficiat. Sed in Epilepticis motus, quàm in ſanis, plerumq; validior atq; auctior cernitur. Neq; Apoplecticorum inſtar omni ſenſu orbantur ægri: cùm aliquos ligaturis, vociferationibus, vellicatione aurium, viſione quoq; excitari certum ſit.*

23. *Denique nulla foret inter Apoplexiam & Epilepſiam alia differentia, quàm maioris ac minoris, quod abſolutè falſum eſt. Equidem locus affectus vtriuſque, cùm abſque controuerſia vnus idemque ſit (diſcrimen de corpore & ventribus cerebri neque verum eſt, neque ad rem pertinet) niſi cauſæ diſcrepent, re alia nulla verè diſtingui poterunt.*

24. *Veriſimilius & naturæ magis conſentaneum eſt, ſimili quadam ratione Epilepticorum paroxyſmos fieri, qua ſternutationes, vertigines, corporis illæ totius concuſſiones, quæ ſub ingreſſum ſomni omnibus fermè aliquando accidunt, concitari videmus.*

25. *Ergo nihil aliud fuerit Epilepſia, (quoad pro morbo nomen hoc vſurpatur) quàm inſtrumentalis cerebri ventriculorum morbus à ſubſtantia mordaci aliterue inimica cerebro excitatus, in quo propter impetum ac concitatiorem motum cerebri, noxia volentis excutere, mens cum ſenſibus læditur, & totum corpus inæqualiter quatitur.*

DISPV-

DISPVTATIO XIII. RESPONDENTE
M. Timotheo Madero Heluetio.

De Contagio.

PRAEFATIO IN THESES *de Contagio.*

MVLTI non ſine cauſa mirantur, cur Veteres diſputationem de Contagio non minus vtilem quàm difficilem omninò intactam reliquerint: cùm indigna cenſeri, in qua declaranda operæ aliquid ponerent, minimè potuerit. Nullus, Ariſtotele demto, de natura eius quicquam in illis libris, qui ad nos extant, prodidit. Is tamen præter pauca illa verba, quibus in Problem. dum cauſam inueſtigaret, cur Phthiſis contagio in alios diffundatur, non hydrops, &c. perobſcurè naturam eius adumbrauit verius, quàm enodauit,, nihil de ea tradidiſſe inuenitur. Ex recentioribus primus, quòd ſciam, glaciem hanc perfregit Hieronymus Fracaſtorius, vir magno iudicio & præſtante doctrina clariſsimus. Huius ſententiam confutare voluit magis, quàm potuit, Ioannes Baptiſta Montanus: veriora certè non attulit. Tentauit idem poſt Montanum pari fortuna, ne amplius aliquid dicam, Franciſcus Valleriola. Præter hos nullus mihi viſus eſt, qui vel meliora adducere, vel prius inuentis lucem adferre conatus fuerit. Hac de cauſa totam hanc tractationem propoſitionibus aliquot comprehenſam publicè diſceptandam proponere viſum eſt. Quippe vt ex attritu mutuo lapidum emicat ignis, ita ex variorum argumentorum & ſententiarum collatione veritas effulgere ſolet. Omnes igitur rogamus, qui fortè has Theſes lecturi ſunt, vt liberè & candidè nobis indicent, quicquid in eis aut falſè affirmatum, aut obſcuriùs propoſitum, aut denique perperam omiſſum iudicabunt. Nobis enim vnum hoc propoſitum fuit, huius rei veritatem cognoſcere. Quamobrem gratius nobis accidere nihil poterit, quàm ſi opera aliorum doctior euadere contingat.

1574.

QVI ex diſputatione de contagio ſe euoluere, quæque ad eam pertinent, rectè ac diſcretè intelligere cupit, eum nominis ſignificata accuratè diſtinguere, & quo ſenſu quouis loco poſitum ſit, non oſcitanter obſeruare oportet.

2. Quatuor autem modis (cùm de morbis ſermo eſt) vſurpari notauimus. Nam aliquando pro morbo per contagium contracto ponitur. Vſitatius ſeminarium, quod vel in aëre ſparſum volitat, vel veſtibus alijsq́ rebus affixum hæret, ſignificat. Non rarius prò ipſa morbi ab vno ad alium tranſitione, ſiue pro ipſamet inquinatione accipitur. Propriè ſumitur, cùm de qualitate morborum effertur, qua commorantes contaminant.

3. Prima ſignificatio cùm ſit maximè impropria, meritò à nobis hoc loco reijcitur. Quippe morbus, qui ſeipſum veluti multiplicans in vicina corpora profert, à contagio contagioſus denominatur: contagium non rectè vocatur. Sic qui contagione acquiritur, ex contagio natus dicitur: ipſum contagium eſſe perperam creditur. Idem tamen contagioſus etiam eſt, quatenus vi ſeipſum propagandi præditus, non quatenus ab alio ſuſcitatus eſt.

4. In ſecundo ſenſu ſubſtantiam ſignificat è morbido corpore profectam, quæ vim in ſe retinet, morbum in ſano corpore, in quod ſe fortè inſinuauerit, talem creandi, qualis ille eſt, à quo ipſa manauit.

5. In tertio ſignificato nil aliud eſt, quàm ipſa morbi communicatio, ſeu transfuſio, ſeu motio, quà morbus ſe ex vno corpore in alia diffundit.

6. Quarto modo acceptum (quomodo nos plerunq; accipiemus) proprietas & vis eſt certorum morborum, per quam ſe extra ſubiectum ſuum effundere, inq́ alia ingerere apti ſunt.

7. In hac promotione minimè putandum eſt, eos ſubiectis ſuis deſertis aliena occupare. Præterquam enim quod accidentium de vnis ſubiectis in alia tranſmigratio iam olim impoſsibilis demonſtrata fuit, de morbis hoc ne imaginari quidem poſſumus. Etenim accidentia ſunt membrorum, non humorum. Quocirca ſic ad alia arrepunt, vt interim de ſuis non recedant.

8. Quare

8. Quare ſi neque derelinquunt ſubiecta priora, neque ſine ſubiecto tamen de corpore vno ad aliud traducuntur, rectè nuper diximus, contagionis ſeminarium ſubſtantiam eſſe.

9. Etſi verò contagium ab antiquo verbo contago deductum contactum includere videtur, multò tamen eſt contactus ſignificatio anguſtior, quàm vt de omni contagione pronunciari debeat: niſi nimis licenter eo abuti velimus. Hac de cauſa mentionem contactus in definitione contagij requiri non credimus.

10. Vt enim ſeminarium abſq; contactu corpus nullum labefaciat, atq; ob id in ſeminarij definitione contactus rectè collocetur, in cæteris tamen contagij ſignificatis locum habere non poterit.

11. Etenim tangere ſe propriè dicuntur, quorum extremitates ſeu fines ſimul ſunt. 5. Phyſ. 3. At ſola corpora ſuperficies obtinent. Quare inter ſola corpora naturalis contactus (de Mathematico aut Metaphorico non loquimur) inuenitur: vt ſcitè Lucretius cecinerit:

Tangere enim & tangi, niſi corpora, nulla poteſt res.

Quare cùm contagium prima, tertia, & quarta ſignificatione corpus non ſignificet, per contactum haud rectè definietur.

12. Adde quòd contagioſis morbis affectos ſæpius, quàm vellemus, experimur plurimos contaminare, qui ad eos propius non acceſſerunt, nedum eos attigerunt.

13. Nec ſatis ſcitè excuſaueris diſtinctione contactus per medium, & ſine medio. Etenim homines, inter quos ſpacium quoduis intercedit, ſe nequaquam tangere, ſed deinceps ſeu ἐφεξῆς habere dicuntur. At inter ἅπτεσθαι, & ἐφεξῆς ἔχειν, diſcrimen prorſus maximum eſſe is tantùm neſcit, qui omnia neſcit.

14. Quod ſi euaporationes contagium transportantes ab inquinante corpore ad inquinatum vſq; continuatæ ſemper forent, ſpeciem aliquam haberet excuſatio. Iam quia ſæpè non continuantur, ſed interrumpuntur (vt cùm in veſtibus, aut rebus alijs talibus receptæ ſunt) quomodo poterit contactus defendi?

15. Quæ de ſpirituali qualitate comminiſcuntur aliqui, propoſitum non explicant. Vt enim contagium fiat, qualitatem realem à contaminante ad contaminatum tranſmitti oportet: quæ eundem illum ſpecie morbum in corpore ſano, id quod exporrigitur, generare valeat,

qui in ægro, à quo tranſlata fuit, prius inhærebat: quiq́ inficiente ſemoto nihilominus in infecto permanere poſſit. At qualitas ſpiritalis ſeu intentionalis. (Hoc nomine crebrius nominatur) neq́ amota re, cuius eſt qualitas, rebus, ad quas extenditur, adhæreſcere, neq́ ſubiecti vires alijs imprimere, neq́ medium alterare, aut in eo perſiſtere valet. Quis rerum ſimulachra in ſpeculis poſt res ablatas reſtare putet? Quis Magnetis virtutem in ferro relictam poſt eius amotionem notauit? Quis corporis noſtri partes virtute ſentiendi per neruos à cerebro communicata præditas neruis obſtructis, quouis momento inſenſibiles effici neſcit? Quis non in aëre, veſtibus, rebus alijs, contagionis ſeminaria perſiſtere expertus eſt? At hoc non ſpiritualium, ſed realium qualitatum proprium eſt.

16. *Euidentiæ conſentit ratio. Fieri enim nulla vi creata poteſt, vt rerum qualitates ac vires propriæ in alieno ſubiecto, amotis rebus, quarum proprietates ſunt, firmiter inhæreant. Nam proprium eſſet non proprium: quod etiam fingere abſurdum fuerit. An in ferro vis Magnetis, ablata omni eius ſubſtantia, vnquam derelicta fuit? Non arbitror. Nulla certè qualitas in paſſo permanens, poſt agentis receſſum à ſpiritali qualitate producitur. Tales enim à qualitatibus ſubiectum per ſe alterantibus naſcuntur. Spirituales autem qualitates nec medium, nec aliena corpora, per ſe alterant. Hac de cauſa neq́ nouam miſtionem inducunt, neq́ priorem mutant. In contagio autem prius temperamentum corrumpitur, ac nouum inuehitur. Quoniam in omni contagio eſt corruptio, quam alterationem realem non præcedere impoſſibile eſt. Quocirca morbos per contagium natos à ſpirituali qualitate ortos nullus affirmabit, quiſquis eos poſt abitum agentis cauſæ perſeuerare intelligit.*

17. *Cæterum ex tribus morbi generibus nec qui in continui ſolutione conſiſtunt, nec qui inſtrumentales appellantur, contagioſi per ſe & primò cenſeri debent.*

18. *Intelligitur id ex hoc primum, quod nullus morbus de ſuo ſubiecto in aliud tranſire poteſt. Alienum ergo ſubiectum ſubſtantiæ duntaxat tranſmiſſione, quæ in ſe naturam & potentiam eandem retinet, commaculat. Sed ne quidem fingere licet, quomodo in halitu aut vapore tota inſtrumentalis morbi eſſentia comprehendatur. Cauſæ etiam*

horum morborum quantitate magis ac ſæpius cum peccent, quàm qualitate, facilè intelligimus contagioſos eſſe non poſſe.

19. Deinde ex hoc etiam, quod morbi ſeminarium qualitatem in ſe habere oportet efficientem. Figura autem, numerus, magnitudo, ſitus, continui ſolutio non ſunt actionis vllius principia. Niſi enim aliquid ſit mouens, omnia hæc per ſe nihil agent. Quo circa ſi maximè hoc daremus, inſtrumentales morbòs in halitu, vt in ſubiecto, tranſuehi in corpus aliud poſſe, inutilis nihilominus eſſet eorum traiectio.

20. Illi ergo tantum morbi contagione multiplicantur, inq́ alios propagantur, qui vel halitus exſpirant, vel alia corpuſcula procreant, totam in ſe morbi eſſentiam, inſtar ſeminis cuiuſdam, comprehendentia. Quod quia ſimilaribus morbis ſolis datum eſt, nulli alij per ſe contagioſi flatui debent. Nulli enim alij in omnibus affecti loci particulis toti inſunt. Quo etiam fit, vt ſine parte affecta nulli alij de corpore vno in aliud transferri queant.

21. Ex his autem morbis, neq; humidi, neq; ſicci, neq; frigidi, contagio promouent ſe in alios. Illi propter impotentiam agendi: (Nam humiditas & ſiccitas qualitates ſunt admodum ignauæ: & cum caliditate frigiditateq́; comparatæ materiæ potius, quam formæ, rationem obtinent: hoc eſt, patiendi magis quàm agendi principia exſiſtunt) hi propter reſiſtentiam contrarij. (Nam corpora ſana valido ſuo calore frigidos halitus facilè vel repellunt, vel, priuſquam imprimere aliquid poſſint, alterant) & frigidorum vaporum exhalantium paucitatem. Quoniam ex frigido morbo tum pauca, tum nonnihil præcalfacta, & à colore extenuata, exſpirare neceſſum eſt.

22. Rationes eædē efficiunt, vt nec frigidi ac humidi, nec frigidi & ſicci morbi, ſiue cum materia ſiue abſq; materia ſubſiſtere ponantur, contagioſi eſſe poſſint, quantiſper nullā qualitatē aliam adiunctā habent.

23. Sed & calidi, quicunq; citra putredinem vel caliditate ſimplici, vel cum humiditate aut ſiccitate copulati lædunt, contagioſi non ſunt. Etſi enim primæ qualitates (præſertim caliditas & frigiditas) in res cunctas quomodolibet temperatas & miſtas ſe inſinuare, & in omnem mutabilis mundi materiam propagare habiles ſunt, ad appropinquantes tamen inſtar contagioſorum non arrepunt. In cauſa eſt, quod eiuſmodi qualitates in rara & pauca exhalatione vires non

magnas poſſident: & levi negotio ex alieno ſubiecto, antequàm id ſibi peniriſſimè aptauerint, delentur. Quàm facilè, quæ alieno calore, ſcilicet ignis, ſolis, rerum aliarũ, calefiunt, iterum frigeſiant, nemo ignorat. Secundæ qualitates difficilius expunguntur: imò ſubiecto non tranſmutato nunquam exſtinguuntur: niſi fortè non totius ſubiecti qualitates ſint, ſed in parte aliqua facilè ſeparabili inhæreant.

24. *Præclarè hanc rem expoſuit Hipp. libro de Veteri Medicina: in quo, cùm multis oſtendiſſet quàm facilè acquiſititius calor ſimplex ex re qualibet profligetur, hæc tandem addit.* ὡς οὖν διαταχέως οὕτω περιγίνεται τὸ ἐναντιώτατόν τε καὶ ἀφελόμενον τὴν δύναμιν ἀπὸ αὐτομάτου, τί ἂν ἀπὸ τούτου μέγα ἢ δεινὸν γένοιτο; ἢ τινὸς δεῖ πολλῆς ἐπὶ τουτέῳ βοηθείας; εἴποιεν ἄν τις, ἀλλ' οἱ πυρεταίνοντες τοῖσι καύσοισί τε καὶ περιπλευμονίῃσι, καὶ ἄλλοισιν ἰσχυροῖσι νουσήμασιν οὐ ταχέως ἐκ τῆς θέρμης ἀπαλλάσσονται: οὐδὲ πάρεστιν ἐνταῦθα ἐπὶ τὸ θερμὸν τὸ ψυχρόν. ἐγὼ δὲ τοῦτό μοι μέγιστον τεκμήριον ἡγεῦμαι εἶναι, ὅτι οὐ διὰ τὸ θερμὸν ἁπλῶς πυρεταίνουσιν οἱ ἄνθρωποι, οὐδέ τοῦτ' εἴη τὸ αἴτιον τῆς κακώσιος μοῦνον: ἀλλ' ἔστι καὶ πικρὸν καὶ θερμὸν τὸ αὐτό: καὶ θερμὸν καὶ ὀξύ: καὶ ἁλμυρὸν καὶ θερμόν: καὶ ἄλλα μυρία, καὶ πάλιν γε ψυχρὸν μετὰ δυναμίων ἑτέρων. τὰ μὲν οὖν λυμαινόμενα ταῦτά ἐστι. συμπάρεστι δὲ καὶ τὸ θερμόν, ῥώμης μετέχον ὡς ἂν τὸ ἡγεύμενον καὶ παροξυνόμενον καὶ αὐξανόμενον ἅμα ἐκείνῳ: δύναμιν δὲ οὐδεμίην πλείω τῆς προσηκούσης δηλαδή.

25. *In his verbis duo nos perſpicuè docet Hipp. quæ ipſæ quoq; res vera eſſe comprobant. Vnum eſt, primas qualitates in ſubiectis alienis non diu inhærere, ſed citò promteq; pelli. Ex quo nemo non perſpicit, quam ob cauſam contagio ipſis attribui non debeat. Alterum eſt, ſecundas qualitates (inter quas putredinẽ in præſentia numeramus) diutius permanere, efficaciusq; agere primis qualitatibus: ſi præſertim calorem actionis ſuæ ſocium adeptæ fuerint. Hinc Ariſtoteles quoq; in valdè contagioſis* ὑπέκκαυμα *requirit.*

26. *Ergò contagioſi morbi ſunt, non qui vapores ex ſe emittunt ſola calefaciendi, frigefaciendi, &c. poteſtate præditos, ſed qui halitus diffundunt virtute corpora, quibus adhæreſcunt, corrumpendi inſignitos, hoc eſt, qui præter qualitates primas, quæ perfacilè abolentur ac hebetantur, vires alias pertinaciores nacti ſunt: quibus non alterare ſolùm vicina corpora, verumetiã perdere queant.* 27. *Hanc*

27. *Hanc ſiue qualitatem ſiue potentiam putredinem eſſe dicimus, his rationibus perſuaſi. Prima eſt quòd in externis ſola putreſcentia videmus vicina corrumpere putredinis communicatione: ſicut in fructibus aliiſq; rebus apparet. Secunda, quòd in omni contagione putredo cernitur: ſicut inductione oſtendi facilè poteſt. Tertia, quòd nullus quantumuis pernitioſus morbus, dummodo expers ſit putredinis, contagione in alios proſerpit: quod ſimiliter inductio probat. Quarta, quòd in omni contagio fit corruptio ſubſtantiæ, non ſecundum totum, ſed ſecundum partem ſiue particulam: idq; ſenſim. At talis corruptio eſt putredo: Sic enim Ariſtoteles ſcribit:* οὐ μὴν ἀλλὰ ἰδίως γε λέγεται σῆψις ἐπὶ τῶν κατὰ μέρος φθειρομένων, ὅταν χωρισθῇ φύσεως. *Quare cùm per putredinem duntaxat particulatim ſic diſſoluantur ſubſtantiæ (calore natiuo, qui tanquam vinculum continebat diſſipato) vt ex eis vapores putridi caloris tranſuectores tolli, & ad propinqua deferri cum contagio queant, perſpicuum eſt putredinis opera morbos contagioſos fieri.*

28. *Calor ſanè putridus non eſt ſimplex & pura caliditas, ſed in certa miſtione conſiſtens qualitas: ſicut rubedo, ſalſedo, odor, &c. Quo fit, vt ſine putri halitu, vel corpuſculo de tota per putrefactionem diſſoluta ſubſtantia eleuato, ad alia corpora tranſmeare nō poſſit. Non enim extra proprium ſubiectum inſtar primarum qualitatum (quas in ſubiecto quomodolibet temperato miſtóue inhærere poſſe ſupra monuimus: & in Antiparacelſicis demonſtrauimus) fingi debet. Aliæ corruptionis ſpecies, vel totum ſimul perdunt, vel effluuia contagium ad alia tranſportantia non progenerant. Nam ſiue igne crementur animalia, ſiue iugulentur, ſiue ſuffocentur, aut ſtrangulentur, ſiue veneno tollantur, ſiue alia ratione perdantur, nunquam exſpirans halitus qualitatem occiſionis cauſam efficaciter, propter tum antedictas tum adhuc dicendas cauſas transfert ad alia.*

29. *His addi hoc etiam poteſt, quod Ariſtotelem idem ſenſiſſe videtur. Nam cùm in Problem. quærit, cur Phthiſici cōtagio inficiant alios: non hydropici, aut epileptici, &c. ideò fieri ait, quia exſpirent* πνεῦμα φαῦλον καὶ βαρύ. *Quibus mox hæc verba ſubijcit,* τάχιστα δὲ τὰ νοσήματα ταῦτα ἅπτεται πάντων, ὅσα τούτου (πνεύματος) φθειρομένου γίνεται. *Quid aliud quàm putredinem intelligere potuit*

BIBLIOTECA NAZ. R. 'A A. VITTORIO EMANUEL

per τὸ φαῦλον & τὸ βαρὺ? Equidem ſpiritus phthiſicorum à ſpiritu Pleuriticorum, Aſthmaticorum, &c. nulla re alia differt. Clarius ſe explicat, cùm ſpiritum corruptum habere illos dicit, qui celeriter commorantes inficiunt. De qua enim corruptionis ſpecie alia loqui potuit, quàm de putredine propriè dicta. Quæ impropriè ſic vocatur, & naturali generationi oppoſita eſt, non corruptio, ſed naturalis corruptionis finis exiſtit. Naturalem corruptionem, quæ ſenſim fit ab internis ſeu naturalibus cauſis toto ætatis decurſu, certum eſt, eum non intellexiſſe. De violenta non magis accipere poſſumus, cùm in hac contagium nullus vnquam ineſſe indicauerit: ſicut iam monui. Qui enim fumi ex corpore violenter occiſo (vel pereunte) profluentes, in alijs corporibus ignes, gladios, laqueos, venena, &c. vel horum vires qualitatéſue generent? Quis neſcit ſuffocati euaporationes ſuffocationem aut ſuffocandi poteſtatem tranſportare ad alios non poſſe? Quocirca propriè appellata putredine, (quæ corruptio eſt ſecundum partem facta) ſpiritus contagioſorum corruptos eſſe exiſtimauit.

30. *Ad extremum confirmat illud quoque noſtram ſententiam, quòd contrariæ opinionis defenſores, aut nullis aut valdè leuibus argumentis noſtram oppugnant, ſuam verò frigidè nimis probant. Tam non pugnant putredinem eſſe, & vicina putrefacere, quàm non pugnant caliditatem eſſe, & proxima calefacere. Pannos non oportet putridos eſſe, ſed ſufficit, ſi ſeminarium putredinis aliunde receptum in ſe claudant. ἀπόφραξιν τοπικὴν requiri fatemur, ſed σηπεδονώδη eſſe dicimus. Sine obſtructione putredinem generari fructus computreſcentes, aliaq́ infinita probant. Rabidi canis venenum putredinis expers eſſe nequaquam concedimus. Nec defendi poſſe putamus, calorem eius natiuum ab alieno corruptum non eſſe: cùm fermè rabiei cauſa ſit æſtus. Aequè verum eſt, contagium remedijs putredinem curantibus non tolli aut impediri.*

31. *Plus difficultatis in eo non eſt, quod quidam repentè mortui feruntur in cõtagione peſtilente, cùm ſe ſanos eſſe putarent. Nam hic etiam putredinem in ſpiritibus, vel cordis humoribus, (qui nutritionis cauſa per ſubſtantiam eius diffuſi erant) adfuiſſe probant, quæ diximus. Nec mirantur docti, quod nihil ægri præcipui mali ſenſerunt. Nam*

ſerunt. Nam in Ephemera & Hectica (vel ſimili diſpoſitione) ſenſus mali propè nullus ineſt.

32. Cùm ſpiritus putreſcere negant, longius à vero diſcedunt. Etenim corpora ſunt miſta: ex ſanguine genita: & modò tenuiores ac puriores, modò turbidiores ac craſſiores exiſtunt. Quî autem dubitari poteſt, an putreſcant ſpiritus, cùm aërem putreſcere certum ſit? Ariſtoteles cap. 4. libri quinti, De generatione animalium luculentè docet, vaporem putreſcentem ſitum nuncupatum efficere: & eundem in capillis putrefactum caniciei authorem fieri. Supra eum celeris contagionis cauſam in ſpiritus putredine ſtatuere audiuimus. Illud ne mentione quidem dignum eſt, quòd ſola viuentia putreſcere arbitrantur.

33. Difficilius explicatu illud eſt, quòd non omnes è putredine orti morbi contagione in alios diſperguntur. Cauſa huius euentus non eſt ſemper vna: ſed frequenter (imò plerumq;) plures vel omnes concurrunt. Equidem vel natura vel qualitas rerum putreſcentium, vel ipſe putredinis modus, vel eiuſdem gradus, vel aliud ſimile, putredinem in alios inuadere prohibet,

34. Si res putreſcens vel ſicca nimis ſit ac lentoris expers, vel humidior quàm vt partes eius cohærere facilè poſſint, vapores emittit innoxios. Tales enim facillimè alterantur à re qualibet. Quod ſi res, ex quibus exhalant, calorem vel nullum vel non magnum & durabilem recipere natæ ſint, minus adhuc detrimenti adferunt. Cùm oſſa putreſcunt, cartilagines, ligamenta, non valde contagium cõmunicant alijs, propterea quòd vapores ex eis pauci excitantur: & neq; longius feruntur, neq; putredinem pertinaciter retinent.

35. Modos putredinis multos eſſe, nullus, puto, neſcit. Significauit hoc nobis Hippocrates cùm in 3. Epid. ſic ſcripſit: ἦν δὲ τὸ ῥεῦμα συνεστάμφον οὐ πύου ἰχῶδες, ἀλλὰ σηπεδών τις ἄλλη. *Intelligimus idem ex Ariſtotelis ſcriptis, atq; ex nuper citato loco. Non minus perſpicimus ex quotidianis euentibus. An nõ ſubinde quædam ita putreſcunt, vt ex ipſis nihil generetur? Quis neget aliam eſſe ſanguinis putredinem, cùm in pus mutatur, quàm cùm in grumum corrũmpitur? An non eſt alia putredo vini, qua in acetum permutatur, ab ea, qua in vappam inutilem conuertitur? Sic aliter putreſcunt carnes, cùm à*

cauſticis & venenatis corrumpuntur, quàm cùm alia ratione naturam ſuam perdunt. Equidem res pleraſq; aliquando cum magno calore, aliquando ſine euidente ac valdè ſenſibili caliditate putreſcere cernimus, quod in hoc negotio præcipuè notandum eſt. In qua enim putredine puſillus calor eſt, vapores generans, ea minus quoq; diffunditur.

36. Gradus in putredine qui negat eſſe, ignarus eſt rerũ omnium. Quædam leuiter ſolùm putreſcunt: quædam longius progrediuntur: quod non ſolùm in humoribus noſtris obſeruamus, verumetiam in pyris quibuſdam, meſpilis, cornis, ſorbis alijſq; compluribus deprehendimus. Nam ex his aliqua vix ſunt edendo antequam putredinis gradum aliquem conſecuta ſint: quæ ſi putreſcunt vlterius, ingrata, inutilia, pernitioſa euadunt.

37. Etſi ergo tantùm putridi morbi contagioſi ſunt, tamen & ſub certo gradu, & certo modo putridos eſſe, ac in materia etiam ineſſe oportet, quæ in halitus ſoluatur, neq; nimis ſiccos, neq; nimis humidos & aquoſos, ſed viſcoſos & putridam caliditatem conſtanter conſeruare potentes. Conſuetarum febrium putridarum fumi vel propter omnes, vel aliquas ex his cauſis tantùm calefacere, ac proinde contagionis expertes eſſe videntur.

38. Eſt ergo contagium putrida caliditas ſubiectum in vapores diſſoluens ægrè mutabiles ſiue alterabiles, eandem ad vicina corpora qualitatem tranſportantes. Morbi autem contagioſi ſunt, quicunq; inſignem habent putredinem: atq; ex ſubſtantia putrefacta, cui inhærent, vi caloris ſui flatus calidos multos, putredinem diu ſeruare aptos, diffundere poſſunt.

39. Sic igitur fit contagij propagatio. Alienus calor in hominis certi ſanguine, exempli gratia, per occaſionem aliquam receptus, eundem, (calore ingenito profligato) putrefacit, ac ſubſtantiam eius diſſoluit. In hac diſpoſitione partes eius aliquæ euaporant eiuſdem caloris participes: quæ ad ſanguinem conſimilis temperamenti perlatæ, (quacunq; id ratione factum putetur) eum ſic inficiunt, quomodo primum corrupiſſe diximus: id eſt, ſimilem ſiue eandem ſpecie putredinem inducunt. Vbi enim efficiens & materia non diſcrepant, idem ferè conſequitur effectus.

40. Cauſa

40. *Cauſa ex his elucet,cur alij alijs facilius ab ægrotantibus contaminentur:cur à certo morbo certæ ſolummodo partes præcipuè inquinentur:cur eadem contagio non in quæuis animalia graſſetur. Sicut enim vapor ex putrido pomo elatus,non ligna,non pannos,non homines,nō fructus quoslibet,ſed temperatura ſimiles:præſertim eiuſdem ſpeciei,promptè corrumpit,ita ex putrefactis pulmonibus exſpirans halitus ferè ſolos pulmones putrefacit. Sic flatus ex corrupto ſanguine exhalans ſanguinem celerius perdit. Sic ſanies ex putridis cutis humoribus exſudans,cutaneos humores contactu ſuo præcipuè commaculat. Idem de cæteris quoq; eſt iudicium.*

41. *Quod ex contagioſis morbis alij exitioſi ſunt,alij periculo carent,tum putredinis qualitas & modus,tum rei putreſcentis natura efficiunt. Morbus gallicus magis nocere videtur putredinis qualitate quàm partium,quas primò corripere ſolet,præſtantia. Phthiſis non tam propter ipſam putredinis qualitatem quàm propter pulmones,quos vitiare conſueuit,obeſt. Scabies neutro modo metuenda eſt. Febris peſtilens vtroq; noxiam adfert. Nam ſpiritum,ſanguinem,cor præcipuè contaminat,& putredinem habet vitæ noſtræ ſummè repugnantem.*

42. *Morbos hæreditarios non rectè in contagioſorum cenſu poni facilè ex dictis perſpicitur. Etenim per contagionem non ipſum Eſſe,ſiue generationem,ſed potius Non eſſe,ſiue corruptionem acquirimus. Præterea qui generat,cum ſemine aptitudinem ſolam ad certos morbos transfundit ingenitum:at qui contagio afficitur,habilis prius fuit. Ideò enim contagio non quaslibet partes aut quoſuis obuios vincit:quia non ſunt ad patiendum ſimiliter omnes apti.*

43. *Nec minus ille quoq; morbus per contagium factus perperam dicetur,qui ex aëris praua qualitate primùm genitus fuit:dum nulla in eo exſpiratio putrida è morbido corpore profecta ineſſet. Quippe aëris corruptio qualis qualis ea ſit,morbus non eſt:nec ægrotare aër dicitur,cùm propriè loquimur. Principium & cauſa contagioſi morbi rectè vocabitur aëris vitium:contagiū non rectè nominabitur. Tūc enim contagium factum rectè dicimus,cùm inquinans et inquinatum ſimili morbo laborant. Aërem autem quis febrire præter Paracelſicos opinetur.*

44. *Impropriè etiã laborare per contagium cor, exempli cauſa, dicitur, quando putredo ex alijs partibus, in quibus fortè incepit, ad ipſum arrepſit. Nam contagium inter duo animalia, non inter animalis eiuſdem partes, aptè ſolum conceditur ab ijs, qui hanc rem accuratè examinarunt.*

45. *Non impropriè ſolùm, verumetiã abſurdè loquuntur, qui cerebrũ per contagium vexari ai t, quoties aura frigida ex pedibus aſcendens in cerebrũ, Epilepſiam efficit. Quis enim pedes Epilepſia laborauiſſe putet, antequam ad cerebrũ aura illa perueniſſet? At oportet eundem ſpecie morbum in contaminante & contaminato eſſe. Adde, quod ſine putredine contagium non eſt. Quare cùm hic vapor non ſit neceſſario putridus, ne Epilepſia quidem talis neceſſariò à putredine orta putabitur.*

46. *Reſtat adhuc vnum explicandum, quod iam olim doctos exercuit, cur, ſi putridus vapor ab ægris ad ſanos putredinem efficacem tranſportat, non etiam ſalubris halitus ſanitatatẽ infectis reſtituat? Nõ minus enim pertinaciter hic quã ille ſæpius inhæret, quod odorati fumi firmè ac dilucidè probãt. Reſponſio dialectica fuerit, plura requiri ad constructionẽ quàm ad deſtructionẽ: et in plerisq; rebus citius bona malis cedere quã bonis mala. Propius ad quæſitæ rei naturam accedit, ſi nõ mediocritatẽ exceſſũ, ſed hũc illã i .cere, dicatur. Morbos aũt exceſſ⁹ eſſe, ac ſanitatẽ in mediocritate cõſiſtere certũ eſt. Quocirca poterunt morbidæ excretiones excedentẽ in ſe qualitatẽ habentes mediocritatẽ corrumpere, ſalubres exſpirationes, quarũ potentia remiſſior eſt, morbos tollere nõ poterunt. Quare non mediocria extremis, ſed extrema extremis in curationibus rectè ſolemus opponere.*

47. *Quod ſi tota totius corporis virtus & potentia morbi generationem non potuit prohibere, quo pacto exhalatio minus, aut non amplius, viriũ habens genitũ profligauerit? Adde quod naturæ morbos, maximè verò factos, curant, non remedia: niſi quatenus inſtrumenta ſunt naturæ operantis, ſed halitus è ſanis effluentes naturæ facultates robuſtiores aut potentiores quã ante morbũ fuiſſent, reddere nulla ratione valent, quod perfacilè ij intelligunt, qui, quomodo & à quibus naturæ vires collapſæ aut oppreſſæ inſtaurentur, non neſciunt.*

48. *Veriſſima ſolutio hæc eſt, quod in quauis cõtagione ſubſtantiæ*

alicuius

alicuius corruptio ſit, quæ nec à natura, nec à remedijs corrigi (in miſtis enim fruſtra exſpectatur regreſſus à priuatione ad habitum) ſed ſola corruptæ ſubſtantiæ ablatione emendari poteſt. Cæterum vapores ſalubres non exturbare poſſe corrupta, controuerſia, puto, caret. Hoc enim naturæ ſolius eſt munus & officium. Tantum porrò abeſt, vt pauci halitus naturam à morbo oppreſſam erigant, vt citius ipſi quoq; inficiantur, vel certè diſſoluantur, quod facillimè & citiſſimè fieri ſolet.

49. *Adde quod ex ſanis corporibus emanantes* ἀπόῤῥοιαι, *non ſic omnem corporum, quorum ſunt effluuia, poſſident facultatem, quomodo putridæ* ἀποκρίσεις *totam putrefactæ ſubſtantiæ potentiã & proprietatem continent. Quippe ſeminis rationem habent hæ: quod de illis indicari non poteſt. Nihil enim poſſunt aliud, quàm tepidè calefacere.*

50. *De odoratorum exhalationibus idẽ fermè ſtatuendũ eſt. Etenim odor cùm ſit qualitas in certa miſtionis proprietate ſubſiſtens, extra propriũ ſuum ſubiectũ fingi nec debet nec poteſt. Quocirca non poterit odorata res per effluxiũ ſuũ odorem eundem in aliter miſto corpore ingenerare, niſi eadẽ illam miſtionis ſpeciẽ in ipſo gignat, quam ipſa ſortita prius fuit. Iam verò quæ miſta ſunt eodẽ modo, ſpecie nõ differũt, ſed cõueniunt. Fieri enim non poteſt, vt materiæ duæ ſimiliter temperatæ diſcrepantes formas participent. Quare vt odor idẽ in alienõ corpore naſcatur, generationẽ præcedere oportet. Vt aũt generatio fiat, loco certo, materia determinata, & effectore definito opus eſt. Odor igitur roſæ (exẽpli gratia) produci in re alia nulla poteſt quàm in roſa & à planta roſas ferente. Spiritus odoratus ex roſa exſpirãs plurimũ quoq; differt à calore illo, qui roſæ author & effector eſt. Sanè odorẽ roſa, nõ cũ naſcitur, ſed circa maturitatis tempus primùm acquirit. Omnia igitur cùm deſint veſtibus, (has enim pro exemplo nunc ponamus) quæ ad roſæ generationem neceſſaria ſunt, roſæ odor ab odorato roſarum halitu procreari in veſtibus nullo vnquam tempore poterit. Hic ergo odor roſæ in veſtibus ſolùm reperitur, quem halitus ex roſis profecti in ſe retinent. Ratio alia eſt corruptionis: quæ quouis loco à plurimis & diuerſiſſimis cauſis efficientibus ſuſcitari in re qualibet ferè poteſt.*

DISPVTATIO XIV. RESPONDENTE *Ieremia Eyſenmengero Brettano.*

De Singultu.

SINgultus eſt motus Stomachi violentus,(ac quædam veluti conuulſio) ab expultrice facultate noxia volente extrudere, excitatus.

2. Hinc motus licet eiuſdem generis ſit cum vomitionibus, fortior tamen illis ac vehementior eſt: vt per quem ventriculus conetur noxia expellere, quæ in corpore & ore eius infarcta ſunt: ſicut Galenus docuit.

3. Additum eſt in deſcriptione ſimilem eſſe motum conuulſioni: quia vera conuulſio non eſt. Hæc enim ſolummodo in muſculis aut neruis fit. At ventriculus aut ſtomachus nec muſculus eſt, nec neruus.

4. Adde quòd in ſingultu ventriculus primùm dilatatur, ac deinde conſtringitur: itaque noxia, quæ in ſe continet, motu violento expellere tentat: quæ in conuulſione vera non ſemper cernuntur.

5. Conuulſio quoque omnibus in partibus, in quibus motus voluntarius eſt, fieri ſolet: ſingultus ſolius ventriculi & oris eius paſſio eſt.

6. Hippocrates inſuper & Galenus cùm his tùm alijs rationibus moti, à conuulſione ſingultum, velut diuerſum affectum diſtinguunt.

7. Etſi verò cum Galeno fatemur non vnius facultatis Expultricis motum violentum eſſe, ſed & Retentricis: primò tamen Expultricis, & ſecundò Retentricis eſſe dicimus.

CAVSAE. *8. Accidit hoc ſymptoma multis de cauſis: Ob Repletionem ſcilicet, Inanitionem, Qualitatem frigidam, Humorem aut Vaporem mordicantem, ex cibo, ſemine, alióue ſucco corrupto, natum, Cibos deniq; pungente qualitate præditos.*

9. Et aliquando quidem ventriculi proprius & primarius affectus eſt: nonnunquam per conſenſum aliarũ partium, videlicet Hepatis, Cerebri, Vteri, Meſenterij, &c. gignitur.

SIGNA

SIGNA. 10. *Signa cauſarum omnium, quia plerunq; & pleriſq; Medicis, imò etiam Idiotis, manifeſta ſunt, ſtudioſè hîc omiſimus.*

PROGNOSTICA. 11. *Si ſingultus vomitu non finitur aut diſcutitur, ac erubeſc. aut oculi, cerebri (interdum & ſtomachi) inflammationem ſignificat.*

12. *Singultus ex Inanitione, aut morbo acuto, malum.*

CVRATIO. 13. *Quamuis remedia quædam ſingultus vniuerſalia omnibusq; ſpeciebus conuenientia enumerentur & laudentur à Platone, atq; alijs quibuſdam, non tamen ea ſemper iuuant. Etenim tunc ſolum proſunt, cum mali cauſa breuis eſt, ac imbecillis: & ab ore ventriculi facilè depellitur.*

14. *Sunt autem hæc: Retentio ſpiritus, Collutio faucium aqua frigida, Sternutatio. His addunt alij compreſſionem pollicis medico digito, Subitum pauorem: & huius generis alia.*

15. *Certius iuuant in perſeuerante malo particularia auxilia, cauſis mali oppoſita. Quanquam non inficiamur, quædam eſſe, quæ vtiliter in omni cauſa adhiberi poſſunt: vt clyſmata, ligaturæ, & ventriculi lata faſcia, compreſſio. Sic in omnibus propè ventriculi affectibus (niſi ex toto corpore humor aliquis in eundem ſubindè confluat) confert leuis purgatio.*

16. *Ad particularia quod attinet, variant ea pro varietate cauſarum. Et à plenitudine quidem orti ſingultus optimum eſt remedium vomitus. Craſſi autem humores, oxymelite ſcillitico, decocto calaminthes, marrubij, ac ſimilium, extenuandi, incidendi, calfaciendi, & extergendi erunt.*

17. *Poſtea quæ alio humorem abducunt, aut euacuant, adminiſtranda ſunt: vt ſunt purgantia, clyſteres, frictiones externarum partium, cucurbitulæ, cum magna flamma thoraci, ventriculo, & dorſo, affixæ.*

18. *Conuenit etiam deambulatio longa & concitata, geſtatio, atque adhuc magis equitatio. Præterea ſternutatio eis conuenienter excitatur. Sic quoq; vociferatio & detentio ſpiritus illis conferunt.*

19. *Ventriculus denique intrinſecus & extrinſecus medicamentis roborandus eſt. Intrinſecus per antidota corroborantia. Extrinſecus vnguentis, emplaſtris, & ceratis.*

20. *In calidis & erodentibus conferunt detergentia, vomitus, purgatio. Poſt hæc etiam ſtupefacientibus aliquando locus eſt: quibus in affectu non peſsimo ἐπικεραστικὰ ſunt præferenda.*

21. *Stupefaciunt autem refrigerantia: in quem vſum philonium, aut pilulæ de cynogloſſa exhiberi poſſunt: quæ hoc in vitio mirificè conducunt.*

22. *Obtundunt mordacitatem ſuccus intybi ſatiui potatus: ſemen cucumeris excorticatum tritum ac bibitum: ſemen lactucæ eodem modo ſumptum. Maximè tamen omnium præſtat lac aſininum recens mulctum & potum, Aëtio teſte.*

23. *Eadem hæc proſunt, ſi ex cibis in mordacem qualitatem corruptis aliquis ſingultiat: vomitu tamen præcedente.*

24. *Par ratio eſt ſingultus, qui à ſeroſis quibuſcunq; & medicatis humoribus Stomachum mordentibus, nec non cibis facultate ſimili donatis, fortè ſuſcitatus fuerit.*

25. *Porrò ſingultus ab Inanitione generatus per alimenti conuenientis aſſumptionem ſanatur.*

26. *Si perſeueraret alui profluuium, vel ſanguinis fluor, &c. eiſdem proſpiciendum foret, oleo amygdal. dulci per ſe dato, vel cum aqua tepida: ptiſſana eiusq; cremore: contuſa pullorum carne: deniq; ijs, quæ facilè tum coquuntur tum diſtribuuntur: ac probè nutriunt. In his quoq; danda eſt opera, vt cauſæ Inanitionis alimenta ſint oppoſita, quoad fieri poteſt.*

27. *Cæterum mordacibus rebus ſingultum excitantibus, primum, ſufficiens ipſum vomitum remedium reperimus: deinde ſenſus ſtupefactionem: & morſus inferentium alterationem.*

28. *Verum ſi fiat ob ipſius ventriculi aut alterius viſceris inflammationem, ex eiuſdem inflammationis curatione ſedabitur. Intelligendum eſt hoc de alijs quoq; affectionibus, quibus ventriculus conſentiens laborat. Anno* 1574.

DISPVTATIO XV. RESPONDENTE *M. Theophilo Madero.* 1575.

De Morbis totius ſubſtantiæ.

EXCEL-

EXCELLENTE DOCTRINA ET VIRtute viro, *D. Iohanni Euichio, Medico exercitatiſſimo, Thomas Eraſtus.*

DISQVISITIO de totius ſubſtantiæ morbis, prima ſpecie non magni videtur eſſe momenti, Euichi doctiſſime: quæ res effecit, vt non valde ſolicitus in hac parte fuerim, tametſi vehementer iam olim optarim à viris doctis expendi & ventilari. Poſtquam obſeruaui quantam ſecum ruinam traxerit, nec quenquam prodire animaduerti, qui onus hoc in ſe reciperet, facere non potui, quin boni publici cauſa eam Doctis omnibus publicè diſceptandam proponerem: & ita quidem proponerem, vt ampliſsimam cogitandi materiam ſimul exhiberem. Hanc ob rem, quæ conciſè & breuiter comprehendi poterant, fuſius perſecutus ſum: nihil omittens eorum, quæ ad præſentis diſputationis illuſtrationem conducere viſa ſunt. Etſi verò non puto, Paracelſum, aut æquè rudes eius Diſcipulos, huius quæſtionis occaſione inſanire cœpiſſe, tamen certò ſcio, ſemidoctis quibuſdam à vera Medicina turpiſsimæ defectionis cauſam hinc eſſe ortam. Hi cùm totius ſubſtantiæ morbos extare veteribus incognitos audiuiſſent, ac eoſdem non alijs quàm occultis quibuſdam remedijs expugnari legiſſent, nimis leuiter Paracelſo crediderunt, Tincturas, Quintas eſſentias, Arcana, Magiſteria, &c. illa remedia eſſe, quibus ſolis cùm alij omnes, tum ſubſtantiæ morbi profligari valeant. Vides, quòd non modò vtilis, verumetiam neceſſaria ſit huius rei explicatio? quodq; operæpretium faciat, quiſquis huc aliquid contulerit? Confido itaque non te ſolùm, quàm mihi in excutiendis Theſibus de contagio operam & beneuolentiam nauaſti, in his etiam cenſendis & iudicandis nauaturum. (Noui egregiam doctrinam tuam, præclarum ingenium, firmum iudicium, incredibile veritatis ſtudium) ſed & alios omnes veritatis amatores, publicæque ſalutis ſtudioſos idem facturos: præſertim cum ſummi quidam viri nuper tàm beneuolè ac liberaliter ſuas de contagio cogitationes grauiſsimas & eruditiſsimas nobis expoſuerint. Cauſam agimus, non priuatam noſtram, ſed publicam. In qua qui nos iuuabunt, non nos tantùm immortali beneficio ſibi obſtringent, verumetiam de arte Medica, adeoque de toto humano genere benè merebuntur. Vale.

Morbi omnes in corporis noſtri partibus, vt in proprio ſuo ſubiecto inhærent. Partium autem duo ſunt genera ſumma ſimilares videlicet atq; inſtrumentales. Totidem quoq; morborum genera eſſe oportet: ſi pro varietate ſubiectorum rectè diſtinguuntur propria eorum accidentia. Morbi igitur omnes ſunt aut ſimilares aut inſtrumentales: præter continuitatis ſolutionem. Quæ, quia vtriſq; accidere poteſt, communis eſt ambarum morbus.

2. Quòd ſi morbi aliqui vel materiæ, vel totius ſubſtantiæ exſtāt, neceſſarium eſt, vt vel ad ſimilares, vel ad inſtrumentales, vel ad communes referantur.

3. Cæterum non cenſeri totius ſubſtantiæ morbos inter inſtrumentorum vitia, ex eo liquet, quòd ad inſtrumenti integritatem & perfectionem (quæ in iuſta partium conformatione, magnitudine, ſitu et numero conſiſtit) tota ſubſtantia nequaquam pertinet.

4. Eadem ratio in continuitatis ſolutione locum habet. In hac enim qui totius ſubſtantiæ morbos quæret, totam partiū ſubſtantiam nihil eſſe aliud ſtatuere oportet quàm earundem continuitatem. Quanquam ne ſic quidem vſum aliquem haberet iſta morborum multiplicatio. Quippe vnitas partium aliter lædi nequit quàm diuiſionis modis illis, qui à veteribus enumerati ſunt.

5. Quare ſequitur, totius ſubſtantiæ ac materiæ morbos (ſi qui tales exſiſtunt) inter ſimilarium partiū morbos collocari debere, quòd & horum inuentores nobiſcum profitentur. Quod autem ſimilares partes, quoad ſimilares ſunt, non ſola intemperie vnitatisq; ſolutione laborent, ſed et alios inſuper morbos ratione materiæ, ac totius ſubſtantiæ, patiantur, his fermè rationibus demonſtrare aliqui conantur.

6. In quibus ſanitas partium conſiſtit, aiunt, in eiſdem morbus quoque reperitur. At ſimilarium ſanitas conſiſtit in partium ſingularum materia, temperamento & forma ſeu ſpecie. Quamobrem tria ſtatui oportet ſimilarium morborum genera: vnum materiæ: alterum temperamenti: tertium formæ ſeu totius ſubſtantiæ.

7. Ad materiam pertinent nimia durities aut mollities: craſſities aut tenuitas: denſitas aut raritas: adſtrictio ſeu tenſio aut laxitas. (His aliqui perperam addunt ſenſus acutiem atq; dolorem.) Quod enim

enim propter hæc, temperamento non mutato, partium actiones lædantur, multa oſtendũt: vt, quòd ventriculus aliquorum nec acetum, nec ſinapi fert: quòd odoribus certis aliqui mirificè vel iuuantur, vel offenduntur, quòd morbi ventriculi, iecinoris, &c. adſtringentia perpetuò poſtulant: quòd vires Galenus aſſerit in ſpiritus, carnis & ſolidarum partium iuſta quantitate & qualitate conſiſtere: quòd immoderatè laxantia vires idem diſſoluere ait: quòd tenuitatem cerebri ingenij felicioris cauſam conſtituit.

8. *Iam quòd totius quoq; ſubſtantiæ morbi dentur, illud primùm probat, quod veriſimile prorſus eſt, ſic partes agere, quomodo Struthij venter. Hic autem ferrum coquit, non caloris elementalis aut inſiti temperamenti ratione, ſed totius eſſentiæ natura. Deinde quòd Galenus etiam ſubtilius philoſophatus temperationem à tota ſubſtantia diuerſam ponit. Item, quod libro 2. ad Glauc. immoderatè laxantia robur ſoluere, refrigerantia calorem exſtinguere, qualitates extraneas vim & facultatem debilitare ſcribit: quo in loco tria morborum genera in ſimilaribus manifeſtè ſedibus diſcludit. Item quòd idem* στερεὼ ὑπόκεισιν *affirmat magis totius ſubſtantiæ proprietate, quàm nota qualitate nocere. Denique quòd medicamenta totis ſubſtantijs morbos ſimilarium partium pellentia inueniri aſſeuerat. Cùm itaque omnis actio ſit ex contrarijs ſub vno eodemque genere comprehenſis (ac fieri non poſſit, vt aut qualitas in ſubſtantiam aut ſubſtautia in qualitatem primùm & per ſe agat) neneſſum eſt, vt qualitatibus ſuis qualitates noſtri corporis, & tota ſubſtantia totam partium ſubſtanciam primò afficiant. Hoc autem quî poſſet contingere, ſi nullus totius ſubſtantiæ morbus exſiſteret?*

9. *Alij quidam ſic idem probant. Similaris pars viuens & agens, præter materiæ & temperamenti ſimilem ſubſtantiam, formam in ſe habet occultiorem, qua eſt os, caro, neruus: quaq; viuit. Patiuntur igitur duplices morbos, quoad ſunt ſimilares, & quoad inter ſe differunt ac viuunt. Hos vel morbos totius ſubſtantiæ, vel formæ, vel alio modo nomines licet: modò non ignores, ſingularum partium formam actionum earundem (magis quàm temperiem) cauſam exiſtere: & quemadmodũ virtus & robur eis ſeruatur accepta, ſic vita quædam in eis ſtatuenda eſſe.*

10. *Huius proinde generis morbi ſunt, quicunq; nec materiæ nec temperamento aptè attribui poſſunt: quales ſunt febres putridæ: & peſtilentes: morbus Gallicus: contagioſi: venenati: & maligni alij.*

11. *Vt quàm vera ſint iam dicta perſpiciatur, ſcire primùm oportet, quid ſit tota ſubſtantia. Horum morborum inuentores, hac in re, vt in pleriſq; alijs, quas nouare voluerunt, non ſibi conſtant. Primùm dicunt eſſe perfectionem & integritatem, qua res vnaquæq; conſiſtit. At conſiſtunt res ſuis formis in materia ritè concinneq; præparata: nec alia re vlla opus habent ad eſſentiæ ſuæ conſtitutionem. Nihil ergo aliud fuerit iſtis tota ſubſtantia, quàm compoſitũ ex materia & forma.*

12. *Deinde cùm ſpiritus & innati caloris diſſolutionem à vigilijs, laboribus, inedia, ſtrangulatu, extremo et penetrabili frigore factam, totius ſubſtantiæ morbum nuncupant, ſpiritum & calorem inſitum nomine totius ſubſtantiæ intelligere videntur. Quò illa verba etiam ſpectant: Neceſſe eſt alias haberi cauſas, quæ diſſoluto temperamento putredinem inuehunt, alias eſſe, quæ innatum calidũ exſtinguunt atq; diripiunt. Hæc autem diſſolutio, eſt totius ſubſtantiæ corruptio. Item, venenorum ferocia, in natiuum noſtrum diuinumq; calorem, ipſumq; vitæ principium maximè ac primùm ſæuit.*

13. *Ideò autem videntur ſpiritum atque calorem totam vocare ſubſtantiam, quia ſibi (verbis quibuſdam Ariſtotelis peſſimè intellectis decepti) perſuaſerunt, originem eorum cœleſtem eſſe, non Elementarem: atq; animam & facultatem eius in vniuſcuiuſq; partis innato ſpiritu & calore inſitas principales actionum omnium cauſas exiſtere. Quoniam igitur ſpiritus cum ingenito calore lædi adeoq; diſſipari (temperamento vel nullo modo, vel leuiter offenſo) atq; eo modo actiones ac vitam ipſam tolli iudicant, horum exſtinctionem totius ſubſtantiæ morbum nominant.*

14. *Aliter rurſus loquuntur, quando cum congenito calore formam & facultates coniungunt: & compoſitum ex ſpiritu, calore, forma & facultatibus, totam ſubſtantiam appellant. Totius verò ſubſtantiæ nomine, inquiunt, & inſitum calorem, & facultates, ipſamq; formam complectimur. Hæc & illa referri ex parte aliqua poſſunt: Partis autem tota ſubſtantia eſt, quam & ſpeciem, & interdum facultatem appellamus.*

appellamus. Item, quando ſpirituoſam in nobis ſubſtantiam ad formam, carnoſam & ſolidam ad materiam referunt.

15. *Iidem non rarius totam ſubſtantiam dicunt eſſe formam, ſiue ſpeciem: vt ex antè citatis patet. Nec aliud ſenſere, cùm in ſimilari parte morbos quoſdam materiæ, nonnullos temperamenti, deniq; aliquot totius ſubſtantiæ ſtatuerunt: quia in ea inſint Materia, Temperatio, & Forma. Item quando ſic ſcribunt: Cauſæ totam rei ſubſtantiam primùm & per ſe inuadentes, totius ſpeciem exterminant, parum admodum læſo temperamento. Deniq; cùm toties nobis inculcant, nihil intereſſe, ſiue tales affectus totius ſubſtantiæ, ſiue formæ aut ſpeciei morbos vocemus, &c.*

16. *Rurſus cùm putredinem aſſerunt morbum eſſe totius ſubſtantiæ, aliud à forma videntur per totam ſubſtantiam intelligere. Etenim putredo eſt affectus corporis miſti, quoad miſtum eſt: non aut formæ, aut miſti, quoad formæ particeps eſt: Quamobrem nihil aliud hoc pacto accepta tota ſubſtantia fuerit, quàm proprietas miſti.*

17. *In hac ſignificatione vtitur paſſim Galenus nomine totius ſubſtantiæ: quòd in eius lectione cum iudicio aliquo verſatis notiſſimum eſt. In præſentia ſufficiat vnum illum locum citaſſe, qui in 4. de ſimplic. pharmac. pot. cap. 15. legitur, vbi tam clarè docet, quid per totam ſubſtantiam intellexerit, vbi clarius docere vix alius poſſit, &c.*

18. *Quod totius ſubſtantiæ nomine Galenus expreſſit, hoc Auicennas initio lib. 2. Canon. complexionẽ ſecundã nominauit: Ariſtot. principio lib. 2. de part. animal. ſecundam compoſitionem, (δευτέραν σύνθεσιν, ἢ σύστασιν) vocauit. Alij vel ſubſtantiæ, vel materiæ ac temperamenti cuiuſq; rei proprietatem nuncupare ſoliti ſunt.*

19. *Errant ob id plurimum, qui morbos totius ſubſtantiæ ex Galeno volunt probare, atq; aliud per totam ſubſtantiam intelligunt ab eo, quod Galenum ſic nominare diximus. Nec ſpeciem ſeu formam ſic vocauit Gal. nec ex materia & forma ſubſtantiæ effectrice (quam in plerisq; rebus ne eſſe quidem putauit) compoſitum: multò minus ſpiritum & congenitum nobis calorem ita nominauit: ſed cuiuſq; rei materiam propriam aptè temperatam iſto nomine extulit.*

20. *Scire poſt hæc conuenit, quid propriè ſit pars ſimilaris, & quid inſtrumentalis: item quæ ſit actio ſimilaris, & quid inſtrumentalis: & quod earum ſit diſcrimen. Equidem non quicquid in ſimilari parte ineſt, ipſi tanquam ſimilari ineſt: ſiue ad naturam ſimilaritatis (liceat mihi ſic loqui) ſpectat. Etenim magnitudinem, figuram, &c. habent etiam ſimilares partes: quæ tamen ad earum naturam, quoad ſimilares ſunt & dicuntur, non pertinent. Eodem modo non quoduis in ſimilari parte vitium inhærens, actionemq́ impediens, pro morbo ſimilari habendum eſt: ſed illud ſolùm, quod actioni eius, quoad ſimilaris eſt, impedimentum adfert.*

21. *Cæterùm partium viuentium (de his enim agimus) aliæ vocantur ſimilares, aliæ inſtrumentales: propterea quòd actionem edere poſſunt vel ſimilarem vel inſtrumentalem. Quæ neutrius eſt inſtrumentum, homonymως ſic nominatur: vt ſcitè docuit Ariſtoteles. Hac de cauſa illis deſcribendæ ſunt rebus, quæ ad actionem earum conferũt. Videndum proinde initio eſt, quæ & qualis actio ſit ſimilaris, aut inſtrumentalis.*

22. *Actio purè ſimilaris tres in ſe conditiones habet. Vna, quòd à partis ſuæ temperie inchoatur. Altera, quòd ab eadem etiam abſoluitur. (Multæ namq; actiones à temperatione quidem principium ducunt, quæ ab eadem ſola non perficiuntur.) Tertia, quòd abs qualibet ſimilaris partis particula integra & perfecta editur. Actio enim ſimilaris, ſicut aliæ ſubſtantiarum proprietates, cum corpore ſuo diuidua eſt: atq; in omnibus particulis ex æquo inſidet. Colligitur hinc, illud, quod actionis ſimilaris cauſa eſt, æqualiter per omnes eius particulas extenſum eſſe: non in vna magis, quàm in alia, inhærere.*

23. *Purè inſtrumentalis (ſunt enim ex ſimilaribus & inſtrumentalibus miſtæ, vt ſic dicam, actiones plurimæ) ea eſt, quæ à temperie ſola nec inchoatur: nec abſoluitur: nec niſi à toto inſtrumento perfecta editur. Etenim inſtrumentalis actio à certa totius inſtrumenti magnitudine, figura, numero, ſitu, & connexione cum alijs, (quæ extra totum inſtrumentum inuenire aut fingere nullus poteſt) duntaxat perficitur. Quo etiam fit, vt totius inſtrumenti & partium eius nec nomen nec ratio ſit eadem.*

24. *Quare pars ſimilaris ea fuerit (cùm propriè loquimur)*

cuius particulæ omnes eandem habent cum tota naturam, definitionem, & nomen: ſiue quæ non in alias, quàm eiuſdem naturæ ac nominis partes, diuidi poteſt. Nam quæ in partes ſpecie differentes (aut non eandem vim & potentiam ſeruantes) diſtrahi poteſt, actionem ſimilarem non edit. Quamobrem nec ſimilaris dici debet.

25 Inſtrumentalis econtra dicitur, quæ tota ſolùm, partibus ſuis omnibus iunctis, inq; vnam eandemq; actionem conſpirantibus, actionem perfectam edit. Huius particulæ & partes, quia eandem cum tota actionem edere nequeunt, nec nomen & eſſentiam, nec poteſtatem totius obtinuerunt: cuius rei gratia ſpecie à tota manifeſtè differunt.

26. Illud præterea nouiſſe expedit, quódnam illud ſit, à quo actiones proximè manant. Quippe neceſſarium eſt, ſi morbus ſit affectus primò lædens operationes, vt eius rei ſit vitium, quæ proxima eſt actionum cauſa. Quamobrem ſi compertum habebimus, quot & quæ ſint actionum proximæ cauſæ in ſimilaribus, illud etiam intelligemus, in quot & quibus rebus ſimilaris morbus ſit quærendus. Actio porrò vno modo conſiderari poteſt, vt ſimpliciter eſt actio: non hæc vel illa actio. Altero, vt eſt certa & definita aliqua ſpecies: vt viſio, auditio, ambulatio, ciborum concoctio. Tertio, vt eſt laudabilis vel illaudabilis actio. Differunt enim tria hæc, Actio ſimpliciter ſeu generaliter accepta: Actio ſpecialis ſiue determinata: & actio bona vel mala.

27. Animam principium & cauſam actionum omnium eſſe, confeſſum eſt cunctis. At per ſe conſiderata, cauſa dici poteſt actionis generaliter intellectæ: quod fermè tantundem eſt, ac ſi nullius dicas. Nam ſicut genera ſeorſum non extant (niſi quatenus νοήματα intellectus noſtri ſunt) ſed in ſpeciebus ſolummodo ſubſiſtunt, ſic actio ſimpliciter accepta nulla eſt: niſi quæ in definitis ſiue ſpecialibus actionibus ineſt. Actionis porrò certæ author eſt Anima: ſed non ſine inſtrumento actioni edendæ deſtinato: ſicut Ariſtoteles libro primo de Anima capite tertio demonſtrauit. Vt ſine inſtrumentis nullius ipſa determinatæ actionis cauſa eſt, ita cum diuerſis diuerſarum, cum omnibus omnium (vna ſecundum eſſentiam exiſtens) principium

eſt ac dicitur. Actiones enim ſunt compoſitorum, nō componentium, ſicut omnibus omnium ſeculorum intelligentibus rectè viſum eſt.

28. Quia verò impoſsibile eſt vel fingere aliquod inſtrumentum, quod neq; conuenienter naturæ, neq; inconuenienter affectum ſiue diſpoſitum: ſiue quod neq; ſanum ñeq; ægrum ſit; (contrariorum enim medio carentium alterū ineſſe in ſubiecto, circa quod verſantur, prorſus eſt neceſſarium) impoſsibile quoq; eſt, actionem aliquam fingere, quæ neq; congruens neq; incongruens, id eſt, quæ nec bona nec mala ſit. Sanitas igitur atq; morbus cauſæ proximæ ſunt omnium actionum.

29. Quocirca non poteſt fieri, vt pars viuens ſeu animata, ſecundùm naturam affecta ſit, atq; actionem edat malam: ſicut è contra fieri nequit, vt actio aliqua ſit vitiata, quandiu eius inſtrumentum aptè congruenterq; diſpoſitum eſt. Quippe vel non rectè definierunt morbum veteres, (quando affectum eſſe dixerunt actiones primò lædentem) vel neceſsitatem habent, quæ diximus. Etenim effectus cuiuslibet vnius, cauſa propinquiſsima non eſt niſi vnica: licet antecedentes poſsint eſſe plures. Iam quia morbi definitio rectè tradita eſt, conſectarium eſt, vt partium diſpoſitione vitiata, neceſſariò pro vitij qualitate & quantitate oblædantur earundem actiones: & actione partis alicuius oblæſa, vitium inſit in inſtrumento eius. Nec minus neceſſarium eſt, vt diſpoſitione cuiuslibet partis illæſa permanente morbus in ea nullus inſit. Quare nec ſine morbo actio talium partium impediri, nec actione impedita, morbo vacare poterunt.

30. Poſtremò videndū eſt, quæ nam diſpoſitio ſimilariū partium ꝓprias functiones primò offendat. Hoc intelligi nequit, priuſquā conſtet, quæ ſit partis ſimilaris, quoad eſt ſimilaris, propria operatio. At hæc alia eſſe non poteſt quam naturalis cuiuſq; partis appetitio, attractio, retentio, aſsimilatio ſeu alteratio & concoctio, appoſitio, vnitio, expulſio: Quippe nullæ aliæ in omnibus partium ſimilarium particulis quantumuis puſillis, inſunt, At ineſſe in omnibus æqualiter totam actionem oportere, in 22. oſtenſum fuit. Hoc dato, neceſſarium eſt alterum illud dari: nempe diſpoſitionem ſimilaris actionis cauſam ſimiliter in omnibus particulis ineſſe. Quare temperamentum cogimur ſtatuere ſimilarium actionum cauſam. Etenim præ-

ter temperamentum, & formam, & materiam, nihil in omnibus ſimilarium partium particulis huc pertinens reperitur. (Quæ præter iam dicta inſunt, ad inſtitutum præſens nihil faciunt: teſtibus illis ipſis, quibus cum agimus.) Quo fit, vt vel temperamentum, vel forma, vel materia, iudicanda ſit cauſa actionis ſimilarium partium.

31. Sed formam abſque inſtrumento corporeo nihil agere, iam declaratum fuit. (Docuit idē Ariſtoteles multis in locis, & in 2. de Anima cap. 3. ex profeſſo repetiuit: tam non poſſe Animam ſine corporeis organis agere docens, quàm non poteſt artifex inſtrumentis carens artis ſuæ opera exercere.) Si abſq; membrorum diſpoſitionibus agere poſſent formæ, perperam definita fuiſſet ſanitas, quòd ſit diſpoſitio corporis, à qua primò actio editur. Quippe non corporis diſpoſitio proxima eſſet actionis cauſa: ſed forma ſiue anima. Cæterùm quod abſq; membris poteſt tum benè, tùm malè agere, idem abſq; læſione membrorum pati & oblædi etiam poteſt. Iam ſi per ſe primò pati poſſunt formæ, etiam generari & corrumpi abſq; ſubiecti offenſa poſſunt. At cùm nec habitus, nec diſpoſitiones per ſe primò pati queant, & ad ſubſtantiam quoq; non ſit motus (vt Ariſtoteles demonſtrauit) quî paterentur hoc pacto formæ, res planè diuinæ exſiſtentes? Taceo quod actio (præſertim verò corrumpens) tantùm inter contraria viſitur. At formis nihil eſt primò contrariū. Itē ſi per ſe actionū cauſa foret anima, eodem ſemper modo ageret: nec defatigaretur vnquam: id eſt, agendo non pateretur. Hoc enim ſolis formis vſu venit, quæ qualitatibus aut partibus organicis agunt. Item, non omnis morbus eſſet affectus corporis: nec vſum haberent neceſſarium ad actiones omnes inſtrumenta, ſiue membra. Deniq; non eſſent actiones compoſitorum, ſed componentium.

32. Quòd ſi maximè aliquis hîc hæret, ſaltem de anima noſtra certus eſſe poteſt, quòd immortalis & ſpiritualis ſit ſubſtantia: quæ ab his rebus fluxis & corporeis pati per ſe primò nihil poſſit. Si enim caleſieri aut frigeſieri per ſe poſſet, calida aut frigida eſſet: atq; inſtar aliarum rerum interimi etiam poſſet: quod veritati cœlitùs nobis patefactæ repugnat. Quin etiā Ariſtoteles loco citato idem nobis oculorum exemplo expoſuit: cùm in ſenibus obtuſiores fieri proprio vitio non animæ defectione, aſſeuerauit.

33. *Sed fruſtra ſtudemus hæc probare, cùm illi, contra quos præcipuè diſputamus, eadem aſſerant his verbis: Quum corporis pars ſola primùm & per ſe functionum ſit opifex, eius duntaxat integritas & firma conſtitutio functiones perficit, & ſanitas eſt. Infirma verò atque vitioſa primùm & per ſe functiones euertit: hæcque ſola morbus cenſetur. Item, Forma ope materiæ & temperamenti deſtituta, nihil efficit. Iam quod anima mutari nequeat: non minus diſertè affirmant his verbis: Nihilominus partes ipſas hîc ſtatuimus principales, proximaſque functionum cauſas: ſiue quod recondita penituſque abſtruſa ſit animæ facultatumque ſubſtantia: ſiue quod ad agendum imprimis neceſſaria ſit inſtrumentorum vis: ſiue quòd fortaſſe, (vt præſtantiſſimis Philoſophis viſum eſt) animæ facultatumque ſubſtantia immutabilis nulla vi, nulloque morbo labefactari atteriue poſſit. Nihil in his verbis diſplicet, (vera enim ſunt omnia) niſi quòd animæ noſtræ ſubſtantiã fortaſſe immutabilem ait, (Rectius Plato θεοῦ ξυμφύσαντος, non ſe dubitaturum oſtendit) & quod ob eam cauſam ſuſpicatur partes principales functionum cauſas: quia animæ ſubſtantia abſtruſa ſit.*

34. *Aliud igitur à forma ſi eſt id, quod ſimilaris actionis eſt cauſa, reſtat vt vel materiæ aſſignetur, vel temperamento adſcribatur. Materia pro cauſa poni non debet: vt quæ neque ſubſiſtere, neq; principium & cauſa vllius actionis abſq; ſuo temperamento cenſeri poſſit. Nam vt res naturales omnes propter quantitatem diuiduæ ſunt, ita propter materiam patibiles duntaxat, ſed propter qualitates in ea inhærentes agendi vi præditæ ſunt. A temperamento igitur manant actiones ſimilares ſupra dictæ, ſcilicet, Attractio, Retentio, Alteratio, Expulſio, &c. Quæ cùm à partium raritate, denſitate, laxitate, adſtrictione, craſſitudine, tenuitate, (mollities & durities pro cauſarum diuerſitate modò inter ſimilares, modò inter inſtrumentales collocantur) non debilitentur, ſi mutatio imprimis qualitatibus nulla ſit facta, manifeſtum eſt, ad ſimilares morbos hæc vitia non attinere.*

35. *Ex prædictis nullo colligitur labore, morbos totius ſubſtantiæ nullos dari. Quod enim nec inter continui ſolutiones, nec inter inſtrumentorum affectus, reponi debeant, manifeſtũ, & ab omni horum*

morborum inuentoribus conceſſum eſt. Quod nec inter ſimilares cenſeri valeant, ex ſupradictis euidenter demonſtrari poteſt. Si enim morbi eſſent ſimilares, actionem partium ſimilarium primò & per ſe læderent. At hæ cum in proprio partium ſingularum temperamento conſiſtant, lædi non poſſunt, temperamento non mutato. Aut ergo idem ſunt temperamentum & tota ſubſtantia: aut non æquè primò actiones lædunt.

36. Si reſpondeat aliquis, totius ſubſtantiæ morbos, non primùm ſemper lædere paulò ante dictas ſimilarium actiones, fruſtra effugium quæri reſpondebo. Etenim actio ſimilaris, quæ verè modò ac propriè talis ſit, nulla excogitari alia poteſt: vt clarè ac firmè ſatis probatum videbit, qui ſuperiora attentè examinauerit. Quæ præter ante dictas operationes in quauis ſimilari parte inſunt, ea ad partem ſimilarem, quoad ſimilaris eſt, (hoc eſt, quoad ſimilarem edit actionem) minimè ſpectant: ſed ad eandem, quatenus pars inſtrumenti aliqua eſt, pertinent. Talis eſt, exempli gratia, muſculi actio, qua tum contrahitur, tum laxatur.

37. Præterea nihil eſt in parte ſimilari actionibus deſeruiens, præter temperamentum & formam, ſiue animam. At formam partium, id eſt, Animam, (Materiæ qualitates aliæ nulli actioni, quàm inſtrumentali, vtiles eſſe poſſunt: cum nullius ipſa ſit principium efficientiæ) ægrotationi obnoxiam non eſſe certum eſt. Cuius ergo rei vitia dicentur totius ſubſtantiæ morbi, ſi temperamenti non erunt?

38. Et cum ægrotare illa tantum poſſint, quæ actionis cauſæ propinquiſſimæ exiſtunt, videndum eſt, num tota ſubſtantia per ſe vllius actionis cauſa exſiſtat? Si nullius ſit, fruſtra de morbis ipſius ſolliciti ſimus. Si eſſe alicuius cauſa dicatur, demonſtrari eam oportet. At demonſtrari nulla poterit. Etenim operationes partium vniuerſæ, aut ſunt ſimilares, aut inſtrumentales, aut miſtæ: quæ ſcilicet ambarum naturam participauerunt. Generatio ſanguinis, exempli cauſa, eſt actio ſimilaris hepatis. Quod multus vno tempore generatur ſanguis, vaſorum multitudo & capacitas efficit: atq; ob id inſtrumentali accenſetur functioni. (Actio inſtrumentalis multò patet latius, quàm actio voluntaria.) Sicut in hepate ſupra ſimilares, inſtrumentales, & ex his compoſitas actiones, nulla alia oſtendi po-

eſt, ita in alijs quoque partibus nulla ineſſe monſtrabitur.

39. *Quæri deinde poteſt, vtrum tota ſubſtantia morbum pati queat, temperamento illæſo permanente? Si affirmetur, (quod nonnullos facere ex ſupradictis liquet) & ab eo morbo actio aliqua lædi ſtatuatur, incredibile eſt, quàm abſurda conſequi ſit neceſſe. Primùm actio lædetur, partium diſpoſitione nulla mutata: (Quippe nec vnitas, nec inſtrumentale aliquid, nec temperamentum:) quod fieri non poſſe abundè iam ante demonſtrauimus. Etenim nulla eſt in tota hac rerum vniuerſitate actio, quæ non ſimul ſit vel bona vel mala actio. At bonitas & malitia actionis cuiuſlibet talis eſt, propter diſpoſitionem partis, à qua editur, congruam vel incongruam. Iam extra continui ſolutiones, inſtrumentales diſpoſitiones, & intemperiem, nulla reperitur in corporibus noſtris diſpoſitio præter naturam: quæ actionis cuiuſpiam cauſa exiſtimari debeat. (nam raritas, laxitas, tenuitas, &c. ad inſtrumenta referuntur.) Quæ igitur erit diſpoſitio totius ſubſtantiæ, propter quam actio eius fiat bona vel mala?*

40. *Deinde actiones hæ neq; aptæ, neq; ineptæ dici poterunt: cum abſq; diſpoſitione vlla edantur. Inſtrumento enim actionis ſpeciem: Inſtrumenti diſpoſitioni aptæ vel ineptæ, bonitatem vel vitium actionis acceptum ferri debere monſtratum fuit.*

41. *Præterea actio aliqua partis ſimilaris (totius videlicet ſubſtantiæ) integra remanebit, licet naturale ipſius temperamentū corruptum ſit: quòd non modò ſeculorū omnium iudicijs contradicit: verumet iam ipſis inexplicabile manet. Quomodo enim tota ſubſtantia ſeu forma (frequenter pro vna eademq; re ponunt duo hæc) inoffenſè agit temperatione corrupta, ſi quemadmodum alibi aſſeuerant, temperamenti ope deſtituta nil efficit? Quòd porrò iuxta eorum placita tota ſubſtantia poſſit integra & inoffenſa permanere, temperamento deprauato, vel ex eo intelligatur, quod dicunt, ſic totam ſubſtantiam à temperatione diſtare, quomodo putredo ab intemperie differt. At ſecundum iſtos putredo gignitur ſine intemperie: & rurſus intemperies ſine putredine oritur. Quare & totam ſubſtantiā oportet cum & ſine intemperie inueniri illæſam. Nos contra ſcimus fieri nulla vi poſſe, vt, quod putreſcit, intemperatum non ſit: cum natiui caloris extinctione definiatur putredo: niſi ſi fortè temperationem inculpatam eſſe iudicant, cuius principalis qualitas calor perijt.* 42. Po-

42. *Poſtremò ſecum ipſi pugnant alia quoq; ratione: dum in ſimilari parte tria ſolùm ſtatuunt actionibus commodantia vel incommodantia: Materiam, Temperiem, Formam. Formam per ſe primò lædi non poſſe (per accidens duntaxat patiuntur formæ, ſubiecto ſcilicet alterato) certum eſt. Materia ſine ſua temperie nec ſubſiſtere, nec animo comprehendi rectè valet: vt quæ ſecundum analogiam ſolùm Ariſtot. vel ſpuria ratione Platoni duntaxat percipiatur. Quippe temperamentum id eſt, per quod materia vna ab alia differt: ſiue per quod miſtum quoad miſtum eſt, ſubſiſtit. Per hoc cum materia qualibet talis ſit, quî fingetur offendi offenſione ad ipſum non pertingente?*

43. *Quinetiam ſentiendi actum lædi cernimus, quoties particulæ temperatio vitiata eſt. Etenim frigus, ſiccitas, humiditas, &c. manifeſtè impediunt et obtundunt ſenſum. Clarius ex eo perſpicitur, quòd non omnes illæ partes, ad quas per neruos ſenſus deriuatur, ſtatim ſentiunt. Vt enim ſenſus capaces ſint; certo modo temperatas eſſe oportet. (Ariſtot. lib. 1. & 3. de Anima, ob id oſſa, pilos, plantas, &c. ſenſu carere aſſeuerat, quia nimis terrea ſint.) Cur enim alij alijs acutius aut obtuſius parte aliqua vna vel pluribus ſentiunt? In cauſa non ſunt ſpiritus & facultas, dum in membra conuenienter influunt: quod poſitum volumus. Cauſa igitur in ipſa membri diſpoſitione quærenda eſt. Quòd ſi facultates aliunde membris communicatæ nihil agere in eis poſſunt abſq; beneficio inſiti temperamenti, quomodo eorum propria ſubſtantia aliquid efficiet, quoties propria temperies vitiata eſt?*

44. *His adde quod fieri nullo pacto poteſt, vt tota ſubſtantia, quicquid ea tandē putetur eſſe, morbum acquirat ſine motu. Nam cum morbus ſit* διάθεσις *quædam præter naturam, ſine motu non inducitur. Etenim corpora habitus & diſpoſitionis ratione non mouentur, ſed quieſcunt. At alio quodam moto diſpoſitiones ſunt, vel non ſunt. Ergo vel alteratio, vel loci mutatio præcedit morbi totius ſubſtantiæ generationem. Si ſolus motus localis antecedat, inſtrumentalis gignitur morbus. Si alteratio præeat, temperamenti vitium ſuccedet. Nam primarum duntaxat qualitatū alteratio morbum inducere ſimilarem poteſt. Sanè non datur motus ſiue alteratio, vel in prima, vel in ſecunda, vel in quarta ſpecie qualitatis: ſed tantùm in tertia. Mutantur ergo patibiles qualitates priuſquā tota ægrotet ſubſtātia.*

At illis mutatis ſiue tota ægrotet ſubſtantia, ſiue integra perſiſtat, læduntur partis actiones: nec niſi temperamento reſtituto reſtituuntur.

45. *Denique certum eſt, totam ſubſtantiam corpus eſſe: ſiquidem morbis obnoxia ſtatuatur. Nam morbus eſt affectus corporis: non aut formæ, aut rei alius incorporeæ. Quocirca ſuis diſpoſitionibus non caret, quarum ratione agat & patiatur: cum fieri nulla ratione poſſe oſtenſum ſit, vt actio edatur à re naturali, quæ nec laudabilis ſit, nec illaudabilis. At bona quî reddatur mala, diſpoſitione non mutata? Oblædi igitur diſpoſitionem totius ſubſtantiæ oportet, priuſquam actio eius bona, efficiatur mala. Cæterum corporum diſpoſitiones mutari aut corrumpi nequeunt, niſi ſubiectum vel diſtrahatur, vel ſecundum qualitates patibiles alteretur. Illa mutatio inſtrumentalem morbum aut continui ſolutionem parit, alteratio qualitatum primarum effectricium (reliquæ ad actionem ſimilarem per ſe non conferunt) intemperiem creat. Rurſus ergo temperamentum neceſſariò mutabitur, antequam noxia ad totius ſubſtantiæ diſpoſitionem pertingat. Equidem corpora ſecundum ſanitatem & morbum non mouentur, ſed quieſcunt: cum ſint motionum termini. Vt igitur in corpore tum ſanitas tum morbus ſit, materialia (ſic vocant Recentiores) ſanitatis & morborum moueri oportet.*

46. *Ad argumenta facilè ex declaratis reſpondebitur. Negamus tria in ſimilaribus morborum genera ſtatui debere: quia ex tribus, ſcilicet Materia, Temperamento, & Forma compoſitæ ſunt. Morbus enim cum ſit eius rei vitium, quæ actionis propinquiſſima eſt cauſa, neque Materiæ, neque Formæ, ſed compoſito (propter eius temperationem, vnitatem & organicas partes) per ſe & propriè accidit: vt propinquiori actionum cauſæ. In ſimilari igitur parte nulli alij morbi inſunt, quàm vnitatis & temperationis. Materiæ ſine temperamento conſideratæ qualitates ad inſtrumentalium morborum conſtitutionem concurrere: Formam immutabilem eſſe, firmè oſtenſum eſt.*

47. *Accidentium in* VII. *theſi comprehenſorum, quædam propter materiæ qualitates iam dictas contingunt. Ventriculo & hepati, &c. adſtringentia conueniunt, non quatenus ſimilares ſunt partes: ſed quatenus actionem edunt vel inſtrumentalem, vel miſtam. Quædam propter*

pter ſenſus acrimoniam accidunt: quem conſtat partes quaſlibet exquiſitum magis minuſq́; habere, non propter raritatem vel denſitatem materiæ, ſed temperamenti proprietatem. Hanc ob cauſam certorum hominum ventriculos acria non tolerare, ſcitè à Galeno affirmatum eſt.

48. *Sunt qui propter ἰδιοσυγκρασίαν certos odores aut ſapores ferre nequeunt: quod tamen non toti ſpeciei, ſed paucis in ea indiuiduis, vſuuenit. Et quibus accidit, non horrent ab acribus omnibus, vel graueolentibus cunctis, ſed certos quoſdam ſolùm vel ſapores vel odores abominantur. Si propter materiæ raritatem (exempli gratia) fugerent acetum, acria omnia eandem ob cauſam vitarent. Sed acribus alijs ſæpè delectantur. Quocirca neq; Materiæ, neq; Formæ, ſed temperamenti proprietati aſcribenda eſt huius accidentis cauſa.*

49. *Frigoris, caloris, laborum, &c. alij alijs patientiores ſunt, non propter prædictas materiæ qualitates tantum, ſed multò magis propter eiuſdem temperationem, conſuetudinem, calorem è corde ampliorem aut parciorem influentem. Sic dolores alij alijs ferunt moderatius tum ob dictas ac ſimiles alias cauſas, tum ob qualitatem à cerebro magis minuſq́; communicatam.*

50. *Ingenij & cogitationum celeritas organica magis quàm ſimilaris actio eſt: vt ex prædictis perſpicuè liquet. Equidem ſpirituum naturam, cerebriq́; ac capitis tum temperationem, tùm conformationem magis ac propius ſequitur, quàm materiæ conditiones.*

51. *Admirabilius eſt, quod ex eo nouos morbos cudunt, quod virium eſſentiam Galenus dixit conſiſtere in ſpiritus, carnis, & ſolidarum partium, iuſta qualitate & quantitate. Nam ipſemet hæc 11. Meth. 1. & 3. item 12. Meth. 5. ita dilucidè expoſuit, vt quomodo nouis morbis fabricandis ſeruiant, ego non videam. Tantundem eos iuuat, quod ad Glauc. ſcribit, immoderatè laxantia, itemq́; calefacientia, & frigefacientia, denique qualitates quaſdam extraneas virtutem diſſoluere. Dubium non eſt, quin pluribus modis vires debilitari ac ſolui queant. An ob id Galenus tribus ijs modis, quos hoc loco enumerauit, tres morbos ſedibus diſcluſit?*

52. *Nihilo firmiora ſunt, quæ in 8. recitantur. Partes corporis noſtri vltrò concedimus agere totius eſſentiæ natura: nō ſolius caloris et*

temperamenti inſiti ratione. De Struthione verum is abſq; ingeniti caloris & temperamenti opera ferrum conficiat, ſicut iſti aſſerunt, affirmare nil aliud volo, quàm non eſſe ei fruſtra datam ſuam temperationem. Vidi quidem Struthionem auidè arripere & deglutire ferrum: at vtrum concoxerit, & quomodo concoxerit, calorisne ſui beneficio, an ſine eo, non vidi. Puto autem coctionis modum eundem eſſe in Struthione, qui in alijs cernitur animalibus, quæ cuncta caloris & temperamenti ſui auxilio ingeſta conficiunt. Sed de homine ſermo nobis eſt. Eum qui aſſumta coquere ſine opera caloris & temperamenti demonſtrabit, rem miram præſtabit.

53. *Galenum aliquando temperamentum à tota ſubſtantia diſtinguere fatemur: at temperamenti nomine idem ſemper intelligere negamus. Sæpe ei qualitatem manifeſtam ex ſimplici primarum qualitatum confuſione ortã ſignificat: cui vires alias nullas adſcribit, quàm calefaciendi, frigefaciendi, &c. pro vincentis in miſtione qualitatis vnius aut duarum poteſtate. Non raro qualitatem occultiorem ex diuerſis diuerſarum miſti partium temperationibus ortam, ſic vocat. Illa ſine ſubiecto intelligitur: hæc abſq; peculiari & propria materia animo non concipitur. In illa vis ſuperantium qualitatum duntaxat æſtimatur: in hac quid omnes ſimul iunctim vna cum ſubiecto poſſint, expenditur. Illa nota & ſenſibilis qualitas eſt: hæc ſenſibus non percipitur.*

54. *Iſto modo vſus eſt nomine temperamenti, cum virium diſſimilitudinem, quam in rebus deprehendimus maximã, à temperationis earũ diſſimilitudine proficiſci ait: cum ἰδιοσυγκρασία, hoc eſt, temperamenti proprietate res diſtingui aſſerit: cum propter eandẽ admirabiles in rebus vires quibuſuis ineſſe contendit: quibus hæc alimenta nobis ſint, illa venena, &c.*

55. *Etſi igitur temperamentum à tota ſubſtantia differat, cum pro nuda qualitate ponitur, non tamen ab eadẽ diſtinguitur, cum pro qualitate ex diſparibus diſſimilium ſubiecti partium temperationibus conflata (quæ ſine ſubiecto ſuo nec ſubſiſtere, nec definiri, nec intelligentia percipi valet) ſumitur. Eadem hæc (certam videlicet materiam ſua certa temperatione inſignitam) totius ſubſtantiæ nomine complecti voluiſſe Galenum nullus dubitat, qui eum in pleriſq; rebus nihil aliud agnouiſſe apud ſe cogitat.* 56. *Quo-*

56. *Quocirca non rectè aliqui totius ſubſtantiæ morbos à temperamenti morbis ſeiunxerunt. Quippe totius ſubſtantiæ partes ſecundum Galenum ſunt, Materia, & eiuſdem Temperatio. At Materia apud eum nullius actionis cauſa proxima eſt: ſed Temperamentum. Hoc ergo ſolum lædi oportet, quoties actio ponitur læſa. Iidem ergo ſunt totius ſubſtantiæ & temperamenti morbi. Eadem ratio locum habet, ſi (quod cum Ariſtotele & rectè philoſophantibus omnibus faciendum eſſe cenſemus.) Formam illis, tanquam tertium addas. Nam hæc etiam tametſi prima & princeps cauſa eſt actionum, non tamen eſt proxima. Morbus autem proximæ cauſæ vitium eſt: non remotioris.*

57. *Ne hoc quidem aliquid probat, quod quædam totis ſubſtantijs nobis magis aduerſari aiunt, quàm qualitatibus. Non enim rectè concluſeris, tota ſubſtantia inimicum eſt nobis: Ergo morbum totius ſubſtantiæ in nobis generat. Nam & effluuia peſtifera, & medicamenta ſeptica, tota ſubſtantia nobis contraria ſunt: quæ tamen calefaciendo, putrefaciendo, erodendo, nos offendere nullus neſcit. Sic nominantur quæ non propter copiam, ſed propter ingenitam malitiam inimica nobis ſunt; & amici in ſe nihil omninò continent: atq; ob id à nobis vinci nunquam ſic poſſunt, vt vſum aliquem ex eis percipiamus: vt multis Gal. in 3. de Temper. 4. & 3. de ſimpl. pharm. poteſt. 22. expoſuit, &c.*

58. *Non firmius eſt argumentum à medicamentis tota ſubſtantia ſua vel iuuantibus vel nocentibus ſumtum. Quippe nihilominus ſuis in nos qualitatibus agunt. An non alimenta propter totam ſubſtantiam alimenta exiſtunt? An in ea non agit ventriculus noſter calore temperamenti ſui? Omninò. Quid igitur prohibet, quo minus pharmaca totis ſubſtantijs nobis aduerſa, ſuis qualitatibus in calorem & temperamentum ſpiritus & partium ſolidiorum agant? Quid aliud eſt tota medicaminum ſubſtantia, quàm talis materia tali temperie prædita? Equidem nulli formæ vel ſpeciei aſcribi eorum actio poteſt: (quam, priuſquam agant, amiſerunt) ſed ſoli cadaueri, vt ſic vocem, accepta ferenda eſt. Num ergo materia ſine qualitatibus agit? Minimè gentium. Incunctanter dico, nullam ſubſtantiam corpoream paſſionem realem & permanentē corpori*

alieno imprimere, abſq; opera primarum qualitatum: niſi laceret, diſſecet, contundat, &c.

59. Rectè ob id aſſerunt, nec qualitatem in ſubſtantiã, nec ſubſtantiam in qualitatem primò agere. Quippe actio inter contraria eſt. At nec qualitas ſubſtantiæ, nec ſubſtantia qualitati per ſe contraria eſt: cum generibus differant. Ex hoc autem non ſequitur, medicamenta totis ſubſtantijs inimica, non agere ſuis qualitatibus: aut non agere in corporis noſtri qualitates. Si enim tota ſubſtantia partium corporis noſtri calore ſuo agit in alimenta, cur non tota ſubſtantia nobis aduerſantia ſuis etiam qualitatibus in nos agere putentur? Sicut enim alimenta à nobis, ita nos à pharmacis vincimur. Quæ tota ſubſtantia ſecundum Galenum agunt, ea qualitatibus totius temperamenti agunt: non vna vel duabus duntaxat qualitatibus.

60. In IX. theſi multa examinatu digna habentur. Primùm non loquimur nos de parte ſimilari mortua. Deinde formam ſubſtantiæ nullam in partibus ſimilaribus corporis noſtri aliã agnoſcimus, quàm animam: quæ partes omnes æquè informat, ac vita donat. Tertiò negamus morbos in ſimilaribus inueniri, qui formæ morbi cenſeri poſſint. Etenim formam ægrotare non poſſe ſatis dictum eſt. Quocirca nulli ſunt in ſimilaribus, & quoad ſimilares & viuentes ſunt, morbi alij, quàm qui temperamento accidunt. Quos alij materiæ morbos nominant, hos ad inſtrumentales rectius referri poſſe, præclarè videtur etiam ex ipſis aliqui.

61. Illud quomodo excuſem, non inuenio, quod omnes aiunt, parum referre, quo quis modo morbos, de quibus agimus, appellet, totius ſubſtantiæ an formæ. Conſtat enim morbos affectus eſſe corporis, non formæ. Quomodo igitur non ſit reprehendendus, qui morbum aliquem formæ morbum, non corporis, nominet?

62. Non improbo, quòd formam magis dicunt cauſam actionem ipſa temperatione: ſi rectè accipiatur. Etenim forma eſt princeps cauſa actionum: ſed per ſe & ſine temperie atq; inſtrumentorum congrua diſpoſitione agere nil poteſt: vti iam antè diximus. Hæc eadem & indiuidua ſecundum eſſentiam propriam exiſtens, partes diuerſiſſimas informat: & pro earum diuerſitate facultatibus diuidua quodammodo efficitur.

63. Gra-

63. Grauiſſimus igitur error eſt, putare, ſingulas corporis partes ſimilares peculiari forma viuere. Ex quot formis ſubſtantialibus conſtaret homo, ſi vera eſſet opinio? aut quid Ariſtoteli hanc opinationem in primo libro de anima capite quarto, verè & ſolidè refellenti reſpondebimus? Et ſi quælibet pars virtute propriæ formæ ageret aut viueret, quod eſſet animæ munus, niſi quod velut otioſa ſpectatrix (aut imperatrix tantùm) aſſideret? Agunt partes omnes virtute ſui temperamenti, quibus anima vt inſtrumentis vtens, tam diſcrepantes actiones (vna cùm ſit tota in toto corpore, & tota pariter in ſingulis eius partibus) exercet. Cùm ſine anima conſiderantur, præter ſubſtantiæ proprietatem, id eſt materiam talem hoc certo modo temperatam, nihil reperies. Quoniam ergo forma ſubſtantialis omnium eſt vna, actiones autem diuerſæ, non à forma, ſed à temperamentorum proprietate diuerſitas illa omnis oritur.

64. Si corporis noſtri partes prius formarentur, ac deinde anima eis infunderetur, propriam in ſingulis formam fingere poſſemus. Iam dum ab anima informante omnes effingi conſtat, fruſtra plures formas comminiſcimur. Hoc voluit Ariſtoteles (non id quod illi dicũt) monere, cùm os, carnem, neruum, &c. non à calido, frigido, &c. ſed ab eo, quod actu eſt, ſiue ab ipſa forma, figurari ſcripſit.

65. Virtus & robur accepta feruntur partibus ſimilaribus, non quoad ſunt forma præditæ ſeu animatæ: ſed quatenus aptè ſunt temperatæ. Etenim ſæpè vſuuenit, vt partes viuentes magnam viriũ ſuarum partem amittant. Quare vt robur earum in conueniente temperie conſiſtit, ita eiuſdem quoq; debilitatio in intemperie cauſam obtinet. De proprijs viribus, quas vt ſimilares [illegible]dent, loquimur.

66. Cùm putredinem morbum faciunt to[illegible] ſubſtantiæ, per totam ſubſtantiam ſe nil aliud quàm miſtum intelligere nobis probant: quod ſuprà etiam diximus. Eſt enim putredo affectio, non formæ, non rei alius quàm miſtæ, quoad miſta eſt. Fœdè igitur ſemetipſos oppugnãt. Et cùm impoſſibile ſit, rem aliquã putreſcere, temperamento eius non corrupto, cur totius ſubſtantiæ potius, quàm temperamenti morbum vocant? præſertim cùm nemo neſciat temperamento corrupto, quomodo per putredinem corrumpitur, (alia eſt ratio, cùm qualitas aliqua præter modum augetur ſolùm: & non prorſus extinguitur) ſub-

ſubſtantiam neceſſariò interire.

67. Attamen curatio, inquiunt, diuerſitatem monſtrat. Etenim intemperiem curamus qualitatibus contrarijs: putredinem & venenoſitatem funditùs exſtirpare conamur. Aliud ergo eſt à putredine intemperies. Differũt iſta, fateor, (ſed nõ ſic, vt à ſpecie temperies: quod ab his inſcitè affirmatum legimus) attamen nihil probant: quia poſterius ſine priore cogitabile non eſt. Ergo nec putredo ſine intemperie. Ideo non eadem eſt curatio, quia intemperies eſt veluti fiens aut inchoatum quid, putredo tanquam perfectum. In illa fit corruptio, in hac facta eſt. Nam eſt corruptionis ſpecies putredo. Cùm ergo corrupta reſtitui nequeant, rectè iubemur radicitus tollere. Quæ adhuc putreſcunt, nec dum putruerunt, ea corrigit alteratio per contrarias qualitates inducta: ex quo facilè diſcrimen intelligitur. Quæ ſubitò interimunt, nec ſpiritus vitales diſſipant, ea vel exſtinguunt vel putrefaciunt eoſdem. Totam ob id eorum ſubſtantiam primò (illæſo temperamento) offenſam fuiſſe quis opinetur intelligens?

68. Ergo morbi totius ſubſtantiæ nulli ſunt: & qui pro talibus habentur ac morbi ſunt, rectè ſub intemperie veteres complexi fuerunt. Quos materiæ morbos vocant, ſub inſtrumentalibus continentur. Sine fructu etiam diſtinxeris à cæteris tum hos tum illos præter & contra morem veterum: propterea quòd nec recta cur[illegible]onis ratio in vllo variat, nec dignotio facilior redditur, Qu[illegible]ò ex antiqu[illegible]um principijs rectius cognoſcuntur, & felicius ac certius percurantur.

69. Falſitas op[illegible]is ex authorum inſuper inconſtantia deprehenditur: dum totam ſubſtantiam modò formam, modò eiuſdem facultates, ſæpè ſpiritum & calorem ingenitum, aliquando ex his compoſitum, denique materiæ proprietatem eſſe dictitant. (Quaſi verò non plurimum iſta inter ſe omnia differant.) Qua in re dum quid potiſſimùm ſequantur, neſciunt, mirum non eſt, eos non eoſdem ſemper morbos pro totius ſubſtantiæ morbis ponere. Quis ignorat frigus & calorem, labores, vigilias, &c. intemperatos reddere ſpiritus?

70. Admirabiliſſimum eſt, quod cùm animam & facultates eius

in

in ſpiritu & calore innato collocent, atque ob id ſpirituum diſſolutionem à quacunque cauſa profectam aliquoties totius ſubſtantiæ morbum clamitent, ſpirituum affectus nihilominus morbos eſſe negant: & nec per ſe nec proximè abſque interuentu morbi functionibus incommodare aſſeuerant, atque duntaxat morborum cauſas exſiſtere contendunt. Nos ſpiritus, præſertim vitales, generaliſſimum & communiſſimum animæ inſtrumentum (& cauſam, ſine qua agere partes nullæ queant) eſſe dicimus. Equidem nec vitam nec temperamentum ſuum tueri, vel breuiſſimo tempore poſſunt, abſq; ſpiritus & caloris è corde perpetuo influxu: quod tum abſciſſio membrorum, tum arteriarum interceptio, tum morbi quidam clarè demonſtrant. Ergo ſiue ad perfectionem & complementum ſubſtantiæ partium ſimilarium viuentium pertinere aſſeras ſiue neges, noſtra nunc nihil refert: dummodo illud nobis detur, quod res ipſa fateri cogit, ſimilarium partium actiones integras eſſe non poſſe, quotiens vel non rectè temperati ſunt ſpiritus influentes, vel non iuſta quantitate adſunt.

71. *Quæ de origine innati caloris diſputant, alibi confutauimus: vbi genuinam verborum Ariſtot. mentem copioſè declarauimus. Nihil magis & euidentius cum omni philoſophia pugnat, hac caloris de cælo deductione: quomodo ipſi eum de ſideribus deuocant. Vnum hoc in præſentia dicam: imaginabile non eſſe, quomodo proprius alicuius rei calor extra ſuum ſubiectum exſiſtat & conſeruetur. Facilius calor ex corde in membra influens, in eiſdem abſq; noui ſpiritus affluxu conſeruetur quàm in ſublunaribus & mutabilibus hiſce rebus calor de cælo & ſideribus veniens permaneat. Ille namq; cum ſuo ſubiecto ex corde ad membra vſq; exporrigitur: hunc cum ſubſtantia ex ſideribus defluente ſimiliter ad nos deſcendere quis opinetur? At illum extra cor non generari, ac ſine continuato affluxu nullo ferè tempore in membris conſeruari nimis notum eſt. 29. Martij. Anno 1575.*

DISPVTATIO XVI. RESPONDENTE
Leone Vuolfhardo Memmingenſe.

De Putredine.

THOMAE ERASTI
CANDIDO LECTORI.

COgnitionem putredinis nō Medicis tantùm, verumetiam aliarum artium, & imprimis Philoſophiæ ſtudioſis vtilem ac neceſſariam eſſe, nullus eſt qui negare auſit. Quocirca non videmur temerè Naturam eius, Ortum, Differentias & Cauſas inueſtigare: atq; alios, vt idem nobiſcum facere tentent prouocare. Nihil eſt nomine magis tritum: at res ipſa ſic eſt ignota, vt vix vllum reperias, qui non diſſentientia ſcribat & dicat. Plurimi diſputant, vtrum eadem ſit Ariſtot. & Medicorum de putredine ſententia. Sic quoq; diſsident, qui in 4 Meteorolog. Commentarios conſcripſerunt, vt quid ſequi debeas, & quid verum ſit, non facilè inuenias. Noſtras hac de re cogitationes, quas iam olim verſare cœpimus, publico examini ob id ſubijcere voluimus, vt vel meliora edocti, falſum verò permutemus, vel in ſententia certius confirmemur. Speramus etiam conatum noſtrum cunctis bonis ac veritatis amantibus probatum iri, etiamſi videant nos ſcopum perfectè attingere non potuiſſe. Si aliud nihil præſtitimus, viam certè alij vlterius ſine errore procedendi aperuimus, Vale.

ARiſtot. lib. 4 ca. 1. Meteor. putredinem definit his verbis: σῆψίς ἐστι φθορὰ τῆς ἐν ἑκάστῳ ὑγρῷ οἰκείας καὶ κατὰ φύσιν θερμότητος, ὑπ' ἀλλοτρίας θερμότητος· αὕτη δ' ἐστὶν ἡ τοῦ περιέχοντος. *Putredo eſt, inquit, interitus proprij & naturalis in quouis humido caloris, ab aduentitio calore profectus: ſcilicet ambientis.*

2. *Hanc definitionem omnes eruditi, qui poſt Ariſtotelem vixerunt, Medici pariter & Philoſophi, ſummo conſenſu meritò probarunt. Etenim quæ in iuſta & bona proprietatis cuiuslibet finitione ineſſe oportet, in hac reperiuntur omnia. Nominis conceſſa omnibus notio: ſubiectum proprium & cauſa. Et λόγος ὁ οματικός* [sic] *generis rationem obtinens, his continetur verbis:* φθορὰ τῆς οἰκείας καὶ κατὰ φύσιν θερμότητος: *ſubiectum, quod cum cauſa differentiæ vim locumq; tenet, expreſſit, cùm dixit,* ἐν ἑκάστῳ ὑγρῷ. *Cauſam expoſuit verbis reliquis,* ὑπ' ἀλλοτρίας θερμότητος.

3. *Nec putandum eſt aliud vel aliter Galenum ſenſiſſe, quando*

do

do putredinem ſcripſit eſſe, μεταβολὴν τῆς ὅλης τοῦ σώματος σηπομένης οὐσίας ἐπὶ φθορὰν, ὑπὸ τῆς ἔξωθεν θερμασίας. Quod Galeno ſignificat tota ſubſtantia, hoc Ariſtoteli ſignificat naturalis & proprius calor in ſuo humido: id eſt, in ſua materia. Non poteſt enim res vlla perire, incolumi natiuo calore permanente (teſte Ariſtotele de iuuent. & ſeneƈt. 4. de reſpirat. 8. de breui & longa vita cap. 5.) quem Galenus frequenter naturam & totam ſubſtantiam nominat.

4. Si qua eſt differentia, hæc fuerit, quod Galenus de mutatione ad corruptionem, quæ adhuc fit, potiùs videtur loqui, quàm de corruptione facta. Quanquam nihil vetat, tum huius verba etiam de facta, tum Ariſtotelis de ea quoq;, quæ etiamnum fit, accipere.

5. Cæterum vt natura & definitio putredinis exactiùs intelligatur, modi, quibus calor naturalis cuiuſque rei interire poteſt, declarandi ſunt. Quos quia ignis corruptioni reſpondere cenſuit cum Ariſtotele Galenus, quot modis perimatur ignis conſiderare oportet.

6. Perit ignis ex ſententia Ariſtotelis tribus modis, ſcilicet σβέσει & μαράνσει, deniq; ἐνδείᾳ τροφῆς. Etſi autem Ariſtoteles in libro de iuuentute & ſeneƈtute cap. 4. duos priores modos, ſub tertio contineri oſtendit, tamen quia is in illis etiam comprehenditur, & bipartita in σβέσιν & μάρανσιν tributio propoſitam diſputationem magis illuſtrat, hanc retinebimus: præſertim cùm ipſi quoq; Ariſtoteli crebriùs vſurpata fuerit.

7. Ignis igitur occidit vel σβέσει, quem interitus modum Exſtinctionem vocabimus, vel μαράνσει, quem modum poſthac Marcorem aut Tabem nominabimus. Et exſtingui dicitur, quoties à contrario ſeu frigore perimitur: Marceſcere, quando ſeipſum atterit.

8. Hoc diſcrimen expreſſit Ariſtoteles libro de iuuentute & ſeneƈtute, cap. 4. his verbis: καλοῦμεν δὲ τὴν ἀφ' ἑαυτοῦ, (φθορὰν) μάρανσιν: τὴν δὲ ὑπὸ τῶν ἐναντίων, σβέσιν. Senſus eſt, ignem duobus modis perire, videlicet à calore & frigore. Nam μαραίνεσθαι (marceſcere) tunc etiam dicitur, cùm à vehementiore igne diſſipatur.

9. Sic & congenitus cuiuſq; rei calor occumbere ſolet, vel exſtin-

k

ſtione, vel Marcore ſeu Tabe. Exſtinctione quidem, quando à re frigida ſiue externa ſiue interna corrumpitur. Marcore, quando à calore calor ſine frigoris acceſſione perditur.

10. Tot verò ſunt differentiæ vtriuſque ſpeciei, quot modis calor vel à contrario frigefieri, vel à calore tabefieri quomodolibet poteſt. Haud aliter enim modi ſeu ſpecies corruptionis caloris in ſuo ſubiecto diſtingui poſſunt, quàm pro cauſarum corrumpentium varietate agendiq; modo.

11. Totidem ergo modis interit natiuus calor; quot ignis perire modis poteſt. Etenim exſtinguitur, & à frigido cibo, potu, aqua, aëre, pharmacis: & à diuiſione ſubiecti, vt iugulatione, diſcerptione, ſanguinis profuſione, aut alia quauis immodica vacuatione. Duobus his modis exſtingui ignem apertè docet Ariſtoteles lib. de Reſpir. cap. 8. Omnia enim hæc frigefaciendo calorem perdunt. Tabeſcit quoq; tum natura, tum vi ſeu morbo. Naturaliter marceſcit, cùm ſeipſum tractu temporis (citra violentiam aut morbum) conficit. Violenter tabeſcit, cùm alimentum iuſto celeriùs depaſcitur: quod duobus itidem modis contigit. Aliquando enim propter negatã reſpirationem per ſtrangulationes, ſuffocationes, obſtructiones ſuffocatur: ſæpe ob alieni caloris acceſſionem auctus diſſipatur aut corrumpitur.

12. Patet ex dictis, non ſic σβέσιν aliquam naturalem inueniri, ſicut μαράνσις aliqua naturalis exſiſtit. Non enim illa, ſicut hæc corruptionis ſpecies, in violentam & naturalem diſtribuitur: propterea quòd non ſic poteſt naturaliter à contrario calor exſtingui, ſicut à ſe ipſo paulatim poteſt naturaliter abſumi: Ergo vt duplex eſt caloris à calore profecta corruptio, ita duplex quoq; ſtatuitur ab Ariſtotele μάρανσις.

13. Pro cuius rei declaratione ſciendum eſt, caloris in viuentibus interitum, mortem vocari ab Ariſtotele: quod ex his verbis patet, ἀνάγκη τοίνυν ἅμα τό, τε ζῆν ὑπάρχειν, καὶ τὴν τοῦ θερμοῦ τούτου (συμφύτου) σωτηρίαν: καὶ τὸν καλούμενον θάνατον εἶναι τὴν τούτου φθοράν.

14. Quo poſito, ſequitur neceſſariò, Marcorem aliquem eſſe naturalem, & aliquem violentum ſeu morbidum: quod itidem affirmat Ariſtoteles his verbis: τελευτὴ δὲ καὶ φθορά, βίαιος μὲν ἡ τοῦ θερμοῦ

σβέσις,

σβέσις, καὶ μάρανσις (φθαρείη γὰρ ἂν δι' ἀμφοτέρας ταύτας τὰς αἰτίας) ἡ δὲ κατὰ φύσιν τῦ αὐτοῦ τούτου μάρανσις διὰ χρόνου μῆκος γινομένη καὶ τελειότητα. Mors & corruptio inſiti caloris violenta & per σβέσιν & per μάρανσιν contingit. Eiuſdem verò naturalis marcor accidit temporis tractu & perfectione.

15. Clarè oſtendit Ariſtoteles in his verbis, natiuum calorem marceſcere tum naturaliter, tum violenter. Simul etiam differentiam inter duas iſtas τὸ μαραίνω. & ſpecies ſeu modos indicat: dum naturalem ab inſito calore ſenſim longo perfectoq; temporis ſpacio, abſq; vllius acquiſititij affectus interuentu gigni ait. Ex quo ſequitur, violentam ab externa cauſa interdum breuiſsimo tempore inuehi. Quæ omnia diſertis verbis Ariſtoteles paulò ante proximè adducta verba expoſuit. Nullus neſcit, ſenectutem nonnunquam à morbis maturari, ideoque cum properatione quadam induci.

16. Calor igitur vel natura occidit (& vocatur hæc interitus ſpecies μάρανσις κατὰ φύσιν, Marcor naturalis) vel vi ſiue morbo; vt Ariſtoteles loquitur. Cæterum violenta caloris reſtinctio eſt duplex. Nam vel ſeipſum violenter conficit (Quæ corruptionis ſpecies μάρανσις βίαιος, Marcor violentus, nominatur) vel à contrario diſperditur & σβέσις dicitur. Pluribus modis calor non interit. Qui enim propter alimenti inopiam accidit, in iam enumeratis modis comprehenſus eſt.

17. Manifeſtum nunc eſt, caloris corruptionem, quæ per putredinem accidit, Marcoris ſpeciem quandam exiſtere. Inter exſtinctionis certè modos collocari nequit. Non enim à contrario ſeu frigore externo, rerum putreſcentium natiuus calor perimitur, ſed à calore aduentitio corrumpitur: vt poſitum nobis fuit.

18. At calor, inquiet fortè aliquis, non è ſolo frigore exſtinguitur: ſed ab immodico etiã calore celerrimè diſperditur. Nam & paruus ignis à magno diſsipatur: & imbecillis ellychnij flamma in feruentiſſimo ſolis æſtu reſtinguitur. Hic caloris interitus ad Tabẽ, ſeu Marcorem, referri non poteſt: ſi modò rectè μάρανσιν Ariſtoteles poſuit corruptionẽ caloris eſſe, in qua calor ſeipſum conficit. Satis notũ eſt, ignem paruum, quoties à maiore extinguitur, ſeipſum non conſumere ſed à potentiore ſtatim ab initio tantùm non ſubitò diſperdi. Quare

non quilibet caloris violentus interitus à calore quouis modo effe-ctus, ſub tabe comprehenditur: aut non in omni marcore calor ſe ipſum conſumit. Hac de cauſa videtur Ariſtoteles hunc modum à Tabe di-ſtinguere in 3. ſect. probl. 5.

19. Reſpondeo, Ariſtotelem omnem caloris aut ignis interitum à calore profectum inter Marcoris ſpecies numerare: vt ex libro de iu-uentute & ſenectute, lib. de Reſpirat. cap. 8. & 3. ſect. prob. 27. (iuxta diuiſionem Græcorum) perſpicere cuiq; licet. Deinde ſi maximè dare-mus, eiuſmodi caloris corruptionem rectius inter ſpecies τοῦ σβέσιος, quàm τοῦ μαράνσιος poni, non poſſet tamen putredo inter Extinctio-nis modos recenſeri. Non enim ſic prorſus corrumpitur calor inſitus per putredinem violentam, quomodo ignis ab igne extinguitur. Di-uerſitatis ratio eſt, quòd ignis in alienæ materiæ ſuperficie, aut certis ſolùm partibus, inhæret, natiuus autem calor, qui in putredine cor-rumpitur, per omnes ſubiecti proprij partes diffuſus, in omnibus æquè inſidet, omneſq́ æqualiter regit ac temperat. His adde, quòd calore ignis exſtincto, non eſt neceſſe, vt materia vel ſubiectum, in quo inæ-rat, ſimul pereat: cùm natiuo calore perdito neceſſariò ſubiectum, cor-ruptum ſit. Differentiam Ariſtoteles tacitè ſignificauit, cùm libro de Reſpirat. cap. 36. interitum animalium perfectorum & imperfecto-rum eundem dixit eſſe, quatenus in vtriſque calor deficiens cauſa eſt corruptionis: non eundem eſſe, quatenus in animalibus exſtinctio ca-loris cordis mortem adfert: licet implantatus aliarum partium calor non ſubitò ſimul pereat. Sed & ignis parui exſtinctionem à maiore fa-ctam, nulli, quod ſciam, putredinem putarunt: combuſtionem quan-dam potius cum Ariſtotele iudicarunt. Deniq; falſum illud Ariſtote-lis dictum foret, ignem non putreſcere.

20. In Problem. populariter magis loqui Philoſophum, accura-tionem Phyſicam non vbique ſeruare, notum eſt. Quanquam in hac cauſa hic etiam à nobis ſtet: vt ex loco citato patet. Cum priore loco modos ſeorſum numerat, ſecum non pugnat. Qui non concedit ratione eadem coactus dabit, Corruptionem caloris ex alimenti defectu na-tam, nec ſub exſtinctione nec ſub Marcore comprehendi: quod mani-feſtè falſum eſt.

21. Si qua reperitur in miſtis (præter combuſtionem) corruptio ca-

loris nu-

loris nuper dictæ ignis corruptioni ſimilis, in ſolis animalibus influente ex corde calore viuentibus inuenitur. Hic enim calor breuiſſimo tempore per ſuffocationem aut negatam reſpirationem diſſipatur: nec ob id ſtatim cordis aliarumq́ partium corporis ſolidiorum temperationes ſimul corruptæ ſunt. Si enim cum Gal. lib. de Reſpir. corponamus funiculo in lychno reſpondere, vitalem ſpiritum, eiuſq́ caliditatem flammæ, putare licebit, ita ferè interire cordis flammam, ſubſtantia eius ſolida illæſa manente, quomodo ellychnij flamma raptim à maiore flamma diſſipatur, abſq́ ellychnij corruptione. Tale quippiam ſolet in ſummo æſtu accidere meſſoribus: vt diſſipatis ab aëris immodico calore ſpiritibus, ſubitò moriantur.

22. *Notandum inſuper eſt, quòd calorem putreſcentium dicit ab alieno calore corrumpi in humido. Si enim humidum abſumatur à calore peregrino, ante natiui interitum, non putrefaciet, ſed à putredine præſeruabit. Hac de cauſa fructus, quos imputres ſeruare cupimus, calore ignis vel ſolis exſiccare iubemur. Scitè ob id dictum eſt à quibuſdam, non calorem ſiccum, ſed humidum putredinis parentem authoremq́ eſſe. Nam calor abſq́ humiditate non putrefacit teſte Galeno lib. 3. de compoſ. pharm. κατὰ γένη cap. 2. poteſt tamen in re putreſcente tanta ineſſe humoris copia, vt à ſicco etiam calore prius corrumpatur inſitus calor, quàm humiditas eius diſſipari potuerit.*

23. *Poſtremò obſeruandum eſt, quòd calorem putrefacientem ait eſſe calorem ambientis: non ſolius aëris. Etenim putreſcunt res plurimæ in aqua & in terra. Ideo Ariſtoteles, cùm reddere vellet cauſam, cur hyeme res minùs putreſcant, quàm æſtate, vel per æſtum, hæc ſcribit: ἐν μὲν γὰρ τῷ χειμῶνι, ὀλίγον ἐν τῷ περιέχοντι ἀέρι καὶ ὕδατι τὸ θερμόν. Palàm hic oſtendit, ſe per ambiens non ſolùm aërem intelligere. Si cui placet, omnia ab aëris in aqua & terra contenti calore putrefieri, is non dubitabit aſſerere, putredinem in corporibus noſtris genitam, ab eiuſdem calore ſuſcitatam. Sic enim per intimas omnes partes animalium diffuſus eſt aër & flatus, vt vetuſtus ille author libri de flatibus omnes propè morbos à ſpiritu ſeu aëre produci crediderit. Qua ratione verò aër intra corpora contentos humores ac ſpiritus putrefacere poſſit ac ſoleat, declarat Ariſtoteles ſect. 3. problem. 7.*

24. *Quanquam, ſi verum dicere oportet, videre non poſſum, cur, cùm à vapore ac fuligine intra corpus retenta, putredo ſuſcitatur, ab aëre potius, quàm ab ipſa hac fuligine procreatam affirmare oporteat? Ariſtoteles certe calorem alienum dixit eſſe τοῦ περιέχοντος, id eſt, continentis: Non ſolius aëris. Paulò poſt & aquam hoc nomine appellat. Quid ergo vetat & terram & fuligines iſtas eodem nomine comprehendere? Vbicunq; putredinis mentionem aliâs facit, ab alieno calore effici ait: nec contrahit ad rei certæ calorem. Non ergo tam anguſtam putauit τοῦ περιέχοντος ſignificationem, quàm aliqui putant. An putrefactio per contactum putridi corporis orta negabitur à continentis calore ſuſcitata? Non arbitror, Rectiùs ergo Galenus Ariſtotelis mentem intellexit, 2. de feb. diff. cap. 9. ſic ſcribens:* δοκεῖ γὰρ μοι ὀρθῶς Ἀριστοτέλης εἰρηκέναι, τὴν σῆψιν ὑπὸ θερμότητος ἀλλοτρίας γίγνεσθαι. λέγει δὲ ἀλλοτρίαν, τὴν ἔξωθεν, οὐκ ἔμφυτον, οὐδ' οἰκείαν ἑκάστου τῶν ὄντων.

25. *Excrementa fuligineſq; corruptionis naturæ cauſas aliquando eſſe: vel ex 3. de long. & breuit. vitæ (vt experientiam taceamus) conſtat. Quæro igitur, quam corruptionis ſpeciem inuehant, quoties plus iuſto calefacta morbos mortemq; inferunt? Non σβέσιν. Quoniam calefacta (teſte Ariſtotele cap. 3. de Reſpir.) corrumpuntur οὐ ψυχόμενα, ἀλλὰ μαραινόμενα. Ergo μάρανσιν efficiunt: non quidem naturalem: vt quæ ſolummodo ætatis decurſu eueniat. Ergo morbidam & violentam. Quocirca cùm non ſint comburſtionis cauſa, qua alia ratione, quàm putrefaciendo interficiunt? Quòd putredines inducant humoribus, quotidiana demonſtrat experientia: nec in Probl. tacuit Ariſtoteles. Quare ſi nomine continentis non ſunt comprehenſa, manca eſt Ariſtotelis definitio; nec καθόλου cauſam putredinis affert: quod & falſum eſt, & abſurdè cogitetur.*

26. *Partibus definitionis declaratis, ſpecies putredinis conſiderare conuenit. Duas ponit Ariſtoteles lib. 4. Meteor. 1. cap. Naturalem & Morbidam. Illam καθόλου ſeu generalem, ſimplicis ortus contrarium communiſſimum, naturalis cunctarum rerum interitus finem ac terminum vocat: Hanc κατὰ μέρος ſeu particularem, violentamq; corruptionem, & putredinem propriè nominari aſſerit.*

27. *Naturalis*

27. *Naturalis ob id prior illa dicitur, quia rebus non ante accidit quàm natiuus calor (nullo morbo nullaq; vi aut cauſa præter naturam coactus) ita ſeipſum longo ætatis tractu debilitauit ac fregit, vt à leuiſſimo ambientis calore diſperdi citra violentiam poſſit. Vniuerſalis & καθόλου vocatur: quia & cunctis rebus naturaliter occidentibus tandem ſuperuenit, & totum æqualiter ſubiectum (partium proportione ſeruata) corrumpit. Generationis ſimplicis contrarium maximè cõmune nominatur: quia ſicut per generationem ſimplicem, ex ſimpliciter non miſto fit miſtum ſimpliciter, ita per hanc ex miſto fit non miſtum ſimpliciter: hoc eſt, quia per eam miſtum ita ſoluitur in Elementa, ſicut ex Elementis per ſimplicem ortum generatũ fuerat miſtum. Hinc & finis naturalis corruptionis appellatur: quia miſta vlterius non poſſunt corrumpi, cũ in Elementa ſoluta ſunt. Nuncupauit autem Ariſtoteles putredinem: quia & nomine proprio apud veteres carebat, et eodem ferè modo contingit, quo propriè vocata putredo rebus accidit.*

28. *Species altera, Violenta ſeu Morbida (atq; ideò naturali, contra poſita) vocatur: quia in ea calor inſitus præter naturam, ante legitimum tempus à natura præfinitum, diſſoluitur. Accidit enim hæc rebus quibuſuis tempore & loco quolibet: tunc etiam cùm maximè vigent. Particularis dicitur, tum, quia totum non ſimul & ſemel comprehendit. (Non enim neceſſarium eſt, parte ſanguinis vel carnis &c. putrefacta, totũ ſanguinem, totamue carnem ſtatim computreſcere) tum quia tot ſunt fermè huius ſpecies ſeu modi, quot ſunt res putreſcentes, cùm ſua quædam cuiq; ſit propria qualitas. Hinc eſt, quod ex re tali putrefacta tale quid generatur, quale ex nulla alia generari poſſit: Hinc diuerſitas conſiſtentiæ, odorum, ſaporum, colorum, &c. in rebus putridis oritur. Meritò igitur hæc particularis vocatur illa verò vniuerſalis & communis dicitur, cùm per ipſam omnia ſimiliter in Elementa ſoluantur. Quoniam igitur ſola particularis putredo veteribus nota fuit, rectè Ariſtoteles monuit, eam propriè vſitateq; putredinem appellari.*

29. *Hinc facilè differentia harum duarum ſpecierum putredinis perſpicitur. Naturalis tantùm in fine durationis naturalis accidit: & quidem neceſſariò euenit. Particularis omni tempore & loco*

ſuperuenire poteſt: nec tamen neceſſariò ulli rei accidit. Illa eſt naturalis corruptionis naturalis terminus: hæc violenta et morbida paſſio exiſtens, non finit res, quas occupauit, naturaliter interire. Illa totum diſſoluit: hæc partem vnam duntaxat ab initio corripit. A qua deinde, niſi prohibeatur, in partes alias ſerpit. Illa eſt miſtorum, quatenus miſta ſunt, ſolutio in Elementa. Hæc talis miſti eſt corruptio in tale miſtum: vt vini, in acetum: corporis viui, in cadauer, &c. Non enim ſtatim in Elementa diſſoluitur, quod propriè vocata putredine corrumpitur. Illa opponitur generationi ſimplici, vt naturalis corruptio. Hæc aduerſatur generationi tali, vt morbida & violenta corruptio. Illi ſola natura aditum parat. Hanc ars etiam inducere poteſt. Illi Elementa non ſunt obnoxia. Huic etiam Elementa (igne excepto) non prorſus pura & ſincera ſubijciuntur. Ex illa nullum generatur miſtum aliud. In hac generantur tum animalia tum res aliæ.

30. Definitionem ſi rectè poſuimus, probeq; declarauimus, nullo negotio ad ea, quæ obijci poterunt, ex prædictis reſpondebimus. Primùm igitur quærenti, qua re differat putredo à combuſtione, cùm vtrobiq; calor inſitus ab alieno perdatur? Reſpondebimus, non quamuis caloris congeniti abs peregrino profectã corruptionẽ putredinem eſſe. Etenim per putredinẽ corrumpitur calor manente multa humiditate. In combuſtione cum calore humiditas abſumitur. Idcirco de putridis multa rectè dicuntur, quæ de combuſtis nulla ratione efferri poſſunt. Nam & humidiora fieri dicimus putrefacta: & humorem à calore non amplius regi: & calidiora fieri propter accenſum humorem.

31. Si euaporare cum calore humidum contendas, non inficiabor. (Idem enim Ariſtoteles quoq; affirmauit) ſed totum exſpirare conſtanter negabo. Remanet enim in naturali putredine aquei aliquid: licet humidum, quo calor alebatur, & in quo præcipuè inſidebat, longo temporis ſpatio maxima ex parte vnà cũ calore exhalauerit. Diſſipatur ergo in putredine calor, quoties ab externo auctus, alimentum præparatum abſumit, priuſquam nouum compararit. At totum humidum, quod velut alimentum erat, non educit: quod vel ex eo quoq; perſpicuum fiat, quod ex putrefactis rebus compluribus certa animalia naſcuntur. In putredine igitur perit calor in humido, ſed in combuſtione, vnà cum humido.

32. *In*

32. *In ſuffocatione longè maior eſt difficultas. Non facilè dictu eſt, quomodo à putredine propriè nominata differat: cùm hic etiam inſitus cordis calor in animalibus à circumſtante calore, accenſaq́ fuligine, propter negatam reſpirationem, perimatur. At nullus hunc interitus modum, appellauit putredinem, vt arbitror: licet τῆς μαράνσεως ſpeciem cum Ariſtotele (de iuuent. & ſenect. cap. 5. atq́ alibi) omnes conceſſerint. Conſtat etiam contrarium, ſuffocari ſcilicet, idem eſſe ac putreſcere. Quid enim aliud patitur calor partium obſtructione laborantium, quando propter obſtructionem ventilatio eius impedita eſt?*

33. *Vtrumq́ verum videtur. Nam & ſuffocata animalia non dicimus putrefacta: & per obſtructionem ſimili modo calorem ſtrangulari, quo per ſuffocationem prohibita reſpiratione ſtrangulatur, omnes aſſerunt. An in nominibus magis, quàm in rebus, diſcrimen hæret? In cauſa eſt, quòd in animalibus duplex calor inuenitur, videlicet influens ex corde, & in ſingulis partibus inſitus. Influentis igitur & communis partium omnium caloris interitum ab intercepta reſpiratione ortum, ſuffocationem potius nuncupare placuit, quàm putredinem. Contrà verò inſitum partibus ab eiſdem cauſis corruptum, putredinem magis libuit appellare, quàm ſuffocationem. Quanquam ad hunc modum putrefacta frumenta, fructus, res alias (cùm propter copiam arctè nimis denſantur & compinguntur) vulgò etiam dicere ſolemus ſuffocata.*

34. *Cauſam diuerſæ appellationi præbuiſſe videtur, quod poſt influentis caloris corruptionem, nullum relinquitur putridum cadauer, (vt ſic vocem) quemadmodum in putrefactione aliorum corporum. Etenim animali ſuffocato aut iugulato, non continuò amittunt tum carnes tum aliæ partes naturam, inſitamq́ temperationem ſuam: quamuis abſq́ influente conſeruare non diu poſſint. Igitur cùm in putredine res oporteat ita corrumpi, ὡς χωρισθῆναι τῆς φύσεως, in caloris verò influentis extinctione tale nihil ſtatim appareat, ſuffocationem vocare maluerunt.*

35. *Quæri præterea poteſt, quomodo à coctione differat putrefactio. Equidem in generatione ſanguinis ex chylo (exempli gratia) agit iecinoris calor in chyli calorem, eoq́ ſoluto & corrupto nouam in-*

troducit temperationem & formam. Quæ caloris corruptio cùm fiat ab alieno, ſcilicet hepatis calore, putrefactus videtur chylus, non autem concoctus: niſi & res alias putrefactas quoties vel animal vel aliud quippiam ex ijs naſcitur, concoctas exiſtimare nos oporteat. Par ratio eſt generationis chyli ex ingeſtis alimentis, aliorumque humorum, adeoque ipſius nutritionis. Et, ſi cocta nulla ſint putrida, ne in pure quidem laudabili putridi aliquid ineſſe dabimus.

36. Dicimus neque chylum neque aliam rem vllam putreſcere, cùm ex ea tranſmutata generatur aliquid præſtantius. Mutatio enim nomen ſortitur à fine & termino, ad quem à natura dirigitur, non ab eo, à quo progreditur: ſi, inquam, ad digniorem formam naturaliter adipiſcendam deſtinata ſit. Hinc ſcitè negat Ariſtoteles 3. de generat. animal. cap. 11. ſpontè orientia ex putredine oriri: licet ſine putredine talium nihil fiat. Nihil, inquit, gignitur σηπόμενον, ἀλλὰ πεττόμενον. Rationem adijcit, quia putredo & putrefactum, excrementum eſt rei coctæ.

37. Ergo generationem fieri dicimus, quando ex ſubſtantiali mutatione rei alicuius oritur res nobilior, & ad huius ortum illa à natura fuit ordinata: maximaque ſui parte in perfectius permutatur. Putreſcere autē putamus, quando res aliqua forma & temperatione perfectiore amiſſa deteriorem acquirit, maximaque ſui parte inutilis redditur: licet ex aliqua particula nonnunquam boni aliquid oriatur. Etenim in putrefactis quibuſdam partes aliquas dulces ad principium animalis conſtituendum ſecerni docet in proximè citato loco Ariſtoteles. Nihil interim vetat, quin excrementum, quod in coctione ſecretum eſt, putrefactum concedamus: dum pars maxima rei coctæ perfectiorem formam induit. De coctione propriè dicta (in qua non mutatur ſubſtantia) diſputare, non eſt huius loci. Pus quoque, licet non ſit abſolutè putridum, tamen putredinis expers nullis argumentis oſtendetur.

38. Dubitari inſuper poteſt, quî ab alieno calore dicatur omnis putredo fieri? Cùm ſæpè natiuus calor auctus ſeipſum perdat. Naturalis calor ſeipſum non ſic auget, vt proportionem ſubiecto congruentem amittat, ſed ab alieno ſemper eiuſmodi incrementum prouenit: quod duobus modis contingit. Nam vel propter caloris externi acceſ-

ſionem

ſtionem maior euadit, vel propter retentos inflammatosq́ vapores, qui ſubinde vacuari ſolebant, copioſior acutiorq́ efficitur. Hi enim in corpore propter obſtructionem incluſi, plus ſolito incaleſcunt, & vicinas partes ſimul accendunt. Vtro modo auctus ponatur congenitus calor, ab alieno circumſtanteq́ dicitur corruptus, id eſt, ineptus ad hoc factus, vt temperamentum ſuum ſeruet. Quocirca Elementis aliter temperatis noua miſtionis aut temperationis author fit ac princeps. Noſter igitur eſt, ac non noſter: Naturalis, & alienus: idem atq́ alius: vt ſect. 4. probl. 4. declaratum reperimus. Quo autem modo calor natiuus cum peregrino iunctus ſemetipſum perdat, ſect. 3. prob. 5. alijſque in locis pluribus dilucidè ſatis expoſitum legimus.

39. At nondum patet, inquiet aliquis, quomodo putredo naturalis à calore ambientis inducatur? Contradicentes videntur orationes, putredinem omnem à peregrino calore effici: & putredinem quandam naturaliter euenire. Nam vt naturalis generatio eſt, quæ ab internis cauſis naſcitur, ita oppoſitam ei corruptionē conuenit ab internis cauſis, nulla vi externa interueniente, proficiſci. Aut igitur non competit omni putredini tradita retrò definitio, aut putredo naturalis nulla inuenitur.

40. Nos verò nihil dubitamus ex Ariſtotele affirmare, omnem putredinem ab alieno calore ortum habere: quod definitio clarè probat. Idem libro 5. de genat. anima. cap. 4. repetiuit his verbis: γίνεται δ' ἡ σῆψις ὑπὸ θερμότητος μέν πως, οὐ τοῦ συμφύτου δέ, ὥσπερ εἴρηται ἐν ἑτέροις. In 2. ſect. problem. 33. idem docetur, σήπεται γὰρ πᾶν, τὸ σηπόμενον, ὑπὸ ἀλλοτρίου θερμοῦ, ὑπὸ δὲ τοῦ οἰκείου πέττεται. Idem Galenus atq́ alij omnes & ſenſerunt & dixerunt.

41. Definitionem quoq́ ab Ariſtotele propoſitam violentæ putredini propius conuenire omninò credimus: his perſuaſi rationibus. Primum, quod, quæ poſt hæc verba, εἰ μὴν ἄλλο ἰδίως, &c. de putredine legimus, de violenta videntur magis eſſe dicta (licet etiam naturali poßint aptari) quod tum alia tum poſtrema hæc verba, καὶ ζῷα ἐγγίνεται τοῖς σηπομένοις, apertè ſatis probant. Quî enim naturaliter putrefactis, hoc eſt, ex rebus in elementa diſſolutis, animalia naſci putemus? Deinde quod in omnibus ſuis ſcriptis nullo in loco,

quantum meminiſſe poſſum, de alia, quàm propriè vocata putredine, loquitur. Tertiò, quòd nullus author vetuſtus, alius, quàm particularis putredinis mentionem facere noſcitur. Quartò, quòd eum magis decebat propriè nominatæ, quàm impropriè, & à nullo alio ſic appellatæ, definitionem tradere. Poſtremò, quòd naturalis putredinis deſcriptionem propriam & peculiarem attulit, his verbis, γίνεται δ' ἡ φθορὰ, ὅταν κρατῇ τοῦ ὁρίζοντος τὸ ὁριζόμενον, διὰ τὸ περιέχον. Et ſanè, decebat eum corruptioni, quæ generationi naturali opponeretur, oppoſitam aſſignare deſcriptionem. His addi poteſt, quod in definitione mentio nulla fit Marcoris: quem oportet naturalem putredinem præcedere. Quare illam nobis putredinem definit, quæ omni tempore & loco accidere poteſt.

42. *Etſi verò in definitione corruptionis naturalis mentio quoque fit continentis, non ob id tamen naturalis non eſt. Nam ſi naturalis mutatio non eſt, quando cum cauſis naturalibus iungitur ambiens, impoſſibile eſt corruptionem aliquam naturalem ſtatuere. Etenim τὸ περιέχον ſiue ambiens pro natura viribusq; ſuis res, quas ambit, perpetuò alterat: & cum efficientibus cauſis naturalibus ſemper concurrit. Indicauit hoc Ariſtoteles cùm in lib. de longit. & breuit. vitæ, cap. 4. ſcripſit: τὸ περιέχον ἢ συμπράττει, ἢ ἀντιπράττει: cumq; ob hanc ipſam res quaſdam in alia loca translatas, melius aut deterius habere, magiſq; aut minus diuturnas eſſe affirmauit. Notum eſt Hippocratis illud, γλῶ μὲν ἀμείβειν ἐν τοῖσι μακροῖσι νοσήμασι, σύμφερον. An generatio naturalis nulla eſt, quia cum natiui caloris actione ſemper iungitur actio caloris continentis? Ergo ſiue frigefaciendo exſtinguat, ſiue calefaciendo tabefaciat, omnis erit corruptio violenta?*

43. *Quod cùm manifeſtè ſit falſum, fateri oportet, non omnem ambientem actionem, quæ naturaliter agentibus ſuperuenit, violentam eam reddere. Quoties ambiens corpus intra mediocritatem calens natiuum alicuius rei calorem, qui ſeipſum longo temporis tractu ſenſim confecit, & ad infimum ferè debilitatis gradum deduxit, diſſoluit, naturaliter hæc res interijſſe dicitur. Quæ ſic moriuntur animalia, ea diſertè Ariſtoteles ſcribit mori, οὐδενὸς βιαίου πάθους αὐτοῖς συμβαίνοντος, de Reſpirat. cap. 16. Sed & ſine dolore ex leuiſſima*

cauſa

cauſa interire ait, διὰ τὸ ὀλίγον εἶναι τὸ θερμὸν, ἅτε τοῦ πλείςου διαπεπνευκότος ἐν τῷ πλήθει τῆς ζωῆς. Contrà euenit, cùm calor vegetus eſt ac robuſtus. Non enim ſine violento calore externo tunc opprimi poteſt inſitus.

44. Video etiam à nonnullis ambigi, num ſpiritus putreſcere poſſint? Tenuiores & molliores eſſe aiunt, quàm vt ab alieno calore propius diſſoluatur. Diſſipari enim priuſquam tale quid perpetiantur. Hac de cauſa febrem in ſpiritibus accenſam inter putridas non numerari iidem affirmant. Quibus accedit, quod in perpetuo quodam motu exſiſtentes, putreſcere nullo pacto valeant: cum hoc accidat rebus humidis potius, & propter impeditum motum reſpirare non potentibus.

45. Sed horum opinionem, ratio, experientia, & authoritas Ariſtotelis refellit. Quippe certum eſt, miſta omnia etiam imperfecta putreſcere poſſe: & ne Elementa quidem impuriora (igne excepto) hac in parte tuta eſſe: Spiritus autem noſtros miſtos eſſe, adeoq́; ex rebus ſæpè multumq́; miſtis gigni, controuerſia caret. Deinde cum & calefieri & frigefieri viciſſim poſſint ſpiritus, quî putabimus putreſcere nunquã poſſe? Ariſtoteles certè talia cuncta putredini obnoxia putauit, Sectio.25.probl.19. Deniq; cum, quæ ſua natura non fœtent, ſi fœtidi nihil eis permiſceatur, fœtere abſq; putredine non poſſint, ſpiritus non nunquam putreſcere certiſſimum eſt. Nam grauiſſimè aliquando olent: quamuis nihil eis fœtidi admiſtum ſit. Docet item experientia, exhalationes à rebus quibuſlibet (aqua etiam) exſpirantes, interdum putreſcere: quod ſitus & canitiei exemplis Ariſtoteles probat lib.5. de generat. animal. cap.4. & 5. Simile quippiam in 10. quoque Sect.17.probl. legimus. Quam eandem ſententiam in multis alijs præterea locis comprobauit. ſect.3.probl.7. & 10. Item ſect.7.probl.4. quo in loco & Tabidos, & peſtilente morbo affectos putridum exhalare ſpiritum ſcribit. Aſſentitur Alexander (quiſquis tandem fuerit author) lib.2.probl.43. Mirum certè ſit, ex aqua exhalantes vapores putredini obnoxios eſſe, ac ſpiritus noſtros, qui ſinceri nuſquam & nunquam reperiuntur, à dutredine immunes exſiſtere.

46. Quid clarius eo dici poteſt, quod ſect.13.probl.7. dicit? Aërem videlicet in ventriculo contentum per ieiunia calefactum putrefacere Spiritus & pituitam? Nec aliud voluit, cum eadem ſect. probl.

to. ſic ſcripſit, ἀλλὰ σύμπτεται ἡ ἰκμὰς καὶ τὸ πνεῦμα εἴσω μᾶλλον ἐγκαταπλειόμενον. Sic cum ſect. 10. prob. 41. dicit, omnia τὰ κινούμενα καὶ ἀτμίζοντα celeriter putreſcere, vapores & exhalationes facilè putredine affici oſtendit.

47. Patet ex prædictis omnibus, non aliud, vel aliter Ariſtotelem de putredine propriè nominata protuliſſe ac ſenſiſſe, quàm Medici & Galenus de hac re ſtatuerunt. Facilè quoq; ex iiſdem reliquæ difficultates, quas tum Argenterius tum alij de hac re propoſuerunt, diſſoluuntur: vt pluribus hic iam non ſit opus. Anno 1577.

DISPVTATIO XVII. RESPONDENTE *Leone Vuolffhardo Memmingenſe.*

De Melancholia.

MElancholiam deſipientiam quandam eſſe, controuerſia caret. Sed cum ſpecies multæ ſint, videndum eſt, de qua nam hoc nomen propriè efferatur.

2. Modus delirantium non eſt vnus. Aliqui enim ſola cogitatione aberrant. Alij inſuper verbis ſe non ſapere declarant. Plurimi opere aliquo idem hoc demonſtrant. Poteſt enim, qui verbis deſipit, opere non errare. Poteſt etiam aliquis inſipienter agere, vt interim ſtulti nihil dicat. At neutri ſine vel imaginationis vel ratiocinationis oblæſione delirant.

3. Quocunq; autem modo aliquis aberret, neceſſarium eſt, vt vel abſque febre inſaniat, vel cum febre ineptiat. Sed de illis, qui propter febrem delirant, in præſentia non agemus. Deſipientia ergo ſine febre conſiſtens, vel eſt ſimplex ac breue delirium, vel longa & durabilis inſania. Illud vel dormientibus, & ex ſomno nuper excitatis accidit, (atq; inſomnium aut error à ſomno factus vocatur) vel vigilantibus ſuperuenit, percuſſis aut ſubito pauore conſternatis, aut ebrijs, aut ſimilibus fumis (vt luporum odore) caput repletum habentibus. Accidit hæc delirij ſpecies imbecillam imaginationem aut ratiocinandi virtutem poſſidentibus: ſed non perſeuerat.

4. Durabilis & vehementior deſipentia (ſi abſq; febre conſiſtat, nec conge-

congenita, ſed morbi alicuius ſoboles exſiſtat) vel furibunda eſt, vel mitis ac ſine ſæuitia. Furibundam vocant Græci maniam: Mitiorem ſi abſoluta ſit memoriæ & ratiocinationis amiſſio, tum ἄνοιαν tum μώρωσιν (id eſt, amentiam & ſtultitiam) iidem nominant: ſi imperfecta ſit vel ratiocinationis vel imaginationis perditio, ſed imminuta, vel ex parte aliqua deprauata, Melancholiam nuncupant: maximè ſi timorem & triſtitiam habeat comites.

5. Ex his integram habemus nominis, quoad ſymptoma ſignificat (Nam & diſpoſitionem ſymptomatis cauſam idem denotat) definitionem: quod nimirū Melancholia ſit deſipientia ſine febre mitis cum perſeuerante metu & triſtitia. Conſequens igitur eſt, vt tum propriū ſubiectum, tum diſpoſitionis genus quale ſit, inquiramus.

6. Subiectum proprium Melancholiæ cerebrum eſſe, nullus, puto, audebit dubitare, qui ratiocinationem cerebri operationem eſſe propriam concedit: tametſi, quæ pars cerebri potiſſimum afficiatur ab hoc morbo non perinde ſit manifeſtum.

7. Vt hanc inueniamus, ſciendum eſt, ratiocinationem, imaginationem & memoriam, inſtrumentales eſſe actiones, nō ſimilares. Quare morbos, qui haſce per ſe primò lædunt, neceſſarium eſt, inter inſtrumentales diſpoſitiones cenſeri, non inter ſimulares collocari.

8. Qui de hoc dubitat, in Antiparacelſ. diſputationib. vbi differentiam inter ſimilares & inſtrumentales actiones maiore accuratione excuſſimus, demonſtratum reperiet. Sed & nunc aliquid huc pertinens repetere cogimur.

9. Inter partes cerebri numerantur membranæ, nerui, ipſa cerebri ſubſtantia, & in eo contenti generatiq; ſpiritus. Arteriæ & venæ ad obeundas actiones Principes hîc non maiorem vſum habent quàm alibi: ſed alimentum, calorem vitalem ac materiam, nutritioni tantummodo ſuppeditant.

10. Membranæ in cerebro, vt etiam extra cerebrum, defenſionis, munimenti & operimenti gratia duntaxat datæ ei ſunt, quod Gal. lib. 7. cap. 3. de Plac. Hipp. & Plat. non ratione ſolùm demonſtrat, verumetiam experientia manifeſta comprobat.

11 Sed nec nerui actiones prædictas iuuant aut promouēt. Etenim natura ſic eſt cōparatū, (quod veriſſimè Gal. ſcribit) vt ſubſtantiarū

proprietates ſecum habeant facultatum ſibi conuenientium proprietates. Si ergo non ſunt inſtrumenta ratiocinationis & imaginationis extra caput, quomodo in cerebro fuerint?

12. Iam quod ipſa etiam cerebri ſubſtãtia, figuratione inſtrumentali excluſa, cauſa princeps & proxima prædictarum operationum non ſit, argumentis firmis oſtenditur: inter quæ primum hoc eſto. Ratiocinatio non eſt purè ſimilaris actio. Quare à ſimilari cerebri ſubſtantia primò non editur. Non enim quælibet cerebri particula ratiocinationem inchoat ac perficit: quæ ſimilarium partium omnium eſt proprietas communis & inſeparabilis.

13. Deinde certũ eſt, ratiocinationem nec attractionem quandam eſſe, nec retentionem, nec coctionem ſeu aſſimilationem, nec aliam talem actionem, quæ ſolæ ſunt purè ſimilares. Etſi enim pars quælibet ſibi conuenientia ad ſe trahit, & in propriam ſubſtantiam vertit, omnes tamen hoc vel illud trahunt, & hoc vel illo modo transmutant, ſolius temperamenti opera: nihil ad id conferente partium figuratione. Quare cum extra complexum generis ſimilarium actionũ poſita ſit ratiocinatio, à ſola cerebri ſubſtantia & temperatione nõ producitur.

14. Differt quidẽ aſſimilatio, quæ in cerebro & à cerebro fit, ab ea, quæ in oſſib. carnib. alijsq. partib. perficitur. At aſſimilationes tamen ſunt omnes, non genere, ſed ſpecie ſolùm diſcrepantes. Ratiocinatio autem & imaginatio toto genere ab aſſimilatione omni diſtant. Ratio par eſt aliarum verè ſimilarium actionum.

15. Adde quod Ratiocinationes tot oporteret ſpecie differentes in vnoquouis homine inueniri, quot ſimilarium partium differentias reperimus. (Etenim tot ſunt attractiones, retentiones, aſſimilationes ſeu coctiones, & expulſiones, & ſi qua eſt alia ſimpliciter ſimilaris actio.) Quod quia longè falſiſſimum eſt, falſum quoque eſt, prædictas cerebri actiones à cerebri ſubſtãtia, quatenus eſt pars ſimilaris, ꝓduci.

16. Videtur etiam momentanea læſio primarium actionum abundè probare ipſas exactè ſimilares non eſſe. Etenim aliqui ſubitò delirare incipiunt, priuſquam vlla omninò intemperies cerebri ſubſtantiæ aſpergi tanta potuerit, quæ has actiones manifeſtè ac ſenſibiliter lædat. Nam temperationes partium ſenſim labeſiunt: non ſubitò ex ſanitatis latitudine exeunt.

17. Nec

17. *Nec valet obiectio de febribus putridis. Etenim putridæ non inuadunt repentè, ſed præcedit eas moleſtus ſenſus, inæqualitas corporis, pandiculatio, oſcitatio: His ſuccedit frigus, aut horror, aut rigor. Diu enim cor reſiſtit putrido vapori: nec ſubitò vincitur. In Ephemeris maior eſt ſimilitudo: cum in principum actionum offenſis ſpiritus animales, vt in Ephemera vitales, præcipuè afficiantur.*

18. *His addatur, quod ſtructura ſeu conformatione cerebri oblæſa, temperatura ſubſtantiæ non mutata, ſtatim pereunt ſenſus & ratio: ſicut in ventriculorum compreſſionibus contingere videmus. Quis neſcit, actiones principes in Epilepſia ſubitò hominem corripiente (vt cum ab aſcenſu auræ venenatæ oritur) vehementer lædi, temperatione eius illæſa permanente? Fingere non poſſumus, cerebri temperaturam in momento temporis tam procul extra ſanitatis fines exſilijſſe. Vt.n. alteratio tanta fiat, opus eſt lõgiore tẽpore: ſicut nuper diximus.*

19. *Scribit Galenus ſubſtantiam cerebri lædi, vulnerari, partẽ eius eximi, nec tamen vel ſenſum, vel motum, vel alias operationes principes euidenter offendi. Idem hoc chirurgi ætatis noſtræ multis exemplis edocti conſtanter aſſeuerant: vt in hac parte nulla relinquatur dubitatio. At figura ventriculorum per compreſſionem mutata perit.*

20. *Quã, oro, reddemus rationem admirabilis ſtructuræ cerebri, tot cauitatum, ductuum, magnitudinis, ſitus, figuræ, &c. ſingulorũ, ſi primarum actionum cauſa ſic conformatum non eſt? Propter ſolam ſpirituum generationem, conſeruationem & commeatum haud rectè fortaſſe dixerimus omnia hæc ſic facta. Neq; enim tanto apparatu in corde opus fuit: vbi longè plures generari ſpiritus oportuit.*

21. *At ſpiritus cordis inquies, nec tam puros, ſubtiles, lucidos, mobiles, nec ſeorſum à ſanguine extare oportebat, ſed cum ſolius caloris vehicula ſint, & cum ſanguine arteriarum in membra deriuari aptiſſimè valeant, apparatu tam exquiſito non eguerunt. Sanè ſpiritus, qui in ſemine corporis contenti generationis ſunt authores, minore adhuc inſtrumentorum varietate opus habuere: quia cum ſeminis corpore magis miſtos eſſe expediebat. Par eſt ratio ſpiritus naturalis, ſiquidem datur, vt præclari tum Philoſophi tũ medici arbitrati ſunt.*

22. *Haud nego, ſpiritus animales à ſanguine & humoribus ſecretos prædictis qualitatibus præditos, magiſq; elaboratos intra cerebri*

cauitates conſiſtere debuiſſe: & ob id inſtructiore magisq́ue varia officina indiguiſſe: (præſertim cum calor in eo non ſit, vt in corde, validus) at ex eo non effici aio, nihil admirabilem illam fabricam ad functiones animales conferre,

23. Addamus hoc quoq́ue, ſi libet, quod Philoſophi ac Medici primum animæ inſtrumentum ſtatuunt, non ipſam cerebri ſubſtantiã, ſed in ea contentos ſpiritus: quibus eliſis, ſuffocatis, diſſipatis, immobilibus factis, continuò actiones principes impediri videmus. Conſtat verò, multò copioſiores eos in ventriculis, quàm in corpore cerebri, contineri. Equidem qui per ſubſtantiam diſperſi ponuntur, per vulnera exeuntes nihil incommodi adferunt animali.

24. Deniq́ue certum eſt, ratiocinationem & imaginationem eſſe actiones arbitrarias potius, quàm naturales: aut ſaltem nõ eſſe purè naturales. Etenim ratiocinamur & imaginamur hoc vel illud, cum volumus & quamdiu volumus: quando ſcilicet ſani ſumus. Quando enim cerebrum præter naturam diſpoſitum eſt, vt in hoc ipſo, de quo diſputamus, affectu, non poſſunt non actiones diſpoſitioni reſpondere. Quod vero naturales operationes, quæ omnes ſimilares ſunt ex arbitrio noſtro non obeantur (Non enim ventriculus, exempli gratia, benè vel malè, citò vel tardè, concoquit, nobis ita volentibus: ſicut nec ignis vrit aut non vrit nobis iubentibus) per ſe notum & confeſſum eſt.

25. His omnibus firmè probatum eſt, cerebri ſubſtantiã primum & proprium inſtrumentum actionum principalium nullo modo eſſe. Superſunt ſpiritus, quibus hoc munus adſcribere bonis rationibus impulſi cogimur.

26. Primũ enim præter ſpiritus nihil reliquum eſt, cui aptè attribui poſſint. Deinde certum eſt, velociſſimas actiones obiri non poſſe ab inſtrumento alio, quàm in omnes partes mobiliſſimo. Quid vero celerius in nobis ſit cogitatione, imaginatione, &c? Nihil. Etenim ita ſunt ſubita, vt inter eas temporis momentum animo comprehendi vix queat: & omnem linguæ volubilitatem longè anteuertant. Nihil etiam animalibus ſpiritibus mobilibus vel fingere licet.

27. Comprobat ſententiam, quod nullæ actiones aliæ celerius & læduntur, & ad naturalem ſtatum redeunt. Etenim ex ſubitò & inopinato pauore delirantes, vt ſubitò deſipiunt, ita ſtatim ad ſe reuertuntur.

tur. Idem Melancholia Hypochondriaca laborantibus, & febre deſipientibus, dormientibus item nonuunquam contingit. Fieri hæc non poſſent, ſi talium actionum inſtrumentum non eſſet maximè mutabile ſeu mobile.

28. *Huc accedit omnium ferè Medicorum & Philoſophorum conſenſus, qui ſpiritus animalis facultatis eiuſque operationum, primum & immediatum inſtrumentum eſſe confitentur.*

29. *Ita tamen ſpiritus animalium actionum inſtrumenta facimus, vt fabricam cerebri non excludamus. Sed omninò neceſſariam ſtatuamus. Etenim à cerebri ſtructura, vtpote parte animata primò producuntur operationes principes & animales, at non ſine ſpiritibus. Quippe non agere nec viuere abſque ſpiritibus poteſt, & pro eorum apta vel inepta conſtitutione naturaliter, aut præter naturam diſponitur, ſiue ſanum ægrúmue exiſtit. Hinc ſpiritibus in agendo primas tribuere partes ſolemus, quia prima cerebri atque animæ inſtrumenta eſſe nouimus.*

30. *Liquidè, quod dicimus, illud demonſtrat, quod nullo alio vitio in ventriculorum figuratione apparente, quàm quod ob ſpiritus malè affectos euenit, deſipere multos videmus. Etenim per ſimplex delirium, per ſomnum, per conſternationes repentinas, ex ſolo inordinato & perturbato ſeu turbido ſpirituum motu errant aliqui. Ab eadem cauſa vertigo etiam aliquando oboritur.*

31. *Loco affecto ſeu proprio ſubiecto (quod* πρῶτον δεκτικόν *vocari ſcimus) cognito, poſtulat Methodi ratio, vt, qualiſnam ea ſit in ſpiritibus affectio, inquiramus. Certum verò eſt, ex antè dictis, cauſam eſſe ſpiritus, non tam quoad ſunt partes ſimilares, ſeu certa temperie inſigniti, quàm quoad inſtrumenti fabricæ ſeruiunt: hoc eſt, quoad ſunt lucidi, tenues, ſubtiles, puri, mobiles. Si enim horum aliquid mutetur, temperatione perdurante, mox principes actiones læduntur.*

32. *Nec obſtat, quod temperamento Spirituum vitiato, actiones prædictæ pariter læduntur. Non enim hoc fit ſemper, ſed tunc ſolùm, quando intemperies prædictas ſpirituum qualitates inſtrumentales corrumpit. Argumento eſt, quod temperatione illæſa permanente, ſi prædictorum aliquid mutetur, actiones ſecundum analogiam mutari experimur: at temperatura mutata, nihilominus actiones integræ tantiſper manent, dum ex prædictis qualitatibus aliqua immutata fuerit.*

33. Hoc multos fortaſſe fefellit, (& nunc etiam fallere aliquos poſsit) quod longè citius ab intemperie ſpirituum inſtrumentales diſpoſitiones offenduntur, quàm partium ſolidarum. At ob id non eſt cenſendum, eandem illius & harum eſſe conditionem.

34. Cogimur hoc loco obiectionibus quibuſdam reſpondere. Etenim Gal. (obijciat aliquis) de diff. morb. cap. 6. de loc. aff. 3. cap. 5. Therap. Meth. 1. cap. 6. de rat. cur. per ſangu. miſſ. cap. 4. in quolibet inſtrumento particulam vnam eſſe aſſerit, quæ propter ſuam temperationem ſit principale inſtrumentum actionis ab inſtrumento toto editæ. Videtur experientia quoq; idem commonſtrare. Etenim reſecato humore cryſtallino, perit viſio, Perfrigerato neruo, impeditur motus. Cerebro nimium excalfacto, naſcitur delirium.

35. Alij aliter ſententiam noſtram impugnant, dum ibi ratiocinationem, memoriam, imaginationem, fieri contendunt, vbi ſiſtuntur idola ſeu phantaſmata per ſenſus recepta. Hæc autem figi videntur in ſolido cerebri corpore: non in ſpiritibus adeò mobilibus corporibus, vt per momenta fermè generari & corrumpi videantur.

36. Perfacilis eſt ad omnia reſponſio. Etenim Gal. hoc minimè ſenſit, particulam, quæ in quouis inſtrumento primaria eſt actionis inſtrumentalis cauſa, ratione ſeu temperamenti actionis eiuſdem cauſam eſſe primam. Quoniam morbus nullus daretur purè inſtrumentalis: quòd cum principijs eius ex diametro, vt dicitur, pugnat. Si enim temperamentum principalis particulæ ſemper, vt vera & proxima cauſa, concurrit ad inſtrumenti cuiuſlibet actionẽ, non iam à ſola inſtrumenti diſpoſitione editur illa actio. Quare nec à ſolo eiuſdem diſpoſitionis vitio impeditur.

37. Quare Gal. mens & ſententia non fuit, ſimilarem in quolibet inſtrumento (quod ex pluribus partib. conformatũ eſt) particulam, ratione temperationis ſuæ primò cauſam eſſe inſtrumentalis actionis, ſed per interuentum diſpoſitionis inſtrumentalis: vt ex cap. 6. li. 1. Meth. perſpicuè patet. Ibi enim ſolum cryſtallinum humorem à receptis colorum ſimulachris ſic alterari, vt viſio fiat, partes verò alias huic inſeruire, et ad rectè agendũ adiumento duntaxat eſſe oſtendit: temperamentũ primã receptionis atq; alterationis illius cauſam eſſe nõ dixit.

38. Manifeſtè probant, quæ diximus, primũ Galeni verba, deinde ratio. Etenim Galen. humoris Cryſtallini leuitatẽ, puritatẽ, et ſplen-

dorem ponit cauſam proximam receptionis & alterationis à coloribus factæ: temperamentum remotiorem cauſam facit, quatenus ſcilicet puritatis cauſa exſiſtit. Docet ratio, alterationem fieri inter contraria & à contrarijs. Certum verò eſt, nec colorem contrarium primo eſſe temperamento, nec temperiem coloribus. Quare non eſt propinquiſſima huius alterationis cauſa temperatio, ſed antè dicta inſtrumentalis diſpoſitio.

39. *Clariùs idem demonſtrat altera hæc ratio. Viſio læditur, quoties inſtrumentalis diſpoſitio humoris Cryſtallini læſa eſt, nulla prorſus in eius temperatione mutatione facta. Si enim ſitus mutetur, aut à principio natiuitatis locum occupârit profundiorem aut elatiorem, mutatur iuxta proportionem viſio, teſte Gal. in arte Med. cap. 27. At læſo temperamento (ſi modo qualitas inſtrumentalis nulla lædatur) non impeditur. Quamobrem proprior ac verior cauſa viſionis læſæ eſt morbus inſtrumentalis, morbo ſimilari, ſeu intemperie, cùm hic per aliud, ille primò actionem oculi impediat.*

40. *Experientia nobis, non aduerſarijs patrocinatur. Quippe non quælibet Cryſtallini ſiccitas, ſed inſtrumentalem eius diſpoſitionem, ſcilicet leuitatem, æqualitatem, puritatem & ſplendorem lædens, viſionem impedit. Quocirca non per ſe primò, quod morbi proprium eſt, offendit, ſed per corruptionem qualitatis ad inſtrumenti formationem pertinentis officit. Sic & viſorius neruus à frigore compactus, non ſuſcipit aut non defert animalem virtutem, quemadmodum nubes condenſata non tranſmittit Solis radios propter craſſitudinem. Sic & cerebri calida intemperies ſpiritus agitans vehementius, deliria inducit, ſpiritibus non perturbatis mentem aut phantaſiam non lædit, quod in cerebri calidis morbis multis experimur.*

41. *Si ob id velis temperamentum facere proximum actionis inſtrumentum: quia eo corrupto actio nonnunquam læditur, vehementer fallêris. Etenim ad conſtructionem multis egemus: quorum ſi vnum lædatur, impeditur actio. Quoties enim plures cauſæ ſic ad effectus vnius productionem concurrunt, vt prior virtute poſterioris agat, priore læſa, poſteriores quoq; ſunt læſæ. At non retro res commeat. Non enim poſteriore læſa, antecedentes eam lædi oportet.*

42. *Cæterum conſtat actiones cerebri principes ſæpenumero impe*

diri,nulla in temperatione mutatione facta: & temperamento læſo, eas actiones non impediri,niſi aliquam intemperies inſtrumenti qualitatem actioni neceſſariam corruperit. Quare cogimur confiteri velimus nolimus,non à temperie,ſed ab inſtrumentali ſpirituum qualitate actiones tales primò produci.

43. De idolorũ receptione cùm nihil certi poſſit dici,nihil eo monſtratur argumento. Nec probat mobilitas eos non ſuſcipere,cùm nec aër motus,nec aqua leniter fluens rerum ſimulachra amittant. Deinde non ſic recipiuntur in ſpiritibus phantaſmata,ſicut in oculo & ſpeculis recipi videmus: quod vel vertigo quædam doceat ſola. Non enim in omni vertigine vel res vel ſpeculum ſeu cryſtallinus humor rotantur,ſed id ſolùm,quod in ſe rerum imagines habet. At non ſolidum cerebri corpus in gyrum verti poteſt: ſed ſolis ſpiritibus datum hoc eſt.

44. Quod ſi ergo ratiocinationis,imaginationis,&c.cauſam rectè demonſtrauimus eſſe cerebri ac ſpirituum animalium naturalem diſpoſitionem ſiue ſanitatem,prorſus neceſſarium eſt,vitiata tum ratiocinationis,tũ imaginationis,cauſam proximam eſſe diſpoſitionem eorundem ſpirituum inconuenientem. At Melancholia eſt affectio quædam cerebri rationem aut phantaſiam primò lædens. Quare diſpoſitio eſt praua cerebri propter ſpiritus malè affectos eueniens.

45. Equidem quod nos per ſomnum,per ſubitũ timorem, per ebrietatem,&c.falſa imaginari cogit,idem quoq; vt per Melancholiam aliaſq; deſipientiæ ſpecies imaginando erremus,efficit. At in prædictis cauſa eſt vel ſpiritus inordinatè motus,vel vapor alienus cum eo miſtus,diſpoſitionem cerebri naturalem contaminans. Hinc ſcitè dictum eſt,talia eſſe delirantium phantaſmata,qualia ſunt dormientium ſomnia.

46. Non obeſt ſententiæ,quod illæ deſipientiæ ſunt breues,melancholica autem deliria plerunq; longa exiſtunt. Hoc enim non modum generationis alium eſſe probat,ſed perſeuerantium cauſæ eandem vtrobiq; non eſſe,clarè oſtendit. Hinc ex hypochondriaca melancholia deſipientes: quia malum in cerebro pertinaciter non hæret,ſæpè ad ſe ſubitò redeunt,ac puriſſima interualla habent.

Quo-

47. *Quocirca nihil eſt aliud Melancholia morbus quàm praua quædam ſpirituum cerebri diſpoſitio à melancholicis fumis profecta, mitem cum perſeuerante timore & triſtitia deſipientiam inducens.*

48. *Duplex porrò eſt huius morbi ſpecies. Nam vna perpetua eſt, altera ex interuallis affligit. Illius cauſa eſt in ipſo cerebro, huius extra ipſum ſubſiſtit, ac hypochondriaca à Medicis nominatur. Illam rurſus bipertitam faciunt. Nam aut in ſolo cerebro humor ac vapor talis continetur, aut in toto corpore (vel pluribus ſaltem alijs partibus) collectus eſt.*

49. *Si probè definitionem poſuimus, ex poſitis ad problemata & obiectiones aptè quoq; reſpondere poterimus. Quæritur primò, cur adeò ſint meticuloſi, qui Melancholia laborant? Galenus lib. 1. de ſymptom. cauſ. in fine: & lib. 3. de locis aff. cap. 7. ob id euenire ſcribit, quia calor atræ bilis mentis ſedi tenebras inducat, propter quas ſic metuat æger, vt imperiti meticuloſi & pueri in tenebris ſpectra formidare ſolent.*

50. *Sed hæc reſponſio Auerrhoi non probatur 3. collig. 40. cap. vbi eam his argumentis impugnat. Color, inquit, per ſe nullam actionem talem corrumpit aut impedit: cùm ſolum viſum mouere poſſit. Actionum prima cauſa eſt temperamentum. Quare ab intemperie ſola impediuntur actiones à temperatione profectæ. Nam vt temperatio bona, bonas, ita mala, malas actiones per ſe efficit. Deinde ſequuntur animi mores corporis temperamentum, non autem colores. At timere ad mores pertinet. Tertiò, ſicut lætitiam parit ſanguis temperamenti ſui ratione, non quia rubedine ſua cerebrum illuminet, ita ſuccum Melancholicum credere debemus naturæ ſuæ proprietate formidinem generare, non quia cerebrum tenebroſum efficiat. Denique fabulæ ſimile videtur, dicere, nigredinem perinde obſcurare cerebrum, atque tenebræ aërem, & per eum modum terrere, vt pueri in tenebris terrentur. Anima certè noſtra abſque oculis non videt. Quare nigrorem in cerebro, non in oculis exſiſtentem, minimè perſpicit.*

51. *Non ſunt contemnendæ Auerrhois iſtæ rationes, licet non omnes directæ Galeni opinionem oppugnent. Nec eas refellunt, qui aduerſus vltimā argumētantur, In vertigine repræſentari nobis res, ac*

ſi in gyrum mouerentur, quamuis neq; intra neq; extra oculum ſic mo ueantur: In ſuffuſionibus ſimile quiddam vſu venire: In criſibus etiam futuris ſplendores oculis obuerſari. Etenim quia in cerebro ſpiritus in orbem torquentur, etiam in oculis circumferuntur: & ſic res videntur circumuolui, ſpiritu oculorum volutato. Videntur ergo res volui, quia in oculo prius voluuntur imagines earum. Deinde non formantur hæ ab oculis volubiles imagines: ſed ab externis obiectis fluentes propter motum ſpirituum, in quibus recipiuntur, eodem moueri modo videntur: cùm tenebræ illæ Melancholicorum ſuccorum in oculis nunquam fuerint. In ſuffuſionibus quoq; & criſibus humores aut vapores inter corneam & cryſtalloidem humorem contenti phantaſiam hanc efficiunt.

51. Sed & alijs argumentis defendi Auerrhois, & refelli Galeni ſententia poterit. Si enim Melancholicus ſuccus nigredinis cauſa terreret, pituitoſus albedinis gratia alacres & animoſos redderet: quem tamen Galenus humorem ad morum conformationem nil conferre affirmat. Sic enim in expoſitione lib. Hipp. de humoribus com. 2. text. 30. ſcribit: Acies animi & intelligentia, inquit, à bilioſo humore: conſtantia & firmitas à melancholico: ſimplicitas & ſtoliditas à ſanguine gignitur. Pituitæ autem natura, quam in prima ciborum mutatione gigni neceſſariò apparet, eſt ad mores conformandos inutilis. Ergo ſicut nec bilis propter colorem audaces & ingenioſos, nec ſanguis propter ruborem humanos, faciles, ſimplices facit: ita nec melancholicus ſuccus propter nigrorem terrores incutit. Conſtat pituitoſos fermè ignauos, tardos, & pigros eſſe. At nullus propter pituitæ ſplendorem tales ipſos eſſe iudicat. Cur ergo propter nigredinem timere aliquos putamus? Quid, quod Maniaci humorem aut fumum atriorem in cerebro habent, quàm Melancholici: qui tamen non tantum non ſunt meticuloſi, verùm etiam audaciſſimis audaciores? Tenebræ quoq;, ſi ex natura ſua, quæ eſt priuatio, metum inferrent, ſemper hoc facerent. Sed nec ſemper, nec omnibus timorem pariunt.

52. Qui Galenum tueri volunt, duplicem adferunt ad prædicta reſponſionem. Aliqui tenebras imaginationem corrumpere aiunt, quatenus ſpiritus viſionis inſtrumentum exiens cum tenebris miſtus phantaſmata pariat horrida. Propter nigros enim ſpiritus non apparere

ſimulachra

ſimulachra in eis recepta, vti ſunt: ſed horridiora videri. Alij tempe- ramenta non primis ſolùm qualitatibus, verum etiam ſecundis, ſplen dore, leuitate, obſcuritate, &c. functionibus prodeſſe aut obeſſe aiunt. Hoc inde fieri dicunt, (non quia color ſit qualitas agens, aut quia tem peramentum mutet, &c.) quia temperamentum conſequatur.

54. *Verùm probabilior, &, ſi non fallit animus, verior eſt Auerr- bois ſententia. Firma enim manent prædicta argumenta: & facilè confutari poſſunt nuper dicta. Etenim falſum eſt, ſpiritus exire, & cum tenebris miſceri. Fit enim viſio recipiendo: nec exeunt ſpiritus extra oculos, quin momento diſſipentur. Sed nec miſceri cum eis tene- bræ poſſunt: cùm ſint nihil aliud quàm priuatio. Hanc ob cauſam ne penetrare quidem intra cerebrum valent. Quî enim moueretur priua- tio, aut à ſpiritibus intrò deferretur? Si lumen ex felium (& ſimi- lium quorundam animalium) oculis effluere, ac proximum aërem il- luſtrare obijcias, tam non redire ad oculi interiora vel ſpiritus vel lu- men, quàm non regreditur lumen ab igne emiſſum ad ignem, reſpon- debo. Deinde multa imaginantur Melancholici, quæ extra ipſos nun quam reipſa fuerunt: ſicut omnes aliquando ſomniant, quæ extra ſe viderunt nunquam.*

55. *An etiam oculorum ſpectra de die recepta cum ſpiritibus intra cerebrum miſceri, & ſic territare dicemus? At formæ ſunt non rea- les, vt loquuntur in ſcholis, ſed intentionales: & ob id miſceri cum re nulla poſſunt. Quid verò de ſonis, quos auribus hauriunt, commini- ſcemur? An & hos propter nigredinem horridè recipi affirmabimus? Certum enim eſt ab his non minus, quàm ſi à ſimulachris, quæ per o- culos tranſmittuntur, ſpiritus turbari metumque inijci. Quòd ſi propter colorem hunc tam terribiles efficiuntur rerum imagines, cur vnius aut alterius rei duntaxat ſpecies ita deformatur? & non omnes hor- rificificæ redduntur? Certè ab eiſdem omnes ſpiritibus recipiun- tur.*

56. *Splendorem, puritatem, læuitatem, &c. in certis partibus, vt hu moribus oculorum, & cerebri Spiritibus requiri fateor: ſi de inſtru- mentali operatione ſermo ſit. At functiones purè ſimilares, quæ à tem- perie primò efficiuntur, tam non promouent aut impediunt, quàm non efficit color flauus in bile, vt magis minuſque mordeat. Non enim quia*

flaua eſt, mordet, ſed quia calida. Non inficiamur itaq; ſimulachra à ſenſibus tranſmiſſa minus probè ab opacis & craſſis, quàm lucidis & tenuibus recipi ſpiritibus: at hanc timoris melancholici veram & per ſe cauſam eſſe non concedimus. Aliud enim longiſſimè eſt, rerum imagines vel obſcurè vel clarè recipere, & res metuere quæ metui non debent, quæue nec fuerunt, nec ſunt, nec futuræ videntur. Talia enim ſæpè timent Melancholia laborantes.

57. Sed quid verbis eſt opus in re manifeſta? Si enim ater humor, flatus, aut ſpiritus, pauorem per ſe cieret, nunquam audaciores fierent Maniaci. Nam inſtar liquidæ picis ater eſt humor furoris cauſa. Cur igitur hîc audaciam color iſte, in melancholico autem ſucco timiditatem parit? Quicquid fingatur, verum nihilominus hoc erit, in Maniacis furorem ab acrimonia & caliditate mordente & vellicante ſuſcitari. Quare neceſſarium eſt, vt timorem procreet ſuccus melancholicus, non quia niger exſiſtit, ſed quia frigidus eſt. Norunt etiam idiotæ, tantum habere vnumquemq; animi & audaciæ, quantum habet caloris. Ob hanc cauſam mulieres viris, puerili adultis, ſenes iuuenibus, timidiores ſunt ac fiunt.

58. Idem cenſuit Ariſtoteles. 30. ſect. Probl. 1. ψυχροτέρα μὲν οὖν γινομένη ἡ κρᾶσις ἡ ἀπὸ τῆς μελαίνης χολῆς ὥσπερ εἴρηται, ποιεῖ ἀθυμίας παντοδαπάς: θερμοτέρα δ᾽ οὖσα εὐθυμίας. διὸ καὶ οἱ μὲν παῖδες εὐθυμότεροι, οἱ δὲ γέροντες δυσθυμότεροι. οἱ μὲν γὰρ θερμοί, οἱ δὲ ψυχροί. τὸ γὰρ γῆρας κατάψυξίς τις. *In hoc toto problemate vnum hoc agit, vt melancholicum ſuccum, prout calidus eſt aut frigidus, multus aut paucus &c. oſtendat planè contrarios mores ac morbos inuehere: hoc eſt, alios efficere* θαῤῥαλέους καὶ ἰταμούς: *alios verò* ἀθύμους, φοβητικούς, δειλούς. *Sic & morbos ab eo creari alijs alios monet,* ἄλλοις δὲ ἀθυμίαι ἰσχυραὶ ἢ φόβοι, τοῖς δὲ θαῤῥηλίαι, *&c.*

59. Quid aliud etiam Galenus voluit, quando Melancholicos calefacientibus ac humectantibus curandos ſtatuit? Certum eſt, his remedijs non colorem tolli, ſed intemperiem frigidam & ſiccam corrigi. Eadem eſt aliorum omnium Medicorum doctrina. Argumento eſt vinum. Hoc enim calidum & humidum exſiſtens, triſtitiam omnem adimit, ac lætitiam inuehit, ipſo etiam Galeno, præter experientiam, teſte in lib. Quod animi mores temperam. corp. ſequantur, cap. 3. Contrarium

trarium facit, non propter colores, ſed propter qualitates contrarias.

60. Ergo metus cauſa in Melancholicis non eſt tenebricoſus color: cùm neque tenebræ per ſe timorem efficiant. Ideò enim in tenebris metuimus, quia pericula cauere nō poſſumus (pueri & alij quidam ob eam quoque cauſam meticuloſi ſunt de nocte, quia ſpectra magis vagari tunc ſciunt.) Hinc bruta, quia pericula, in quæ in tenebris incidere poſſunt, non præuident aut intelligunt, noctu nō timent.

61. Cauſa eſt humoris natura frigida & ſicca. Cùm primùm ab his qualitatibus cerebri & ſpirituum temperatio adfrigidius & ſiccius permutata eſt, deprauatur mox imaginatio, vt fugienda & timenda putet, quæ formidoloſa non ſunt. Hinc falſus metus oritur, & alacritas animi exſtinguitur: in cuius locum ignauia & triſtitia ſuccedunt. Hinc neceſſarium eſt, vt minus ſperent, maloq; aucto deſperent tandem, & vim ſibi inferant. Vt enim ſpes lætos & confidentes reddit, ita deſperatio metum & triſtitiam efficit. Sanè pituita, quia frigida eſt, ſegnes quoq; facit: at humida cùm ſimul ſit, ſomnolentos & ſtupidos potius, quàm cogitabundos repræſentat. Sciendum interim eſt, ſuccum melancholicum ſibi quadam propria & peculiari qualitate frigida & ſicca magis quàm ſimplici & abſoluta frigiditate ac ſiccitate prædicta ſymptomata producere.

62. Cur verò triſtes ſunt melancholici? Reſpondemus ideò fieri, quia metuunt magis, quàm ſperant. Metuunt autem, quia ſpiritus habent ſiccos & frigidos inſtar ſenum: ſicut expoſitum nunc fuit. Videntur certè melancholici & ſenes propter eandem aut ſimilem cauſam meticuloſi eſſe. At hos conſtat propter frigiditatem & ſiccitatem tales exſiſtere. (In melancholicis accedit præterea ſpirituum ſingularis quædam temperatio ſicca & terrea) cùm lætos & ſpei plenos efficiãt ſpiritus calidiores: quod in citato problem. Ariſt. quoq; docuit.

63. Cur verò ſolitudinem & tenebras tantoperè amant? An ſuis intenti imaginationibus impediri ſe præſentia aliorum experiuntur? Omnes certè triſtes propter hanc cauſam videntur conſuetudinem aliorum fugere. Fortè id habet proprium temperies melancholica ſpirituum, vt ſolitudinis & tenebrarum amorem ingeneret.

64. Si cur ita fixè intenteq; cogitent quæras? in promptu cauſa eſt: Spiritus habent magis craſſos ac terreos, minuſq; mobiles, propter

n 2

quas cauſas recepta & impreſſa ſimulachra tardè amittunt, nec facilè alia recipiunt. Quæ res in cauſa eſt etiam, vt præter conceptas in animo cogitationes nihil ferè curent.

65. Cur verò tam eſt diuturnum hoc malum? Quia Melancholicum. Sunt enim propter humoris Melancholici craſsitudinem, immobilitatem & contumaciam, omnes morbi ab eo ſuſcitati ſuperatu difficiles: & ob id longi & durabiles. Hypochondriaca tamen ſeu flatulenta melancholia breues interdum habet acceſsiones: cuius rei cauſa minimè eſt obſcura.

66. Cur ſubinde vigilant ac dormire neſciunt, ſi à frigore ſpiritus ſiſtuntur immobilesq́; efficiuntur & ignaui? Ad hoc etiam ex ante dictis, quid reſpondendum ſit, patet. Non frigidi ſolummodo ſunt, verùm etiam ſicci. Propter frigiditatem ignauiores ſunt: at propter ſiccitatem & fixam intentamq́; imaginationem vigilant. Qui enim dormire volunt, laxare animum, ac remittere cogitationes coguntur: quod illi facere non poſſunt.

67. Quæri inſuper poteſt, quæ ſit ratio, quòd Melancholici ſæpenumerò in paucis delirant, in cæteris ſic ſatis ſapiunt? Aretæus ob hanc cauſam ſic deſcribit, ἔστι δὲ ἄθυμιν ἐπὶ μιῇ φαντασίῃ ἄνευ πυρετοῦ. Ne hic quidem difficilis eſt reſponſio. In hoc morbo præcipuè laborat plerunq́; phantaſia: quæ ſic ferè vigilantibus afficitur, quomodo aliâs dormientibus affici ſolet. Quoniam igitur circa ſimulachrum, quod in principio morbi fortè incidit, maximè verſatur, reliqua verò vel reijcit vel non æquali contentione verſat, minus in eis errat. Inhærere autem pertinaciter nonnunquam ſpiritibus impreſſum vel inſculptum ſimulachrum, ſomnia quædam probant. Ita namq́; clarè aliqui ſomniarunt, vt aliquot poſtea ſeptimanis putauerint, quæ per ſomnum duntaxat viderant, verè & reipſa ſic eueniſſe. Contigit hoc non ægris tantùm, verùm etiam ſanis quibuſdam.

68. Quæri denique hoc etiam ſolet, quam ob cauſam adeò mirabilia, abſurda, incredibilia, & prorſus interdum impoſsibilia imaginentur? Etenim neque dici, neque credi poſſunt, quæ imaginati ſunt omnibus locis & temporibus hoc morbo affecti. An huius etiam rei explicatio ex nuper dictis pendet? Equidem, qui, quod ſomniantibus vſuuenit, apud ſe cogitat, facilè hinc ſeſe expediet. Iam enim diximus,

Melancholicorum phantaſmata eſſe ſomniantium deliria. Quis non per ſomnum ſæpè videt, qualia Melancholici imaginantur per vigilias? Diſcrimen in hoc eſt ſitum, quod illa ſpectra mox euaneſcunt, hæc pertinaciter hærent, quia penitius impreſſa ſunt: cuius euentus cauſa paulò ante dilucidè ſatis eſt expoſita.

69. Cur ſine febre delirant Melancholici? Reſpondere poſſemus ita hos deſipere vt ſomniantes. Addi nihilominus verè hoc poteſt, ideò fieri, quia ſuccus melancholicus frigidus eſt. Quod ſi in Mania calidum eſſe reſponſes: calidum dicemus, vt acetum & cineres. Quamuis enim ἐμπύρευμα habeat ab aduſtione, ac terrā quoq; fermentet, cùm exquiſitè in atram bilem mutatus eſt, plurimas tamen tunc quoq; retinet partes frigidas: nec ad cor tranſmittit exhalationes calidas ea copia, quæ febrem accendere poſſit. Quanquam cum vehemente rabie febris etiam nonnunquam viſa ſit.

70. Si quæratur cur Melancholici ingenioſi pariter ſint ac ſalaces? Reſpondebimus nos hîc de morbo Melancholiæ loqui, vbi quæſtio hæc locum non habet. Etenim de ijs duntaxat rectè hoc quæritur, qui natura ſunt tales, id eſt, qui temperamentum tale nacti ſunt. Si ergo hic de ſanis extra inſtitutum quæratur, dicimus vtriuſque euentus cauſam ab Ariſtot. Probl. paulò ante citato fuſè ac diligenter expoſitam eſſe. Nec diſſentit Gal. cum alibi, tum in 2. comment. lib. Hipp. de humorib. expoſit. ſentent. 30. ſi enim conſtantia & firmitas cogitationum ab hoc ſucco prouenit, ſatis patet, cur in illis rebus ad quas animum applicant Melancholici, alios ſuperent. Etſi enim qui ſpiritus habent puriores & mobiliores celerius apprehendunt quiduis, quia tamen conſtantia cogitationum abeſt, atque nulla in re diutius perſiſtunt, ſed celeriter ſe ad alia conuertunt, in re nulla excellunt: licet in omnibus aliquid norint. Salacitatis cauſam flatus eſſe nullus ignorat. Idem Ariſt. & loco iam nominato, et ſect. 4. Probl. 31. aſſerit: quod à Galen. in 6. Epid. comment. 3. text. 12. affirmatum pariter memini. 1577.

DISPVTATIO XVII. RESPONDENTE *M. Ioan. Beato Hummelio Baſilienſi.*

De Somno.

DE Natura & cauſis ſomni, generationiſq; modo, diuerſas fuiſſe apud veteres opiniones, hodieq; non idem omnes ſentire, manifeſtum eſt. Galenus certe in lib. de inſtrumento odor. non putauit arbitratu facilè, vtrum ſomnus naturæ ſit opus, an affectus præter Naturam, οὐδὲ γὰρ εὐδιαίτητόν ἐστιν *(ait)* εἴτε ἔργον ἐστὶ φυσικὸν, εἴτε πάθος ὁ ὕπνος.

2. *Et vetuſtioribus Alcmæon, ſanguinis in venas reditu: Empedocles inſiti in ſanguine caloris refrigeratione definiiſſe ſomnum ſcribuntur. Diogenes aërem in venis contentum à ſanguine in thoracis ac ventris cauitates cogi, earumque calefactione ſomnum generari opinatus fertur.*

3. *Plato, quem Stoici ſunt ſecuti, cenſuit, nil aliud eſſe, quàm ſpirituum ſenſui miniſtrantium, cum ad partem capitis anteriorem delati fuerint, remiſſionem ac laxationem.*

4. *Ariſtoteles propter repulſionem caloris (è corde per vaſa in cerebrum ſubeuntis) à vaporibus ex alimento ſublatis natam, gigni arbitratus eſt. Etſi enim aliter nonnunquam videtur loqui, hanc tamen, quæ modò dicta eſt, ſententiam conſtantiùs tenuit, vt ex lib. de ſomno & vigilia, ex 2. de partibus animal. 7. Ex 1. de Plant. 1. Ex 33. ſect. Probl. 15. perſpicuum eſt.*

5. *Idem Auerrhoës & 3. Coll. vlt. & 1. Collect. 21. cum recentioribus quibuſdam ſtatuiſſe videtur: quando retractione caloris & ſpirituum cordis (de huius enim viſceris calore ac ſpiritu eos loqui patet) prouenire aſſeuerauit.*

6. *Galenus à blandis & humidis exhalationibus neruorum meatus obſtruentibus, atq; ingreſſum in eoſdem animalibus ſpiritibus intercludentibus, induci putauit. Quo poſito, nil aliud ex eius ſententia ſomnus fuerit, quàm in neruorum principijs ac meatibus orta obſtructio. Quanquam cum alibi, tum in 3. de cauſ. pulſ. cap. 10. ſcribat, ſomnum accidere, cum natiuus calor aut ex fatigatione ac nimia ſiccitate ad alimentum ſe conuertit, aut propter immodicam humiditatem non poteſt foras progredi.*

7. *In tanta opinionum varietate & diſcrepantia, & excellentiſſimorum virorum pugna, ſi veritatem inuenire volumus, autoritate hominum ſepoſita, Methodo rem ipſam examinare cogimur.*

8. Pri-

8. *Primùm igitur ſcire oportet, nomen ſomni bifariam vſurpari. Nam plerumq́ pro naturali priuatione ſenſus ac motus ſumitur, propter quam ſomnus imago & frater mortis, & ab Ariſt. 5. de Gener. animal. 1.* μεθόριον τοῦ ζῆν καὶ τοῦ μὴ ζῆν, *vitæ mortisq́ interſtitium quoddam dicitur. Aliquando pro huius affectus cauſa, quam in præſentia inueſtigamus, ponitur.*

9. *Ponimus autem pro confeſſo, hanc diſpoſitionem, quæ ſenſum ac motum animalium interpellat, ac mortuis ferè ſimilia reddit, non eſſe cuiuſlibet partis* πάθος, *ſed proprium & definitum ſubiectum, quod* τὸ πρῶτον αἰσθητικὸν *nominant Græci.*

10. *Quare neceſſum eſt, vt, in quanam parte corporis primò inſit, peruestigemus, (tales enim qualitates ſine ſubiectis ſuis intelligi & declarari non poſſunt) ſi modo cauſam ſupra dicti effectus ex arte cognoſcere volumus.*

11. *Eſſe enim in nobis partes, quibus perpeſſis totum corpus certo modo afficitur, manifeſtè probant tum Epilepſia & Apoplexia, tum Febres. In illis enim ſolo cerebro, in his corde laborante, compatitur corpus reliquum totum.*

12. *Subiecto proprio inuento, quæ & qualis nam ea ſit diſpoſitio, ſcrutari oportet. Via inuentionis aptiſſima erit, ſi, quid dormientibus cunctis accidat, attentè conſiderauerimus.*

13. *Ordiendum vero eſt à certo & confeſſo omnibus principio (vt errorem caueamus) nempe à nominis notione ſiue interpretatione omnibus conceſſa, ſicut Ariſtoteles atq́ Galenus præceperunt.*

14. *Cæterum duobus modis cùm Somni nomen vſurpari ab autoribus ex ſupra dictis pateat, hîc quoad effectum ſignificat, interpretabimur, vt ab effectu paulatim ad cauſæ inuentionem aſcendamus.*

15. *Eſt igitur ſomnus* ἀδυναμία, *quædam, ſiue ceſſatio, ſiue intermiſſio, ſiue quies, ſenſuum externorum, itemq́ motus (vt enim Ariſt. ſcribit,* δι' αὐτὴν τὴν ἀλήθειαν προσάπτουσιν τὴν μεταφορὰν ταύτην, ὡς ἀναπαύσει ὄντι *) quæ ſanis pariter atq́ ægris accidit, ſicut omnibus, tàm doctis, quàm indoctis ſemper viſum eſt.*

16. *At fieri non poteſt, vt ſenſus pariter omnes ſimul ceſſent, niſi principalis ſeu communis ſenſus affectus ſit: hoc eſt, niſi principium ſenſus ac motus alterationem perpeſſum fuerit.*

17. Sed ne princeps ſenſus ligari aut impediri poteſt, dum locus vel ſedes, in qua primò exercetur, mutationem nullam ſenſiſſe ponitur.

18. Locus porrò, tum communis ſenſus, tum motus & facultatum animalium aliarum principum, eſt cerebrum.

19. Ex his neceſſariò concluditur, locum ſiue ſedem diſpoſitionis, propter quam animal dormire dicitur, ſiue motu ac ſenſu membrorum citra morbum priuatur, cerebrum eſſe.

20. Vtrum autem totum cerebrum, an pars eius aliqua τὸ πρῶτον δεκτικὸν ſomni ſit, hoc eſt, vtrum communis ſenſus, cuius paſſionem oſtendimus ſomnum eſſe, in toto cerebro, an in parte aliqua ſedem fixerit, ex prædictis nondum patuit.

21. Probamus hac in parte magis illorum ſententiam, qui in ventriculis cerebri anterioribus communem ſeu principalem ſenſum collocant, quàm qui in ipſa eum cerebri ſubſtantia inhærere contendunt.

22. Etenim ventriculis clauſis aut compreſſis repentè ſopitur animal, licet ſubſtantia cerebri nulla in re mutata ſit. Partes quoq; extimæ cerebri ſæpè ab intemperie alijsq; modis læduntur, nec ob id ſomno premitur animal. Quin & ſubſtantiæ cerebri pars nonnunquam eximitur abſq; læſione ſummi. Epota quoq; & naribus admota ſomnum inducunt, priuſquam temperationem ſubſtantiæ cerebri vitiare potuerint. Certiſſimum argumentum eſt, quod ſomnus & vigilia, (quoad ſunt affectiones) non ſunt actiones purè ſimilares, ſed potius inſtrumentales. Quare magis à conformatione ventriculorum, & in eiſdem contentis ſpiritibus fit ſomnus, quàm à ſubſtantia & temperatione cerebri: niſi hæc aliquid ad inſtrumentalem ventriculorum diſpoſitionem pertinens labefaciat ac mutet.

23. Quòd etiam ventriculi priores potiſſimùm afficiantur, multa oſtendunt: ſenſus enim qui circa partem capitis anteriorem ſunt, magis occupantur. (Tactus leuius læditur, quia per neruos motui ſeruientes diſtribuitur: qui in poſteriore parte capitis magis oriuntur.) In ſoporoſis etiam affectibus, tum Galen. 4. de loc. affect. 2. tum alij Medici omnes, ſinciput magis lædi aſſeuerant. Pharmaca ei parti tunc maximè admouemus. Idem facimus, cùm prouocare ſomnum cupimus. Grauius quoq; caput hac parte videtur per ſomnum: & in pectus

ctus magis quàm in dorſum cadunt dormientes. Multi inter dormiendum ſurgunt & ambulant, cùm interim ſenſuum quatuor inſtrumenta permaneant impedita. Soporoſi deniq; rarius quàm apoplectici, fiunt paralytici: quod in his poſterior, in illis anterior pars magis offendatur.

24. *Aliter ſenſit Ariſtoteles, qui ſomnum ſtatuit paßionem eſſe cordis non cerebri. Idem 6. Topic. Somnus ineſt in toto animali. Ergo non ſolius cerebri eſt diſpoſitio. Item, ſi ſomnus eſt in cerebro, non animal, ſed cerebrum dicetur dormire, quod longè abſurdißimum eſt dictu.*

25. *Alij quidam affectum ſenſus eſſe ideo negant, quia in ſenſione non inſit. Abſurdum inſuper putant eo in loco ſenſuum ceſſationem ponere, quò vis agentis, hoc eſt extenſio caloris è corde promanantis non exporrigitur, Hunc calorem per ſomnum infra cerebrum ſiſti opinantur: & ob id cordis potius (quod calorem non vlterius protendat) quàm cerebri affectum eſſe arbitrantur.*

26. *Sed Ariſtotelis opinio falſa eſt: quia falſæ innititur hypotheſi. Etenim actionum principalium, ſenſus quoq; ac motus, principiũ, fontem ac inſtrumentum iudicauit cor eſſe, non cerebrum: quæ cùm omnibus vehementer ſuſpecta ſit, hîc refutari non debet.*

27. *Ad alterum reſponſio ex 8. & 9. theſi peti poteſt. Priuatio illa ſenſus ac motus in toto corpore accidens & effectus eſt ſomni, non ipſemet ſomnus, qui huius accidentis cauſa eſt. Sic tenebræ apud nos in deliquio Solis & Lunæ non ſunt ipſummet deliquium, ſed effectus. Sic priuatio ſenſus ac motus in apoplexia: membrorum item concuſſio & diſtortio in Epilepſia, ſymptomata ſunt morborum, non ipſimet morbi.*

28. *Ad tertium ſimiliter patet reſponſio. Non enim cerebrum vel ſentit vel mouetur eo modo quo membra, quibus vim & facultatem ſentiendi ac mouendi ſubminiſtrat. Nec enim Solem ob id calidum concedet Ariſtoteles, quia terram calefacit. Quinimò nec Epilepſia cerebrum laborare propriè dicitur, ſed animal propter affectum cerebrum ſic ægrotare dicitur. Ita neq; ebrium dicimus eſſe cerebrũ, quando vino irrigatum eſt nimio, ſed hominem ebrium eſſe affirmamus.*

29. *Quod alij adferunt ineptum eſt. Non enim ſenſionis, quæ in*

membris exercetur,ſed communis ſenſus affectum eſſe dicimus,vt ex nuper dictis liquidò patet. Nec facultatis, ſed inſtrumenti affectum ponimus: partis videlicet cerebri,per quam,vt per inſtrumentum,primò hanc ἐνέργειαν exercet,ſomni videlicet ac vigiliarum. Senſum communem ſomni tempore impeditum eſſe,non ablatum,quis neget? Ad particulares quod attinet,an cæcitas ſeu viſionis ablatio,non eſt ſymptoma viſionis,quia nulla adeſt ſenſio? Operatio quæuis non tũc ſolùm dicitur lædi,cùm vel deprauatur vel imminuitur,verùm etiam quando prorſus tollitur.

30. *Poſtremum æquè eſt abſurdum, Somnus enim non ideò fit, quia vitalis ſpiritus infra cerebrum ſiſtitur, & ad ipſum vſq; non extenditur. Deinde falſum eſt,calorem cordis inter dormiendum non exporrigi ad cerebri intimas quoq; partes omnes. Quî enim viueret calore vitali deſtitutum? aut qua ratione dormientes tum imaginarentur tum mouerentur?*

31. *Quis præterea neſcit,partem,cui nihil eorum deeſt, quibus ad operandum eget,aliter affectam eſſe,quàm tunc eſt diſpoſita, cùm talium aliquo eget? Sed de hac re fuſè diſſerit Galenus in lib. 1. & 2. de loc. aff. Quòd ſi ergo rectè dicimus,paſſionem in loco patiente eſſe,vndecunq; agens adueniat,verè quoq; affirmamus,diſpoſitionem,quæ ſomnus appellatur,ſiue quæ ſenſum ac motum membris magna ex parte adimit,in cerebro conſtitiſſe. Hîc enim,non alibi,ſenſus communis habitat: cuius affectio quædam ſomnus eſt.*

32. *Conſtat ex prædictis,ſomnum (quatenus cauſam ſignificat) in cerebri ventriculis prioribus domicilium ſuum habere, ac ſpirituum in his exiſtentium diſpoſitionem eſſe contrariam ei,quæ in vigilantibus reperitur.*

33. *Qualis verò ſit διάθεσις,nondum liquet,tametſi certum eſt,aliter (imò contrario modo) per ſomnum eos affici,quàm per vigilias. Pateſcet autem magis,ſi,quid omnes dormientes commune habeant, accuratè conſiderauerimus: hoc eſt,ſi cauſas ſomnum inducentes omnes examinauerimus.*

34. *Somnum efficiunt plurimæ maximeq; differentes cauſæ, ſcilicet longæ vigiliæ,labor,defatigatio,immodicus tum calor, tum frigus,nimia euacuatio,mollis frictio,motus cunarum ſuauis, titillatio*

leuis,murmura & ſtrepitus aquarum,cantus,tenebræ,ſilentium,gaudium,curæ mediocres,cogitationum ſuſpenſio,ſolitudo,lectio, capitis ſeu cerebri à cibis ſeu potibus,aut medicamentis profecta tum refrigeratio tum humectatio,voluntas noſtra,ventriculorum cerebri,aut carotidum vaſorum compreſsio,&c.

35. *At verò cùm fieri nulla ratione poſsit,vt tam diſpares,imò contrariæ cauſæ,vnum eundemq́ affectum(ceſſationem ſcilicet ſenſus ac motus eam,quæ in toto dormientium corpore cernitur) per ſe primò generent,videndum eſt,quid agendo ſingulæ ſomnum concilient.*

36. *Conſtat autem animalem ſpiritum abſumi à vigilijs,laboribus, fatigatione,vel immodicis curis,æſtu,balneis,&c. Idem diſpergitur à vehementi gaudio. Vacuatur à ventriculorum cerebri compreſsione,ac nimia qualibet vacuatione. Obtundunt & veluti ignauum reddunt balnea humida,vaparoſi odores & humectantia omnia. Carotidum compreſsio & refrigerantia omnia eundem cogunt & compingunt.*

37. *Reliquæ cauſæ,mollis videlicet ſtrepitus,cantus,murmura, titillatio ſuauis,abductio animi à cogitationibus,lectio parum attenta, motus cunarum,ſilentium,tenebræ, voluntas,&c. ſæpè nominatos cerebri ſpiritus,placidè ſiſtunt,& à motu ſuo ad quietem inuitant: ac ne diffluant,prohibent.*

38. *Omnes igitur remiſsionem illam ſenſus ac motus, quæ in dormientibus apparet,communi hac ratione inducunt,quòd nimirum ſpiritus animales intra ventriculos cerebri quietos detinent: nec moueri,ſicut prius mouebantur,ſinunt.*

39. *Nam & imminentia & diſſoluentia,& vacuantia,& exprimentia,& denſantia,& humectantia,eos minus mobiles efficiunt,ſicut vnuſquiſq́ videre per ſeipſum poteſt. Quare cùm nihil aliud excogitare valeat vnum,quod ab omnibus effici queat, non dubitabimus,quin iam dicta ſpirituum vel quies vel immobilitas,vel quomodocunq́ libet appellare,cauſa ſit illius priuationis ſenſus ac motus in membris dormientium.*

40. *Quare nil aliud eſt ſomnus,cùm pro diſpoſitione & cauſa ceſſationis motus ac ſenſus in exterioribus membris ſumitur,quàm ſpirituum in ventriculis cerebri,præſertim anterioribus contentorum de-*

tentio, ceſſatio, contractio, feriatio. (Quocunq; enim nomine appellare velis, licet, modò ſimul ceſſationem ſeu quietem ab opere intelligas) ſenſum ac motum in ſanis pariter atq; ægris impediens.

41. Etenim duplex eſt ſomnus, Naturalis & Morbidus. Ac naturalis is dicitur, qui à cauſis naturalibus & moderatis (debito tempore ac modo) inducitur, animaliq; confert. Morbidus contra cenſetur, qui tempore ac modo non congruente (à cauſis etiam morbidis & immoderatis) ſuſcitatur, & animali vel obeſt vel non prodeſt.

42. Subiectum, Formam, inſtrumentales ſomni cauſas expoſuimus. Primum efficiens Animam eſſe Naturalis ſomni, (Qui talis non eſt, ab anima non benè dicitur effectus) nullus dubitat. Finis eſt, Animalis ſpiritus ac virium inſtauratio, coctioniſque incrementum ſeu perfectio.

43. Facilimum nunc erit videre, quæ ſit inter varias authorum de natura ſomni ſententias differentia, quiq; propius ad ſcopum acceſſerint, qui longius ſubſtiterint, qui prorſus aberrarint. Quàm deinde conſentanea ſint Naturæ, quæ diximus, ex eo perſpicuum eſt, quòd ad omnia, quæ ſententiæ noſtræ videntur aduerſari, nullo negotio ac labore aptius alijs reſponſuri videmur.

44. Errauit primùm Alcmæon. Nam reditus ſanguinis (ſiue ex cerebro, ſiue ex alijs partibus redire ſtatuas) in venas, ſomnum non procreat, niſi vnà cũ ſanguine ſpiritus animales, relictis cerebri ventriculis, commigrare inſcitè putes.

45. Errauit Empedocles: non enim ſanguinis, ſed ſpirituum animalium, refrigeratio, ſomnum parit. Quid, quòd per ſomnum ſanguis incaleſcit potius quàm refrigeſcit?

46. Nec Diogenes aſſecutus eſt ſcopum, niſi per aërem, in neſcio quibus cauitatibus contentum, animalem ſpiritum in cerebri ventriculis coactum compactũmue intelligere nos voluit. Sed compactio hæc à ſanguine fieri nulla ratione poteſt.

47. Propius acceſſerunt Plato & Stoici. Eſt enim ſomnus ſpirituum cerebri affectio. Quòd ſi ergo per laxationem ſeu remiſſionem, horum ſpirituum intellexerunt eorũ quietem, & à motu ceſſationem, reijci ſententia non debet.

48. Cæte-

48. *Cæterum non ob eam cauſam ſomnum fieri, quia calor à corde non extendatur ad cerebrum, aut quia inde vel repellatur clauſis vijs, per quas penetrare ſolet, vel retrahatur, multis oſtendi argumentis poteſt.*

49. *Probant hoc primùm, quæ in 30. theſi diximus. Ratiocinamur aliquando inter dormiendum, recordamur, & imaginamur ſæpè vehementiùs quàm inter vigilandum. Hæc qui putat ſine calore cordis multo fieri poſſe, corporum diſpenſationis ignarus eſt.*

50. *Certum & hoc eſt, cerebrum per ſomnum longè feliciùs concoquere, quàm per vigilias, quod ſine influente ex corde per arterias calore facere nequaquam poſſet. Indicant hoc excrementa, & ſpirituum inſtauratio. Quis enim inficietur, à ſomno actiones cerebri vniuerſas, ſenſus, imaginationem, memoriam, ratiocinationem, iudicium, integriora eſſe?*

51. *Dolores inſuper capitis, in Cephalæa, Hamicrania, & alijs talibus morbis, grauitates item capitis per ſomnum vel tolluntur, vel minuuntur. An eſt remedium ebrietatis vllum præſtantius ſomno inuentum? Excrementa præterea omnia minùs acria & moleſta poſt ſomnum ſentiuntur. At hæc ſine valido calore perfici nequeunt. Qua enim alia re diſcutiantur humores in eo collecti?*

52. *Accidit etiam frequenter, vt per ſomnum caput ſenſibiliter calidius percipiatur tactu, ſudoremq́ calidum fundat. An citra cordis calorem aliquis iſta vſu venire opinabitur?*

53. *Multi, quamuis initio ſomni, aut cùm ad capiendum ſomnum ſe componunt, vix ſatis contegi poſſunt: tamen, cùm aliquandiu dormierunt, propter æſtum tegumenta corporis & capitis iterum abijcere coguntur.*

54. *Pulſus ſub initium ſomni paruus, nonnunquam & languidus, eo procedente, maior & vehementior fit, non in reliquis tantùm partibus extimis, ſed in ipſo etiam capite. Quod nonnunquam fieret, ſi intra cor concluſi, detinerentur calor & ſpiritus vitalis toto ſomni tempore.*

55. *Sed & facies rubicunda magis per ſomnum aliquando apparens, ac ſudorem effundens, cerebrum calore vitali orbatum non eſſe, docet.*

56 *Annon in Syncope, in animi deliquijs, in febrium acceſſionibus, in frigore magno, maxima ſæpè fit caloris ad interna reuocatio abſq; ſomno?*

57. *An in Lethargo non euocatur calor cordis in cerebrum? An cùm æſtatis tempore in meridie animalia dormiunt ſub Solis radijs, non euocari cordis calorem putabimus?*

58. *Hoc ſaltem veniat nobis in mentem, quòd multarũ partium, neruos ex ipſo cerebro accipientium, motus, in ſomno non deperditur. Nam aliqui loquuntur, rident, brachia & pedes huc illuc iactitant, ſe totos vertunt, ſurgunt, ambulant. Vecors eſt, qui hæc ſine calore ex corde effuſo euenire putat.*

59. *Attamen argumentis, inquiat aliquis, opinionem ſuam firmant. Nam dormientes interius calent, exterius frigent, Epid.6. Com.4.tex.13.& 16, Facies item eorum pallet.theſ.62.Ariſt.& Auerrhoes ſummi Philoſophi idem affirmant. Probant idem pharmaca frigida, quæ ad reprimendum calorem adhibentur. Sed & cordi in certis affectibus admota remedia ſomnum producunt.*

60. *Pro argumento maximo illud ponunt, quòd ſomnus citiſſimè oboritur. Quæ autem celerem habent generationem, à vitali calore ortum habent, vt Gaudium, Verecundia, Timor, &c. Nihil etiam inuenitur commune omnium ſenſuum, præter vitalem calorem, quòd æquè citò accedat ac recedat. Denique, cùm per ſomnum inſtrumenta ſenſuum virtute ſentiendi priuentur, nullo in ipſis vitio inhærente, facultate non impedita, præſente obiecto, vijs apertis, neceſſarium eſt, vt commune omnium inſtrumentum (ſpiritus nimirum vitalis) ponatur affectum.*

61. *Sed in medio poſita eſt ad hæc omnia reſponſio. Calor ab externis parte ſui aliqua ſe ad interna recipit, ſed non ad ſolum cor trahitur, verùm ad alia etiam viſcera, & ipſum cerebri profundum colligitur, quod coctiones docent. In febrium initijs, & animi deliquio magis in profundo corporis, et circa viſcera vnitur, nec ſpoliantur tamen partes, internæ præſertim, ſenſu. Manent etiam artus in ſomno plerunq; naturaliter calidi, ac ſæpè calidiores fiunt.*

62. *Faciem ſanguine ad interiora capitis parte ſua aliqua recedente, pallere nonnunquam non nego, ſed interiora cerebri ob id magis*

gis frigere, nego. Etenim calor tunc eſt ibi abundantior. Adde, quod perpetuum hoc non eſt: cùm ſæpe rubeat magis. Nec ſequitur, ſi calor à cute recedat, eum etiam interiora capitis deſerere.

63. *Ariſtotelem & Auerrhoëm aliter ſenſiſſe, nullus mirabitur, qui eos ſibijpſis contradicere non voluiſſe cogitat. Quid enim aliud dicat, qui cor, ſenſus ac motus inſtrumentum atq; ſedem propriam ſupponit?*

64. *Pharmaca frigida ſomnum prouocant, non calorem cordis arcendo, ſed ſpiritus animales ſiſtendo: ſicut expoſuimus. Nec adhibita cordi remedia ſomnum pariunt, niſi cùm propter acrimoniam vaporum & ſpirituum ex eo in cerebrum aſcendentium animales ſpiritus nimium exagitantur ac mouentur. Quid miri accidit, cùm affectus propter conſenſum alius partis natus, per remedia parti primario affectæ admota tollitur?*

65. *Gaudium, Timor, Verecundia, ſunt cordis affectiones: non cerebri. Falſum quoq; eſt, celerem ortum interitumq; habentia à vitali calore, vt à cauſa propinquiſſima & propria effici vniuerſa. Quid in nobis celeriùs fit ratiocinatione, memoria, imaginatione, ſenſione? An hæc omnia nulla cauſa vel re alia interueniente, è ſpiritu vitali fiũt? Non arbitror. Nec citiùs vitalis ſpiritus per arterias ad extrema corporis defertur, quàm ſentiendi facultas per neruos.*

66. *Calor ſeu ſpiritus cordis, inſtrumentum commune eſt animæ: & non eſt immediatum ſenſus ac motus inſtrumentum. Hoc enim ſpiritui animali propius competit. Nec verum eſt in cerebri ventriculis nullam factam mutationem, cùm à vigilijs permutatum eſt animal ad ſomnum. Spiritus enim ibi contenti, propter ante dictarum cauſarum aliquam, non ſunt æquè mobiles, ac prius.*

67. *Euidenter ſatis demonſtratum eſt, ſomnum non gigni propter retractionem caloris cordis. Iam illud etiam nouiſſe expedit, Ariſtotelem non attuliſſe καθόλου ſomni cauſam. Non enim omnis ſomnus à vaporibus ab alimento, aut à colliquatis à labore humoribus oritur. Dormiunt enim & eſurientes, & qui multò antè ederunt, & qui in tenebris degunt, & qui cantum vel ſuſurrum audiunt ſuauem. Suprà multas ſomni cauſas eſſe vidimus, quæ abſq; eo, vt vaporibus cerebrum repleant, ſomnum generant.*

68. *Mirabilius alicui videbitur fortaſſe, ſine Galenum quidem veram ſomni cauſam protuliſſe affirmauero. Nam neq; refrigeratio primi αἰσθητηρίου generalis eſt cauſa, quod cum Galeno Ariſtoteles quoque videtur exiſtimauiſſe, (Abſq; enim hac ſomnum ſæpiſſimè prouenire ex ſupra dictis perſpicuum eſt) neq; obturatio in neruorum meatibus ea eſt in dormientibus, qui ſpiritibus aut virtuti tranſitum intercludat. Demonſtrant, quod dicimus, ſubito expergefactio, & multarum partium inter dormiendum motus.*

69. *Quòd ſi Galenum hoc voluiſſe contendas, ab elatis vaporibus animales ſpiritus craſſeſcere, & ob id minus mobiles effici, rectè id ab eo dictum fatebor, at generalem cauſam obtuſi motus ac ſenſus membrorum, (ſeu quietis ſpirituum animalium) non hanc ſolam, ſed alias plures eſſe dicam.*

70. *Verùm adhuc reſtare videtur, vt obiectiones quaſdam diſſoluamus. Quæritur enim ſect. problem. 1. & 7. quo pacto lectio & meditatio modò ſomnum prouocent, modò vigilias inuehant? Cum attentione magna quid legimus, ſpiritus omninò commouemus, donec reſoluti non amplius ſufficiant. Rectè igitur Ariſtoteles ſcripſit,* πολλὴ ἡ κίνησις τοῦ νοοῦντος, ὅθεν καὶ ἐκλείπει καὶ καταψύχεται, *ſi propter diſſolutionem refrigerari cenſuit. Cùm verò remiſſè aliquid meditamur, cogitamus ac legimus, à vehementiore motu ad minorem, & ſenſim ad quietem traducimus. Si, quæ legimus, triſtia ſint aut iocunda, ſomnus aut inſomnia per accidens à lectione prouenit.*

71. *Cur æſtate ſomnolentiores ſumus? Galen. videtur in 1. Aphor. 15. pro cauſa afferre, noctium caliditatem ac breuitatem, propter quæ minus dormire ſolemus, quàm alijs temporibus. Verior illa videtur reſponſio, quòd ſpiritus promptius diſſipantur & reſoluuntur.*

72. *Eadem hæc ratio fortaſſe etiam Aethiopes, naturâ ſiccos, per æſtum oſtendit ſomnolentiores. Quanquam non inficias eo, pituitam in capitibus eorum à calore ſolutam, huius accidentis cauſam ſtatui poſſe: quemadmodum Alexandro in Probl. viſum eſt. Fortaſſe victus ratio & ciborum, quibus tunc veſcuntur idem efficit.*

73. *Cur de nocte, quàm de die ſuauius dormimus? Euentus huius cauſæ ſunt plures. Etenim & noctium frigiditates, & tenebræ ad conci-*

conciliandum ſomnum, hoc eſt ad ſedandos vel ſopiendos ſpiritus, magnam vim habent. His accedit conſuetudo, quæ altera eſt Natura: & quod fallere tempus noctis non tam facilè, tamq; multis modis, ac interdiu, poſſumus. Sed & Naturæ author Deus ſic diſpoſuit, vt de die operaremur, de nocte quieſceremus.

74. Cur nocturnus ſomnus diurno ſalubrior? Quia longus & perfectus eſt: alimenta non tantùm agitare & coquere, (in quo opere neceſſarium eſt flatus plurimos ſuſcitari) incipit, verumetiam perficit, flatusq; genitos diſcutit: quod breues ſomni fieri non patiuntur. Generant igitur ſomni diurni flatus, cruditates, tumores, pandiculationes, catarrhos: eneruant membra, diſſoluunt corpus, grauitatem induunt, & vt contrarijs motibus ſanguis & ſpiritus moueantur, efficiunt. Dum enim à circumferentia ad centrum per ſomnum mouentur, ab aëris calore ad cutem reuocantur. Aſſuetis tamen non ſic nocet.

75. Cur primus ſomnus noctis profundior? Quia vapores à cibo ſumto plures aſcendunt, & ſpiritus animales magis circumſepiunt ac cogunt. Cauſa altera eſt, quòd per vigilias & diei operas ſpirituum pars bona diſſoluta eſt. His ergo inſtauratis, & vaporibus diſcuſſis, minus profundè dormimus.

76. Cur aliqui ſimul dormiunt & vigilant, hoc eſt clauſis palpebris quieti iacent, nec verè tamen dormiunt? An in cauſa eſt humor miſtus, ſpiritus ſimul cogens & excitans? Inclinant verò vel in ſomnum, vel in vigiliam magis, pro vincentis humoris ratione. Sic apertis oculis aliqui dormiunt, ſpiritibus in cerebro ligatis, vt ſic dicam, & muſculis aut neruis palpebrarum exſiccatis.

77. Cur ſi febris eſt affectio ſicca, aliqui in earum acceſſionibus, alij in incremento aut ſtatu dormiunt? In cauſa eſt, quòd vaporum aſcendentium copia & humiditate ſpiritus animales hebetantur magis quàm caliditate agitantur. In ardentibus febribus, niſi multitudine veluti obruantur, vigiliæ & deliria magis infeſtant ægrotantes. Ergo ſomnus in febribus tunc maximè obrepit, cùm caput vaporibus præcipuè repletur: quod alijs alio tempore acceſſionis vſu venit.

78. Cur ſomnus, ſi quies eſt ac priuatio, coctionem efficit, hoc

eſt, caloris opera facit? Quæri de hoc magis poteſt, ſi ſomnus ponatur eſſe frigiditas: quod ſanè multis viſum eſt. Dicerent fortaſſe aliqui, coctionem eſſe effectum temperamenti, ſomnum verò diſpoſitionem eſſe inſtrumentalem, & proinde non eſſe magis priuationē, quàm apoplexiam, aut παράλυσιν. Sed quia non explet eruditorum animos reſponſio, aptius dicemus, ſomnum per accidens iuuare coctionem, quia per id temporis, quo animal dormit, ſpiritus intra cerebrum contenti natiuum eius calorem augeant & roborent.

79. Cur ab aloë, quæ admodum ſicca eſt, purgati, magis dormiunt? An quia acres vapores & humores, à quibus ſpiritus laceſſuntur, expurgat?

80. Cur verò & loquimur & ridemus dormientes, & vertimus nos, & ſurgimus, & ambulamus, non tamen ſentimus? Primùm, certum eſt, dormientes non prorſus nihil ſentire (Quod Galenus quoque fatetur. 2. de cauſ. ſympt. 8. & lib. de odor. organo cap. 5.) Nam & punctione, & tactu duriore, & clamore excitamur (propter clauſos oculos difficilius vident omnes) & ſaporem ſaliuæ aliqui perceperunt. Videmur autem ideò minus ſentire, quia motui inſeruientes ſpiritus, magis in poſterioribus, ſenſui autem miniſtrantes, magis in prioribus cerebri ventriculis continentur.

81. Si non valere hanc rationem in tactu dicas, quoties ijdem nerui motum ac ſenſum deferunt, dicam non minus facilè tales ſentire, (cum tanguntur) quàm moueri. Qui enim facilè in ſomno ſe mouent, facilè quoq; ſe tangi ſciunt. (Ariſtoteles in 1. cap. lib. 5. de Gener. animalium tales ſentire ſcribit, ſed alio modo quàm quo vigilantes ſentiunt.) Quanquam fieri poſſe non nego, vt nerui in cutem diſſeminati ineptiores aliquando ſint ad deferendum ſenſum, quàm alij qui ſub cutem in muſculos inſeruntur, ad deferendum motum.

82. Si ne huic quidem reſponſioni acquieſcas, ideò euenire dicam, quia Anima rebus per imaginationem conceptis, (Nullus enim ſurgit, niſi ab imaginatione impellatur) intenta, alia negligat, quod in delirantibus maximè eſt euidens. Idem vigilantibus contingit. Dum enim intenta eſt in rem aliquam cogitatio, nec ſalutantes audimus, nec amicos tranſeuntes videmus, & locum, ad quem ibamus, prætereimus. Sic pugnantes ſæpe vulnerari ſe non ſentiunt. Non enim po-

teſt

teſt, anima vna exiſtens tàm differentibus rebus vno momento attendere. In ſomno porrò maximè vigere obiecta phantaſiæ, ac minus obiecta ſenſuum poſſe, per ſe notum eſt.

83. *In Epilepticis paroxyſmis clarè videmus ſenſus impeditos, motum verò ſeruari: cuius rei cauſa quæ alia poſſit adduci, non equidem video, quàm quòd Natura, dum maximè vni huic rei intenta eſt, vt vaporem noxium expellat, actiones reliquas omnes negligit. Etenim tactus ſaltem vnà cum motu reſtaret, ſi præter facultatis delationem per neruos nihil requireretur.*

84. *Cur ſenes parum, pueri multùm dormiunt? Senes ſicci ſunt 3. Aphor. vltimo, & cogitabundi, ac proinde ſpiritus quieſcere non ſinunt. Redundant etiam capita eorum ſalſa pituita quæ ipſa quoque ſpirituum quietem impedit. Pueri contra nihil cogitant, mordacibus & ſiccis vaporibus carent, ſed contrà humiditate capita repleta habent.*

85. *Cur aliqui, ſi diu ante auroram expergefacti fuerint, ac deinde ſub exortum ſolis rurſus obdormiant, moleſtam totius corporis grauitatem & laſsitudinē ſentiunt? Si autē ſine longa interruptione ſomnum ad idem tempus continuauerint, nihil tale percipiunt? Sanè permultos audiui hac de re conquerentes, & in me ipſo idem expertus ſum.*

86. *An tunc ſolùm hoc accidit, cum ſatis dormiuimus, & poſt vnam aut alteram horam iterum obdormiſcimus? Equidem coctione peracta, ſpiritibus inſtauratis, excrementis vel diſcuſſis, vel ad ſua loca propulſis, ſponte expergiſcimur. Si deinde ad ſomnum nos iterum veluti cogamus, neceſſum eſt, craſſos & excrementitios vapores in profundum cerebri relabi, cum ſpiritibus miſceri, & torpidos ignauosq; eos reddere. Quia verò propter ſomni illius breuitatem ſatis purificari non poſſunt, laſsitudinem illam membrorum tantiſper ſentimus, dum per motum vapor ille reſolutus fuerit.*

87. *Eandem ferè ob cauſam plerique omnes ſic afficiuntur, qui præter conſuetudinem interdiu ſeu à prandio aliquando dormiunt. Poteſt in vtriſque os ventriculi ab inutili humore grauari, & hanc moleſtiam vel gignere, vel certè augere. In illis reuocantur excrementa ad centrum, in his ſaltem alimenta ebullientia os ventriculi grauant.*

88. *At Hippocrates, inquiat aliquis, ſomnum matutinum vſque ad tertiam diei partem extractum laudat,* ἥκιςα δ᾽ αὖ λυπέοιτο, εἰ κοιμῷτο τὸ πρωῒ ἐς τὸ τρίτον μέρος τῆς ἡμέρας. *Maximum ſomni incommodum eſſe interruptionem eiuſdem, etiam Auicenna monuit. Etenim diſturbantur & interrumpuntur ſimul naturæ actiones, & nec æquabiliter coquuntur humores, nec rectè vitioſi ab vtilibus ſeparantur, nec ſeparati plene & commodè vacuantur. Quis neſcit ſudores, qui inter dormiendum emanabant, mox cohiberi atq́ euigilauerimus? Quare bonum cenſet Hipp. ſomni ad prædictum tempus productionem, ſi de nocte aliquis non dormierit, aut, ſi appropinquante aurora dormire demum cœperit, ac deinde continuauerit. Talis ſomnus bonus eſt propter eaſdem ferè cauſas, propter quas nocturnum laudauimus.*

89. *Quare ergo Galenus vberiorem ſomnum damnat* 12. *Meth.* 3. *cap.? Cauſas addit, quòd crudos ſuccos digeri* (διαφορεῖσθαι) *non ſinat, & caput grauet. Reſponſio facilis eſt: Nam Galenus non loquitur de alijs, quàm ex copia crudorum humorum cum oris ventriculi offenſione febricitantibus: qui non minus humoru[m] diſcußione, quæ per vigilias potißimè fit, quàm eorundem coctione opus habent. Non mirum igitur eſt, caput his repleri, ſi nimis diu dormiant. Quanquam & in alijs mediocritas extremus præferri debet.*

90. *Cur porrò dormientium alij ſomniant, alij ſomnia nulla vident? Huius quoque accidentis cauſa euidens eſt. Qui enim profundè dormiunt, id eſt, ſpiritus valde occupatos habent, nihil admodum imaginantur. Quibus minus ligati ſunt, vt leuiter interim moueantur, his nihil prohibet phantaſmata apparere.* 1578.

DISPVTATIO XIX. RESPONDENTE *Daniele Obrechto Argentinenſi.*

Vtrum Humores alij à ſanguine, ſcilicet Pituita, Bilis flaua, & ſuccus Melancholicus, Corporis integrè ſani partes aliquos nutriant?

THOMAS

THOMAS ERASTVS AD AEQVVM *Lectorem.*

NEmini me olim à Præceptore quodam meo audire, ampliorem ſæpe nos ex eorum librorum lectione fructum percipere, in quibus apertè falſa doceri animaduertimus, quàm eorum, in quibus rectè omnia tradi nobis perſuaſimus. Sic enim nos plerunq; hos legere, vt, quia de veritate eorum, quæ in ipſis continentur, non ambigimus, eadem addidiciſſe contenti ſimus, illos autem ita nos voluere, vt qui, quæ ſuſpecta habemus, penitiùs cognoſcere, errorumq; cauſas intelligere cupiamus, & quibus rationibus refutari poſsint, ſolicitè diſquiramus. Simile deinde quippiam apud Ariſtotelem initio 2. Metaph. obſeruaui, vbi non illis ſolùm gratias deberi ait, quorum placita probamus & ſequimur, ſed & alijs qui hiſce rectè ſentiendi anſam dederunt παρὰ μὲν γὰρ ἐνίων, inquit, παρειλήφαμέν τινας δόξας, οἱ δὲ τοῦ γενέσθαι τούτους αἴτιοι γεγόνασιν. Quòd verò gratia his etiam debeatur, qui malè diſſerendo alios excitant ad veri perſcrutationem, his indicat verbis. οὐ μόνον δὲ χάριν ἔχειν δίκαιον τούτοις, ὧν ἄν τις κοινωνήσαι ταῖς δόξαις, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔτι ἐπιπολαιότερον ἀποφηναμένοις. καὶ γὰρ οὗτοι συμβάλλονταί τι. Cùm quę euenerunt mihi memoria mecum repeto, negare non poſſum, quin ita frequenter vſuueniat. Vt alia nunc præteream, ex peſsimis lib. Paracelſi (de quo nō ineptè pronunciaueris hūc verſiculum, ὃ μὲν ἐπίστατο πολλά, κακῶς δ' ἠπίστατο πάντα.) nata mihi eſt occaſio, non pauca rectiùs diſcendi, de quibus alioqui fortaſſe nunquam cogitaturus fuiſſem. Gratiam igitur aliquam hîc meretur Paracelſus, quī, dum importunè ac maledicè nimis (imò pernicioſè) Medicorum de humoribus doctrinam calumniatur, me eandem diligentiùs expendere coëgit. Quæ reperimus, tibi nunc, candide Lector, communicamus: & ne prius damnes, quàm examinaris ac iudicaris, te ſimul oramus. Hoc ſcio, diſcretam magis ac perfectiorem de humoribus cognitionem aditum tibi patefacturam ad euoluenda & intelligenda alia artis noſtræ capita, quæ te fortaſſe adhuc latent. Vale.

QVi in diſquiſitione, & explicatione præſentis quæſtionis errorem vult cauere, hunc ſcire primum oportet, quid ſit nutritio, deinde quomodo à ſanguine tres reliqui humores differant.

2. Eſt autem nutritio nihil aliud, quàm eius quod nutrit, aſsimilatio ad id, quod nutritur, ſiue repoſitio vel inſtauratio, vel repletio eius, quod abijt, vacuatumq́; eſt. Vtraq; hæc definitio apud Gal. reperitur, dum aliâs ὁμοίωσιν τοῦ θρέφοντος τῷ θρεφομένῳ, *aliâs* ἀναπλήρωσιν τοῦ κενωθέντος, ἢ τῆς ἀποῤῥεύσης οὐσίας *eſſe ſcribit.*

3. Etſi verba differunt, res tamen eſt eadem: quoties de ſimplici nutritione ſermo eſt. Quia enim quod nutrire carnem (exempli gratia) debet in locum eius quæ abijt, ſuccedere, atq; id ipſum fieri, quod illa fuerat, oportet, neceſſarium eſt, ipſum carni, quæ nutritur, aſsimilari, hoc eſt, Carnem ſpecie ac natura eandem fieri cum ea, quæ nutritur: quod hoc loco ὁμοίωσιν *Gal. nominat. Quod caro talis fieri non poteſt, nutrimentum eius eſſe non poteſt.*

4. Hinc ratio intelligitur, cur alij alijs gaudeant alantúrue. Cùm enim quod vacuatur, ſuum cuiuſq; proprium aliquid ſit, neceſſarium eſt, vt, quod in vacuati locum per nutritionem ſuccedit, proprium quoq; ſit. Niſi enim tale ſit, non reſtituitur idem in locum vacuati, quod in vera nutritione euenire oportet. ὅτι γὰρ τὸ κενωθὲν οἰκεῖον ἦν, καὶ τὸ θρέψον οἰκεῖον ὑπάρχειν ἀναγκαῖον ἐστίν. *Hinc nutrimentum dicimus familiare, ſimile, proprium, facultatéq; idem cum eo eſſe, quod nutritur.*

5. Hinc etiam veritas intelligitur pronunciati Phyſici, vnumquodq; eo nutriri, ex quo de principio conſtitit, cuius frequens eſt apud Ariſt. & Gal. repetitio. Sufficit nunc Galeni verba ex vlt. cap. lib. 1. de ſem. produxiſſe: ἕκαστον ἐξ ἧς τὸ πρῶτον οὐσίας ἐγένετο, καὶ θρέφεται διὰ παντός, ὅτι καὶ ἡ θρέψις ἀναπλήρωσις ἐστὶ τῆς ἀποῤῥεούσης οὐσίας.

6. Non pugnat cum his, quod diuerſis rebus veſcimur, quodq́; multis eſculentis vtimur, quibus diuerſiſsima animalia gaudent. Nam de vltimo alimento ſeu ſanguine, accipi debet prædicta enunciatio. Qui etſi ex varijs cibis eſt confectus, Natura tamen in eius coctione ex ſingulari tantū ὁμόφυλα *partes ſcilicet cognatas, &* συγγενῆ *collegit,* ἀλλόφυλα *autē, noſtriſq; corporibus inimica ſeparauit, ac ſecreuit (vnde tot excrementorū prouentus) & ſic familiarē nobis effecit.*

7. Idem de animalibus alijs cogitare debemus. Etſi enim ſues, & canes pane nobiſcum veſcerentur, non tamen eundē ſpecie ſanguinem

cum

cum noſtro generarent, quia non eodem modo concoquunt, nec eaſdem partes ſegregant, quas noſter calor ſeparat. Manifeſtum hoc eſt primùm ex ſpecie excrementorum, quæ admodum ſunt diſſimilia qualitatibus & ſubſtantia. Deinde, quòd noſtris delectatur, ſua abominantur. At nunquam hoc facerent, ſi non in noſtris relictæ eſſent partes, nobis quidē inimicæ, ipſis autem gratæ. Ideo ſuis proprijs non itē gaudent, ſed ab eis abhorrent, quia nihil ipſis grati relictum in eis eſt.

8. *Quare alias partes ipſorū, alias noſtra natura inter coquendum ſeruauit ac reiecit, aliterq́ omnes coxit ac mutauit, vt idem ſanguis non ſit, qui ex eadem materia genitus eſt. In cauſa eſt, quòd non ſolùm idem agens res diuerſas diuerſè alterat ac mutat, ſed eadem quoque res à diuerſis agentibus non eodem modo alteratur ac mutatur. Nunquam ignis calor ex pane generabit ſanguinem aut chylum (ſed in cineres vertet) quod ventriculi calor facit. Nunquam hepar ex pane chylum generabit, ſicut nec ex chylo venter vnquam ſanguinem procreabit. An neſcimus eundem chylum aliter ab hepate eodem ſano & ægro coqui? Sanum in ſanguinem bonum, ægrum, vt in hydrope, in aquam permutat. Similis eſt ratio aliarum intemperierum.*

9. *Ad humores quod attinet, ſciendum eſt, eos ab hepatis calore ex chylo neceſſariò quidem, attamen per accidens vnà cum ſanguine generari. Dum enim chyli partes mediocres in ſanguinem tranſmutat, calidiores & tenuiores veluti adurit, inq́ bilem flauam vertit, craſſiores autem & frigidiores imperfectè mutatas relinquit.*

10. *Et imperfectè alteratorum non eſt vna conditio. Etenim pituita, quæ ſemicoctus ſanguis eſt, ab hepatis calore tempore percoqui & in ſanguinem probum permutari poteſt: ſuccus autem melancholicus ita vinci ab eo non poteſt.*

11. *Conſtat ex his, tres modò nominatos humores, materiæ neceſſitate ab inſito hepatis calore generari, & propriè dicti ſanguinis excrementa eſſe, licet non eadē omnes ratione excrementa ſint, & dicantur.*

12. *Etenim excrementum propriè id vocamus, quod eandem cum illo, cuius excrementum eſt, perfectionē, ornatumq́ conſequi non poteſt, vt in ſanguine ſerum. Minus propriè, vſitatè tamē, ita nominamus, quod eandem dignitatē ſortiri potuit & ſuſcepit, ſed eadem rurſus priuatū eſt, vt flaua bilis: quæ ex ſanguine nimis calefacto orta eſt. Hæc*

enim ſanguis fuit, ſed eius forma abiecta in aliam familiã tranſiuit. Adhuc minus propriè appellatur excrementum, quod eandem perfectionem & dignitatem nondum adeptum eſt, attamen nanciſci adhuc poteſt, quomodo pituita naturalis excrementum ſanguinis aliquando dicitur.

13. Succus melancholicus, qui in ſanguinis generatione fæcis inſtar habet, medio quodammodo inter bilem & pituitam loco conſiſtit. Quatenus enim in hepate maiorem perfectionem recipere ineptus eſt, non minus verè excrementum eſt, quàm bilis flaua: quatenus idem in liene perfectius elaborari, & maxima ex parte in ſanguinem vtilem permutari poteſt, naturali pituitæ ſimilis eſt.

14. Non enim trahit ad ſe ſplen hunc ſuccum, vt eum ſine coctione extra corpus eijciat, quemadmodum veſicæ duæ ad ſe trahunt bilem flauam pituitam, & ſerum, ſed vt mutato & confecto perfruatur. Hanc ob cauſam, & quod paucior eſſe ſolet, non formauit Natura lienem cauum, ſicut veſicas finxit: ſed multis potiùs arterijs eum donauit, quò maiore vi caloris vitalis præparatam ab hepate materiam domaret ac perficeret.

15. Hic verus cùm ſit lienis vſus, perſpicuè patet, nec Ariſtotelem prorſus erraſſe, qui αἱματώσεως inſtrumentum, & velut alterum ſiue ſiniſtrum hepar eſſe ſcripſit, nec Galenum omnia ſatis dixiſſe, cùm à natura ob id factum duntaxat aſſeruit, vt à fæce ſanguinem repurgaret. Vtrunq; enim præſtat, non alterutrum tantùm agit.

16. Facilè iam reſpondebimus interroganti, cur interdum quatuor in generatione ſanguinis excrementa cum Galeno ponamus, bilem flauam, ſuccum melancholicum, pituitam, & ſerum, aliquando tria, ſæpiſsimè duo ſolùm eſſe affirmemus. Galenus paſsim exemplo vini duo ſolummodo memorat, quorum alterũ flori reſpondeat, flaua bilis, alterum fæci analogum ſit, ſuccus melancholicus.

17. De excrementis enim magis propriè tunc loquitur. Nam pituita naturalis rectius ſemicoctus ſanguis appellatur, ac in venis perfici, & ob eam cauſam minimè excerni debet. Quæ naturalis non eſt, in ventriculo gignitur, non in iecinore. Serum autem nihil eſt aliud, quàm aqueus humor ciborum & potuum, qui in ventriculo ſeparatur potiùs, quàm generatur. Hic quia ſanguini, dum in hepate eſt, vſum

aliquem

aliquem præſtat, partes à quibus ſecernatur, poſt ipſum ſitas habet. Bilis & ſuccus melancholicus, qui inutiles ſunt, citra iecur ſeparantur.

18. *Dixi quid nutritio ſit: declaraui etiam quomodo & quatenus bilis, ſuccus melancholicus, & pituita ſanguinis excrementa ſint ac dici poſſint. Quod enim priores duo eius excrementa ſint, probatione opus non habet, cùm ab omnibus tum Philoſophis, tum Medicis creditum affirmatumq́ ſemper fuerit, & dubitanti facillimè demonſtrari poſſit. Ad ipſam igitur quæſtionem accedendum eſt.*

19. *Solum ſanguinē, vt eſt à prædictis tribus ſuccis ſecretus humor, corporis noſtri partes alere, dum rectè valemus, aio. Nō tamen ob id affirmo, in omnium aut ſingularum partium nutritione æquales numero interuenire mutationes. Nam carnes ſtatim, oſſa non niſi pluribus intercedentibus alterationibus nutrit, quod in fine libri tertij de pot. nat. & 1. de Sem. cap. 11. verè à Galeno affirmatum ſcimus. Hoc ſolùm aſſero, eum in nullum humorum prædictorum conuerti, priuſquam partibus ſit aſſimilatus. Quod dico, firmiſſimis argumentis probabo.*

20. *Primum certum eſt, eiſdem nos nutriri, ex quibus de principio ſicti generatiq́ fuimus, vt ex ſupra dictis liquet. At ex puro ſanguine facti in vtero fuimus. Semen enim, quod ex optimo ſanguine genitum nullus dubitat, puriſſimo ſanguine nutritur primùm: quo eodem dein de fœtus ex eo formatus alitur, teſte Galeno 5. Aphor. 37. De tuenda ſanitate 1. cap. 9. Lib. etiam 3. Epid. ægrot. 3. & de ſymp. cauſ. 2. cap. 7. At non aluntur alio ſanguine tum ſemen tum fœtus, quàm eo, quo conſtant. Certiſſimum igitur eſt, nos per omnem vitam (dummodo integra ſanitate fruamur) ſanguine, non bile aut pituita, nutriri.*

21. *Sed hîc obijciet aliquis, Galenum fateri quidem ſemen ex ſanguine conſtare, fœtumq́ ex ambobus formatum ſanguine nutriri, at non de puro & ſolo, ſed cum tribus humoribus miſto eum loqui. Nomen enim ſanguinis aliquando pro ſincero, ſæpius pro eo, qui per excellentiam ita vocatur, apud ipſum poni, vt ex infinitis locis, clariſſimè autem ex lib. de multitudine, cap. 10. & 6. Epid. Com. 2. tex. 38. patet. De hoc ſanguine eum loqui manifeſtū eſſe, cùm lib. 1. de nat. hum. com. 27. ſcribat, nunquam in vteris concipientium ſanguinem ſince-*

rum fuiſſe. Idem ex eo probari, quod lib. de multitud. cap. citato aſſeueres, purum ſanguinem in venis nunquam repertum.

22. Reſpondeo, Galenum in hac parte ſibi non conſtare, & ob id non quæri iam, quid ſenſerit, ſed quid verum ſit. In locis citatis, vt 5. Aphor. 7. fœtum ex eo quod in ſanguine dulciſſimum eſt, nutriri apertè ait. Quare neq; flauam bilem neq; ſuccum melancholicum admiſtum habet fœtum nutriens ſanguis. Illa namq; amarum, hic acidum acerbúmue reddit. Cùm alibi ex optimo ali aſſerit, ex miſto ali non concedit. Miſtus enim ſanguis optimus, ac κατ' ἀλήθειαν, vt ipſe loquitur, ſanguis non eſt.

23. Idem docet ratio. Conſtat enim bilem flauam & ſuccum melancholicum neq; concreſcere inſtar ſanguinis, neq; in pus album verti poſſe. Carent enim fibris, quarum ratione ſanguis & concreſcit, & in pus vertitur. Quod ſi non poſſunt in pus album mutari, ſiue ſecundùm partem & qualitates aſſimilari, ne in ſemen quidem poſſunt mutari, quod puris inſtar album eſt. Diſcrimen eſt, quod puris materia putredinis particeps eſt, & ab omnibus partibus gignitur, cùm ſeminis materia ſecundùm naturam habeat, atq; à ſolis teſtibus generetur. Rectè igitur nos ex contrariorū affirmatione partem eam probamus, quæ rei naturæ magis eſt conſentanea. Immotum igitur perſtat argumentum primum.

24. Excrementum & id cuius excrementū eſt, vt bilis (exempli gratia) & ſanguis diſparata ſunt. (Nam auctore Cicerone diſparatum eſt id, quod ab aliqua re per appoſitionē negationis ſeparatur) & preinde vſum eundem exhibere corpori non poſſunt. At bilis eſt ſanguinis excrementum, de quo nullus vnquam ſanus & intelligens dubitauit. Eſt ergo à ſanguine aliud ſiue non ſanguis. Virtus porrò & perfectio ſanguinis eſt alere poſſe. Quid hinc aliud ſequitur quàm bilem alere non poſſe? Niuem atram, vel atramentum album dicit, qui alimenti excrementum alimentum eſſe aſſerit. Alimentum retineri excrementum ſeparari & excerni debet: in quo ipſa eius ratio & definitio conſiſtit.

25. At pituita inquiat aliquis, nutrit, licet excrementum ſit. Videtur etiam natura ob id nullum inſtrumentum fabricauiſſe, quo eam à ſanguine ſecerneret: Reſpondeo, Pituitam naturalem valdè impro-

priè

priè excrementũ nominari,quod ſupra declaratum fuit. Deinde tunc primùm nutrit,cùm in ſanguinẽ coctione tranſijt:quod cũ dictis nõ pugnat. Quæ naturalis non eſt,ſed excrementitia ,inſtrumento peculiari inſtar bilis,ſucci melancholici,& ſeri ,non indiguit. Nam craßiorem hepar non facilè ex ventriculo , vbi gignitur ad ſe pertracturũ erat: & commodius per vomitum vacuari,aut aluum deijci poterat. Tenuiorem ac ſeroſam renes cum ſero ad ſe pellicere debebant.

26. Alimenta per vaſa in totum corpus diſtribui oportere,& ad omnes partes accedere,confeſſum eſt. At prædicti tres humores non diducuntur cum ſanguine in corpus,quoties rectè valemus. (De ſanis autem & naturaliter habentibus ſolis in tota hac diſceptatione loquimur) Quare pro alimentis haberi non poſſunt. Quòd porrò non diffundantur per corpus,ratione & ſenſu manifeſtè probabitur.

27. Natura vt ſcitißimè ſcripſit Ariſt.nihil fruſtra facit,ſed fruſtra ſepararet à ſanguine flauã bilẽ ſimul in hepate genitã & miſtam, priuſquã in venas penetret,ſi cũ eo in corpus diſpergi voluiſſet. Quid enim? an non fruſtra ſeparatur,quod mox iterum eſt permiſcendum? Quàre cum nullo errore (nam ita in omnibus & ſemper fit) natura veſicam pro expurganda bile citra iecur collocarit, ne cum ſanguine in venas peruaderet,in corpus eam naturaliter diſpertire non voluit. Quod huius tractionem effugit,mox cum ſero per veſicam ſecernere renibus imperauit. Ad hoc quid reſpondebitur?

28. Alterutrũ fateatur oportet,qui veritati locũ nõ dare conſtituit, aut non eandẽ ſpecie bilem vacuari & retineri , aut non totã, quæ in hepate generatur,à fellis veſica (renum exemplo) expurgari,ſed partem aliquam pro nutritione aliquarum partiũ relinqui. Renes enim non omne ſerum,è ſanguine extrahunt,ſed quantũ ſanguini in totum corpus facilius deducendo neceſſarium eſt,relinquunt: cuius officij ratione ſerum ὄχημα τῆς τροφῆς,ab Ariſt.& Hippocr.nominatur.

29. Qui non eandem vacuari & manere putant , in errore aperto verſantur. Etenim Galenus cum omnibus Philoſophis & Medicis apertè vbique affirmat, in hepate cum ſanguine duo ſolummodo excrementa generari,tenue & craſſum: quorum illud flori vini ,hoc fæci analogum ſit. Quòd ſi duæ generantur ibi ſpecies bilis,cur non & duas ſucci melancholici ſpecies ſimiliter generari dicemus? Si contra

omnium doctorum ſententiam,ipſamq́ adeò veritatem,quinq; ſuccos, excepta pituita & ſero,continue ex chylo generari in optimè ſanis fatebimur.

30. *Non conuenit hîc exemplum pituitæ:cuius vna ſpecies,quæ naturalis dicitur,nec aliud eſt quàm ſanguis imperfectè coctus,nutrire poteſt,altera, quæ excrementitia eſt,alere non poteſt.Non enim ambæ in hepate generantur.Deinde quæ ſemicoctus ſanguis eſt, excrementum(vt ex ijs quæ retrò diximus,patet.) non eſt,cùm à calore venarū facilè perfici,& in ſanguinem permutari ſoleat.Quæſtio autem de excrementitijs humoribus quæritur.*

31. *Qui partem aliquam duntaxat à veſica expurgari arbitrantur, & reliquam in venas penetrare opinantur, non minus errant. Non enim debet excrementum,quod natura ſoluitè non ſine labore ſeiunxit,cum eo,cuius excrementum eſt,remanere,ſed abijci & excerni.Vnde Gal.lib.2.de fac.nat. affirmat,bilem à ſanguine exactè ſecerni.Si diſpenſari ſimul deberet,facilius coniunctam quàm ſeparatā diſtribueret.Perperam igitur natura in hepate ſecreuiſſet,quod deinceps vſum præſtare oportebat.*

32. *Nec rectè producitur exemplum renum,quibus hoc à natura præſcriptum eſt,vt non omne ſerum ad ſe alliciant, quia vſum ſanguini neceſſarium,de quo iam dictum eſt,exhibet. Bilis autem flaua non modò non commodat ſanguini,verumetiam vitioſum reddit. Sanguis enim laudabilis eſt dulcis.At qui bilem participauit,amarus eſt ac morbidus,quod Gal.palàm aſſerit lib.4. de Simpl.phar. pot.cap.16.& libro eiuſdem operis 10.cap.de Sanguine.*

33. *Quid quod ſenſus euidenter probant nihil flauæ bilis in ſanguine ſanorum ineſſe? Etenim talis ſanguis guſtatu eſt dulciſſimus: qualis eſſe nequaquam poſſet,ſi vel minimum bilis amariſſimi humoris admiſtum haberet. Quis enim neſcit,quantulum bilis, quantam dulcis ſucci copiam vitiet? Deinde fieri non poteſt,vt pars tam amaro ſucco nutrita non ſit amariſſima.Quam vim habeant cibi ad ſapores generandos,nullus idiota ignorat,ac nos in Diſputat.de auro poculento abundè oſtendimus.Qui nobis fidem non habet,nec experientiæ omnium hominum credit,legat Gal.3.de Sympt,cauſ.2.vbi Ariſt.etiam teſtem citat.*

34. *Fru-*

34. *Fruſtra obieceris aliquis, incerta nos adferre, cum humanas carnes non deguſtemus. Nam in aliorum animalium, quæ bilis eiusq́ amariſſimæ plurimum colligunt, periculum facere omnibus horis poſſumus. Et cum pleriq́ pulmones præcipuè bile nutriri arbitrentur, qui guſtare volet, libenter fatebitur, nulla eos bile nutritos fuiſſe.*

35. *Si ob eam cauſam non amareſcere excipias, quia non a ſincera bile nutriatur, ſed à ſanguine, qui eam admiſtam habeat, non elabêris. Valde namq́ abſurdum eſt, partem aliquam vnam à contrarijs & ſpecie diſcrepantibus alimentis nutriri, excremento, & eo cuius excrementum eſt. Etenim partis cuiuslibet alimentum vltimum eſt vnum. At ex bile & ſanguine fieri vnum non poteſt, niſi vel ſanguis fiat bilis, vel bilis fiat ſanguis, vel ex ambobus fiat quiddam tertium, quod nec ſanguis actu ſit, nec bilis.*

36. *Quòd ſi ſanguinem permutari putes in bilem tuam, ipſius Hypotheſin euertes. Nutrietur enim pars à ſincera bile, & amariſſima ſentietur. Sed nec bilis in ſanguinem reuerti poteſt. Non enim datur à priuatione reditus ad formam, propterea quod generatio miſtorum prorſum ſemper it, non retrorſum. Semper ex priore fit poſterius nunquam ex poſteriore prius: nec miſtum vllum perfectum in id, ex quo proximè factum eſt, corrumpitur. Non diſſoluitur auis vlla in ouum, ex quo tranſmutato genita eſt: nec acetum in vinum, ex quo putrefacto natum eſt, redit. Sequitur igitur neceſſariò, vt ex ambobus vna quædam tertia oriatur ſubſtantia.*

37. *Quod hoc etiam fieri non poſsit, facilè perſpicies, ſi naturam cogites non poſſe aut velle vnire rurſus, quæ paulò antè ſecreuerat. Sanguinem ex Chylo generare perfectum non poterat, niſi bilem ſepararet. Quod ergo ad excretionem generauit, nunquam coniungere iterum tentabit. Summa eſt, Natura nunquam & nuſquam excrementum, quod ab eo, cuius excrementum eſt, diſiunxit ac diuiſit, mox vnire iterum conata fuit: Differunt enim ſpecie, diſparata ſunt, & ἀλλόφυλα, ideoq́ in ſocietatem rurſus coire non poſſunt.*

38. *Iam, vt maximè fieri vnum poſſent, non tamen amaritudinem per eam coniunctionem deponeret. Amareſceret igitur pars nutrita pro copia permiſtæ bilis nihilominus. At dulces ſunt, & amaroris prorſus expertes omnes ſani animalis partes. Quare inanis eſt hic*

omnis effugiendi labor. Quod autem amarum ex dulci genitum non permutetur in dulce, niſi omnino maximæ & plurimæ interueniant mutationes, non minus certum eſt, quàm bilem non recipere formam ſanguinis, quam perdidit.

39. *Ad iudicium ſenſus illud etiam pertinet, quòd ſolus ſanguis propter fibras concreſcit, bilis nunquam. Itaq; facilè aliquando fieret, ſi cum ſanguine miſta eſſet, vt vel caſu, vel arte ab eo ſecreta & non concreta ſeorſim appareret, quemadmodum ſeroſa pars ſeparatim conſpici frequenter ſolet. Sed nihil tale vnquam factum viſumq; comperimus in benè ſanis, licet viſu facilè diſcerni à ſanguine poſſit.*

40. *His adde, quæ Galen. lib. 5. de vſu part. cap. 4. attulit. Quòd non diſtribuatur bilis, inquit, in corpus, argumento eſt excretorum varietas. In ictericis bile ſurſum in corpus perlata comeſtorum colorem referunt, in ſanis flauo colore tincta ſunt. Si in vtramq; partem ferretur, non excreta tantùm, ſed totum etiam corpus colore ictericorum tingeretur.*

41. *Perſpicuè non rationibus ſolùm, verumetiam ſenſu demonſtraui, bilem cum ſanguine per corpus neutiquam vagari, dum rectè valemus. Si teſtimonium Galeni aliud præter id, quod iam adduxi, requiris, inuenies in libro 2. de nat. fac. cap. 2. hæc verba. Nam quomodo quæſo, videatur (Natura) proſpicere animali, ſi tàm noxium ſuccum vnà cum ſanguine aſcendere in corpus permittat? Improuidam appellare Naturam ibidem non veretur, ſi cum ſanguine bilem per venas ire ſinat.*

42. *Ariſt. etiam 4. de part. animal. 2. bilem dicit inutilem eſſe, vitæ breuioris cauſam,* σύντηξιν, *& ſanguini contrariam, tum quia excrementum, tum quia amara ſit, eam per venas ferri his verbis negat:* τῇ μὲν γὰρ καρδίᾳ τοιοῦτον οὐδένα πλησιάζειν οἷόντε χυμόν. οὐδὲ γὰρ δέχεται βίαιον πάθος. *Si ad cor propinquare non poteſt, quomodo pulmones nutriet? At hos præcipuè nutrire putatur. Si in venas tranſiret ex hepate, quin ad cor perueniret, nulla ratione caueri poſſet. Notandum hic eſt, quòd vim inferre cordi & partibus alijs, ad quas accedit, affirmat.*

43. *Cæterum ſucci melancholici conditio alia non eſt. Nam & excrementum eſt paulò minus noxium bile, is præſertim, qui in liene per-*

percoqui non potuit. Quare non miſcetur cum ſanguine ſanorũ. Quod itidem Gal. loco citato 5, de vſu partium, & lib. 2. ad Glauc. cap. 10. explicatis verbis affirmat, nullum huiuſmodi excrementum, inquit, in venis colligitur, cùm ſplen officiũ facit, & victus ratio conueniens ſeruatur, hoc eſt in rectè valentibus.

44. *Ad extremum auctarij vice illud etiam adijciam, quod natura alimenti eſt, vt patiatur, non vt agat: quodq; alium in corpore vſum non habet quàm vt nutriat: bilis autem & ſuccus melancholicus humores ſunt maximè actuoſi: eiſq; ad certos vſus alios natura abutitur. Etenim bilis (teſte Galeno, pituitam aliaſq; ſordes de ventriculo & inteſtinis deradit, excrementorumq; in ipſis hærentium deiectionem maturat ac vrget. Succus melancholicus appetitum ventriculi acuit, eundemq; corroborat: pituita inteſtina oblinit, & ne ſubinde ab acribus excrementis, quæ continuè per ea tranſeunt, offendantur aut vlcerentur, armaturæ inſtar tuetur.*

45. *Qui ſimul nutrire, & per venas partem eorum diſpergi contendunt, non animaduertunt, ſe dignitatem eis maiorem quàm ſanguini, cuius excrementa ſunt, tribuere Sanguis enim ea ſola ratione prodeſt, quia nutrit: hi & hoc modo, & nuper dictis officijs commodant. Adde quod eiuſdem prorſus excrementi pars vna agit, altera patitur: pars vna ſeparatur & excernitur (in quo conſiſtit excrementi ratio) altera non ſecernit, ſed cum ſanguine diſpenſatur, vt excrementum ſit & non ſit.*

46. *Quæ cũ ſint omnia nimis abſurda & planè ἀσύςατα, iurè hac in re Ariſtoteli potius, quem Auerrhoës alijq; præſtantes Philoſophiſecuti ſunt, adhæremus quàm Galeno, qui quoties rationem ducem ſequitur, cum Ariſtot. ſentit: ſed Hipp. authoritate mox à recta via iterum ſe abripi patitur. Quod planius perſpicietur, poſtquam aduerſæ partis argumenta examinauerimus.*

47. *Quoniam membrorum, inquiunt, magna eſt diſsimilitudo in calore, frigore, humiditate, ſiccitate, duritie, mollitie, craſsitudine, ſubſtantia, non poſſunt vno omnes ſanguine nutriri. Et cùm homo μικρόκοσμος ſit ac dicatur, haud malè quatuor humores quatuor mundi elementis reſpondent. Sicut igitur ex his res miſtæ omnes fiunt, ita ex omnibus humoribus nos fingi par eſt: ac proinde omnibus etiam nutriri nos conſentaneum eſt.*

48. Deinde certum eſt, plantas non omnes vno ſucco ali, ſed ſingulas ſuo ferè proprio, quem ad ſe quælibet attrahit nutriri. Eodem modo diſpares corporis partes probabile eſt diſparibus ſuccis gaudere.

49. Tertio ſanguis calidior eſt oſsibus. Quare non poterit ab inſito in oſsibus calore vinci & concoqui. Quî enim frigidius coqueret calidius, cum, quod coquit, vincere, quod coquitur, vinci oporteat? Iam coctio calore perficitur. Calidius igitur coquens ſeu aſsimilans alimento, quod coquitur & aſsimilatur eſſe neceſſe eſt. Quocirca alio à ſanguine humore, ſcilicet frigidiore, nutriuntur oſſa.

50. Quarto Sanguis è vena profluens nunquam purus & ſimplex apparet, ſed modò craſsior, modò tenuior, aliàs ruber, aliàs niger, ſæpè flaueſcens aut nigricans (& in hiſce noſtris regionibus plurimum candicans) videtur. Quæ partium varietas & diſcrepantia vnde ortum habet, niſi ab aliorum humorum permiſtione aut potius confuſione?

51. Quinto Purgans pharmacum quouis tempore humorem ex vaſis euocat, quem ducere quoduis natum eſt. Semper igitur in vaſis quatuor humores actu continentur. Cur porrò aut in quem finem perpetuò cum ſanguine confuſi manerent in vaſis, ſi non nutrirent?

52. Sexto, Negat expreſsè Hipp. in lib. 1. de natura hum. hominem ſolùm eſſe ſanguinem: nec negat tantùm, ſed argumentis aduerſus ſic ſentientes validis, vt videtur, pugnat, Quod ſi ſolo ſanguine nutriretur, ex eodem quoq; ſolo factus fuiſſet & è contra.

53. Poſtremò ventriculus, ex omnium ferè Medicorum ſententia nutritur chylo, non ſanguine. Quo circa non omnes partes ſanguine aluntur. Quod ſi hoc ventriculo conceſſum eſt, cur non & alias quaſdam putemus alijs ſuccis naturæ ſuæ amicioribus magisq; ſimilibus nutriri?

54. Facilis eſt ad primum reſponſio. Sanguis non eſt ſimplex quiddam teſtibus Ariſtotele & Galeno cum ipſis noſtris ſenſibus. Conſtat enim ex partibus admodum differentibus, craſsioribus, tenuioribus, frigidioribus, calidioribus, &c. De partibus loquor, quæ ſic ad ſanguinis ſubſtantiam pertinent, vt caſeus & ſerum ad ſubſtantiam lactis pertinent, ſine quibus ſcilicet definiri aut intelligi non poteſt, ne aliquis putet me de humoribus ei permiſtis ac ſpecie diſtinctis loqui. Quare nihil obſtat, quò minus diuerſiſsimæ partes vno ſanguine nutriantur,

dum ſingulæ ex eo trahunt, quod ſibi conuenit amicumq́ eſt: vt in 6. 7. & 8. theſ. declaratum ſupra fuit.

55. Conſideret vrinas, qui de hac re ambigit. Quanta in his partium diuerſitas lateat manifeſtè apparet, quando turbantur. Idem eſt de vinis & ſuccis quibuslibet iudicium. Si in tàm claris, pellucidis ac tenuibus ſuccis tanta eſt partium diſcrepantia, quis credat ſanguinem quantumuis probum nihil in ſe diſsimile continere? Lactis inſpectio (quod nihil ferè aliud eſt, quàm ſanguis dealbatus) tenebras omnes facilè diſcutiet apud eos præſertim, qui, quàm multis & differentibus cibis vtamur, obſeruauit. Quid quòd Galeno authore vix vllum reperitur miſtum ſine hac partium diuerſitate?

56. Quæ de μικροκόσμῳ adferuntur, Paracelſi delirium ſapiunt. Non enim ob id dicitur homo paruus mundus, quia omnes maioris mundi partes & mutationes in ſe actu habeat: ſed quia ſimilitudo quædam in eo vniuerſitatis huius elucet. Nam corpus habet palpabile ex elementis conflatum, & ob id corruptibile. Anima, quæ in ſenſus non cadit, cœleſtis eſt & immortalis. Per nutriendi vim plantis, per ſenſus, brutis eſt ſimilis. Mente ad naturam beatorum ſpirituum accedit, & Dei Opt. Max. imaginem quandam in ea adumbratam gerit. Quid hæc ad propoſitam quæſtionem faciunt?

57. Ex elementis actu id permanentibus, quod ſunt, nec generantur miſta nec nutriuntur, vt ex iјs fiat aliquid, miſceri ea inter ſe oportet ac mutari, non ſolùm confundi. Quod ſi ad eum modum permutari humores quatuor oportet, priuſquam nutriant, tàm dicentur inſcitè nutriri membra his humoribus, quàm ineptè diceres hominem, qui carnibus nutritur, elementis nutriri. Quin imò rudior adhuc foret enunciatio hæc, cum non ſic inter ſe miſceantur quatuor humores pro generatione rei alius diſtinctæ ab ipſis, quomodo ex elementorum miſtione aliud ab ipſis generatur.

58. Ad alterum reſpondeo, non congruere exemplum de plantis. Non enim ſpecie ac genere ſic differunt vnius corporis partes, vt planta differt à planta: ſicut lactuca ab abſinthio. Si comparatio ſit inſtituenda inter diuerſas vnius plantæ partes, & hominis partes inſtitui debebit. Conſtat autem certarum partes plantarum maximè diſcrepare, vt radix ignea ſit, folia & caules frigefaciant: aut fructus acer-

rimus ſit, folia autẽ acrimoniæ omnis expertes exſiſtant. Tales plãtas prius demonſtrare oportet non vno ſucco, ſed ſpecie diuerſis nutriri (ſicut bilis & ſanguis ſpecie differunt) quàm eis vt exemplis contra nos vtare. Et vt probatum hoc eſſet, nondum tamen ex eo concludi poſſet, corporis noſtri partes diuerſis eodem modo ſuccis ali.

59. Tantundem valet 3. ratio. An non nutrimur calidiore cibo et potu quàm nos ſumus? Cum frigidam intemperiem mutare ſtudemus, cibos & potus offerimus, qui ſimul nutrire & calefacere partes omnes poſſint. At non omnes, reſpondebis, talium ciborum partes nos nutriunt. Rectè. Sed nec omnes ſanguinis partes ab oſſe tranſmutantur, verum terrenæ ſolùm & oſſibus familiares id ab eis patiuntur.

60. Meminiſſe hic oportet primum quidem, nutritionem non fieri ſimilis acceſſione ad ſimile, ſed per alterationem alimentum aſſimilari ei, quod nutritur. Secundo, duplex eſſe conueniens in alimentis. Quædam enim qualitatibus ſimilia ſunt, quædam tota ſubſtantia, (vt loquitur Galen. 6. de tuend. ſanitat. Cap. 3.) familiaria exiſtunt. Tertio ſanguinem (ſeu pleraſq; eius partes) non proprio ſed participato calore calidum eſſe, teſtib. Hipp. in fin. lib. de Corde & Ariſtot. lib. 2. de part. animal. Cap. 3. & alibi. His poſitis clara eſt reſponſio.

61. Vt ſanguis totus maximè ſit oſſe calidior, facilè tamen mutatur ab oſſis calore, non caliditas, ſed ſubſtantia. Deinde trahit (vt dictum eſt) os ex toto ſanguine, quod ſibi obediens eſt ac ſimile. Denique facilè amittit calorem participatum, & tranſmutantis calorem recipit, cum partium facta eſt diſiunctio.

62. Sanguinis varietatem in ſanis (vt ad quartum reſpondeam) non à permiſtis ſeu confuſis humoribus prouenire, ſed à propria eius natura proficiſci dicimus. Nam vt non poteſt lac bubulum intelligi ſanum & perfectum ſine tribus ſuis partibus, ſero, caſeo, & butyro, ita non poteſt ſanguis probus animo concipi & definiri abſque partium illa varietate.

63. Ad quintum reſpondet Fernelius, ſemper pharmaco dato vacuari humorem, quem ingeſtum pharmacum trahere ſolet, ſed non ex vaſis neceſſariò trahere, verum ex corpore. Semper autem excrementa hæc ſuis in locis aceruari & inueniri. Cæterum repugnat Hipp. inquiens cum iugulatus interit, primum ruberrimus & calidiſſimus,

deinde

deinde pituitoſior & bilioſior profluit. Iugulatorum ſanguinem ex vaſis effluere nullus neſcit. Reſpondent alij de ægris accipienda Hipp. verba eſſe, non de benè valentibus. Optima ſanè reſponſio ſi aptari verbis ita poſſit, vt menti Hipp. congruat. Qui attentè perleget verba ſenis, aliter eum ſenſiſſe ſuſpicabitur.

64. Poſſem Galeni verbis reſpondere, falſum eſſe Hipp. cum in ſanorum vaſis perpetuò quatuor illos humores inueniri ſcripſit. Negat enim apertè in lib. Quos, quando, quibus purgare oportet, ac 2. Aphor. 36. & 37. Quibus locis ideò grauiter affici affirmat ſanos à purgantibus pharmacis, quia carnes & ſanguinē liquent, vt ſuccū trahendum inueniant. Id ſi eſt verum, non inſunt actu in vaſis aut carnibus.

65. Quod in vaſis eorum, qui integra fruuntur ſanitate, purum ſanguinem contineri Galen. ait, probo. Rationem, quam affert, cur à purgantibus iidem adeò malè afficiantur, falſam eſſe certiſsimè ſcio. Qui enim ex liquefacto & corrupto ſanguine prodiret bilis, cum ex bile genitus prius non fuerit? Qui etiam carnes & ſanguis in bilem colliquati ſoluerentur, cum eiuſmodi miſtum nullum in id diſſolui queat, ex quo proximè ortum eſt? Generatio, vt ſupra ex Ariſtot. dixi, non datur reciproca in talibus, nec magis ex poſteriore fit prius, quàm ex viro fit puer.

66. Quid igitur dicemus? quid aliud rectè dici poſſit, equidem non video, quàm aut falſum hic eſſe Hipp. aut de ægris accipienda eſſe quæ in eo libro ſcripſit. Veriſimilem reddit coniecturam noſtram, quod nullus validiſsima illa pharmaca, quibus ætate illa purgabantur homines, optimè ſano propinauiſſe videtur. Nec mirum videri poteſt in arte noſtra exercitato, quòd in iugulatis tandem excrementa quoque ſanguinis in vaſa penetrant, & per vulnus cum ſanguine promanant. Vtrum autem purgantia trahendo, an pellendo, vel aliud agendo vacuent, de eo alibi diſputatum à nobis fuit.

67. Ad ſextum eodem ferè modo reſpondemus, aut non benè ſenſiſſe Hippocratem in hac etiam parte, aut aliud eum oppugnare, quàm pleriq; exiſtimant. Quod enim rectè valentes ex ſanguine ſolo facti ſint, eoq; ſolo nutriantur, id ita probauimus, vt vlteriore probatione non ſit opus. Contra euidentem rationem Hippocrati abſque argumentis loquenti adhærere non poſſum. Quæ contra veteres illos addu-

cit nobis non officiunt, qui talibus argumentis nunq̃ vel dormientes pugnauimus.

68. Si de antiquorum ſententia ex Hippocratis verbis ſtatuendum eſt, videntur illi (de Medicis loquor) dixiſſe hominem ſanguinem ſolùm eſſe quatenus videlicet ſanus eſt ac æger, viuit ac moritur. Nam cauſam deceptionis eorum exponens, ſingulos id hominem vocauiſſe ait ex cuius vacuatione interijſſe aliquẽ conſpexerant. Quare de ijs qui ſanguinem eſſe ſtatuebant ſic ſcribit: ὁρέοντες ἀποσφαζομένους τοὺς ἀνθρώπους, καὶ τὸ αἷμα ῥέον ἐκ τοῦ σώματος, τοῦτο νομίζουσιν εἶναι τὴν ψυχὴν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, καὶ μαρτυρίοισι τουτέοισι πάντες χρέονται ἐν τοῖσι λόγοισι.

69. Sic ergo ratiocinati videntur. Id eſt, homo, quo præſente & naturaliter habente homo viuit & ſanus eſt, quoq́ abſente aut læſo idem moritur aut ægrotat. Sed ſanguine (exempli gratia) rectè habente, rectè habet homo: eodemq́ læſo aut effuſo, ægrotat aut moritur homo. Quare ſanguis id eſt, quod homo nominatur. At homo per Animam eſt, quod eſt. Sanguis igitur Anima eſt. Propius alijs hi ad veritatem acceſſerunt, cum ex inſpiratione diuina Moſes quoq́ affirmet, ſanguinem eſſe Animam. Leuit. 17. quis verò non videt hæc ad noſtram cauſam infirmandam nihil facere?

70. Nos enim non affirmamus hominem & in homine nihil eſſe præter ſanguinem, neq́ vnum ſanguinem ponimus tum ſanitatis & vitæ, tum morborum & mortis cauſam (multò minus ſtatuimus ſanguinem Animam exſiſtere) ſed hominis materiam tantùm eſſe dicimus, ex qua conflatus ſit ac nutriatur, cum naturaliter habet. Sed de hac re in expoſit. huius libri Hipp. plura.

71. Ad poſtremũ dicimus, plerúq́ omnibus Medicis placuiſſe, ventriculum (de vera nutricatione loquor) ſanguine ali. Etenim ex ſemine formatus cum ſit, non alio nutriri ſucco poteſt, quàm eo, ex quo ſemen genitum fuit. At in ſemine aut ſanguine, ex quo in teſtibus concocto ſemen eſt procreatum, chyli pars nulla fuit: quod citra controuerſiã ab omnibus doctis creditur. Abſurdum etiam fuerit putare, alio ſucco internam ventriculi tunicam ali, & alio rurſus internam ſtomachi, oris, labiorum, inteſtinorum, cum omnes hæ ſint vna continua, & ob id eadẽ tunica vno igitur nutritur omnibus in locis ſucco. At in

ore,

ore,gula,inteſtinis,ſanguine alitur.Eodem igitur in ventriculo quoq; nutritur.Idem venæ,& arteriæ ſanguine plenæ per omnem ventriculi ſubſtantiam , ipſam etiam internam tunicam diſperſæ oſtendunt. Taceo quòd in ventriculo infantis quandiu is in vtero hæret,chylus ex nuper ingeſtis alimentis nullus reperitur.Idem Galenus (qui alibi frequenter contrarium aſſeruiſſe videtur) 3. de temperam. cap.2. exemplo vini aſſeruit his verbis: πάντως μὲν οὖν καὶ τοῦτον ὁμιλῆσαι χρὴ τοῖς πεπτικοῖς ὀργάνοις γαστρί τε καὶ ἥπατι καὶ φλεψὶν, ἐν οἷς πεσκατεργασθεὶς τρέφειν ἤδη δύναται τὸ σῶμα. πρὶν δὲ τῆς ἐν τούτοις μεταβολῆς ἐπιτυχεῖν, οὐχ οἷόν τ' αὐτὸν τροφὴν ζώου γένεσθαι. *Si non poteſt vinum nutrimentum fieri , priuſquam in hepate & venis ſit coctum & elaboratum , confecta res eſt de alijs omnibus cibis. Anno 1579.*

DISPVTATIO XX. RESPONDENTE *M. Michaële Schenckio Heydelbergenſi.*

De Pinguedinis in animalibus generatione & concretione.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, DOMINO *Carolo,Comiti Palatino Rheni,Duci Bauariæ,Comiti Veldentiæ & Spanhemij,&c.Academiæ Heydelbergenſis Rectori,&c.Domino ſuo Clementiſſimo.*

CVM nuper Illuſtriſsime Princeps & Magnifice Domine Rector,auditoribus meis caput quinquageſimum tertium libri Galeni,quem τέχνην ἰατρικὴν inſcripſit,exponerem, eumq; à Iohanne Argenterio,Italo,viro,præclarè quidem docto,ſed ad mordendum alios nimis promto, iniuſtè hoc nomine reprehendi animaduerterem, quaſi non ſatis conſentaneè naturæ de pinguedinis in animalibus concretione diſſeruiſſet , non debui eum aduerſus iniuſtam accuſationem non defendere.In huius rei examine verſanti non obſcurè patuit , quàm hæc diſputatio latè pateat, quamq; vtilis futura ſit accuratior eius explicatio,non ſolùm Medi-

einæ candidatis,verumetiam totius Phyſiologiæ ſtudioſis. Hac de cauſa dignam eſſe iudicaui,quæ publicè diſceptetur: cùm præſertim tempus,quo nos leges iuuentutem in ijs rebus exercere diſputando iubent,quas quouis tempore profitemur iam appropinquaret. In ſententia me cōfirmabat,quod eandem Camerinam, à Domino Laurentio Iouberto Gallo,excellenti doctrina clariſsimo medico(quem magis vt ingenium exerceret quàm quod ſeriò ita ſentiret,contra veterũ ſententiam diſputauiſſe reor)pluribus motá recordarer. Dum igitur totam hanc tractationem Theſibus complecti conor,ecce ſingulari Dei Opt.Max.prouidentia votis omnium,Rector,id eſt,ſummus Reipub.noſtræ Magiſtratus & Gubernator auſpicatò deſignaris. Quantum ex eo dignitatis bonis artibus acceſſerit,nihil attinet hîc dicere.

Quantùm ad Academiam emolumenti rediturum ſit, prudentes iam proſpiciunt,reliqui ſuo tempore cogniturí ſunt. Niſi me vehementer ſpes ac vota mea omnia fallunt,erit hic Magiſtratus non ſolùm tuæ Celſ.glorioſus,verum etiam Academiæ fructuoſus. Quare cùm & Celſ.tuæ hanc dignitatem(quid enim bonarum artium ſtudio magis ornat Principes bonos & pios?) & Academiæ ſuam felicitatem gratularer,nec alia ſe nunc ratio offerret,animum meum declarandi,haſce pagellas ſub Celſ.tuæ nomine publicare volui.Eas tu Princeps Illuſtriſs.Rectorq; Magnifice,qua es prudentia humanitateq; prǽditus,non aſpernaberis,scio: ſi non tam ad earum molem, quàm officium reſpexeris.Nam vt ſummum tibi in Academia honorem gratulentur,& vice ſtrenę annum fauſtiſsimum precentur:denique animi mei erga tuam Celſ.obſeruantiam teſtificentur, ad te veniunt. Quanquam ſi tibi res,quæ in eis continentur & explicantur, expendere libeat,non in medicina ſolùm,verumetiam in totius naturę cognitione maximum habere vſum perſpicies.Aeternum ęterni Dei Patris Filium,Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ardentibus votis precor,vt hic annus pariter & Magiſtratus tum Celſ.tuę, tum Academiæ feliciſsimè eueniat. Die 5. Ianuarij 80.

T. C. Obſeruantiſsimus
Thomas Eraſtus.

Voniam in dubium hodie vocatur,vtrum à calore,an à frigore pinguedo in animalibus concreſcat, (veteres enim à rigore condenſari ſtatuunt. Recentiores quidam à Calore cogi contendunt) nec vtilitate caret huiuſce rei explicatio, publicè diſ-

diſceptandam proponimus.

2. Pinguedinem appellamus cum Galeno rem ſeu partem illam humidam, quæ in corporibus animalium oleo longa vetuſtate condenſato ſimilis ad membranas ferè adnaſcitur. Eam licet tum Græci tum Latini varijs nominibus expreſſerint, (Græci enim πιμελὴν, λιπαρότητα, λίπος, δημὸν, πιότητα, στέαρ *vocant: Latini pinguedinem, pinguetudinem, adipem, ſeuum nuncupant) binis tamen nominibus vtrinq; ſæpius vtuntur Medici. Etenim Græci* πιμελὴν *&* στέαρ *(quorum illud pinguedinem, hoc adipem Latini interpretantur)frequentiſſimè nominant.*

3. Eſſe porrò diſcrimen inter vtrumq; præclarè nos docuerunt inter Græcos Ariſt. 3. de hiſt. animal. 17. & 2. de partibus eorundem cap. 5. & Galenus tum 3. de fac. alim. cap. 11. tum lib. de ſimpl. med. fac. 11. cap. proprio. Inter Latinos Plinius lib. 11. cap. 37. Cæterum quia nihil refert, pinguedinis ne an adipis ſeu ſeui exemplo ad præſentem diſquiſitionem vtamur, nullo diſcrimine prædictas vſurpabimus voces: cùm præſertim Galenus affirmet, Græcos Medicos vtroq; nomine indifferenter vſos fuiſſe.

4. Ad rem quod attinet (de nominibus enim ſatis dictum) quia aliud eſt pinguedinis generatio, & aliud rurſus eiuſdem concretio, diſcretè de his agendum eſt, ne, quæ diſtincta ſunt, inſcitè confundantur. Primùm igitur declarabimus cauſas modumq; generationis pinguedinis. Poſtea concretionis cauſam inueſtigabimus.

5. Materiam ex qua adeps generatur, ſanguinem eſſe, Medicis ac Philoſophis confeſſum eſt. Quæ poßit alia eſſe, quàm ea, ex qua conſtant ac nutriuntur partes vniuerſæ? De Medicis res certa eſt. Idem ſenſit Ariſtoteles, vt ex plurimis locis probatur. Etenim lib. 2. de part. animal. 5. adipem in ſanguine carentibus naſci negat. Lib. 3. de hiſt. animal. 19. tantum minui ſanguinem ait, quantum augeatur pinguedo. Eodem loco hæc legimus: γίνεται δὲ πεττομένων ἐξ ἰχώρων μὲν αἷμα, ἐξ αἵματος δὲ πιμελή. *Et cap, 16. eiuſdem libri:* εὐβοσίᾳ δὲ πλείονι χρωμένων, πιμελὴ ἀντὶ σαρκῶν γίνεται. *Huc etiam pertinet, quod 1. de gen. animal. 18. & 19. aſſeuerat, eandem ſpermatis & pinguedinis materiam. Spermatis verò materia quin ſanguis ſit, nullus dubitat.*

6. Modus generationis eſt coctio, quæ in venis obitur: in quo ſimiliter Medici cum philoſophis pulchrè conſentiunt. Iam enim ex Ariſtotele audiuimus, ex pituita coctã ſanguinem, ex ſanguine concocto pinguedinem fieri. Lib. 2. de part. animal. 5, de ea loquens, ait: αἷμα γὰρ πεπεμμένον ἐστίν. Item πεττόμενον γὰρ τὸ αἷμα, γίνεται ταῦτα, ſcilicet pinguedo & ſeuum. Et cap. 6. ἡ δὲ καθ' αὑτὸ πέψις αἵματος, στέαρ καὶ πιμελή ἐστι. Quin imò lib. 3. eiuſdem operis cap. 9. pinguedinem nominat finem probæ coctionis ſanguineæ: quod alijs verbis lib. 4. cap. 3. deinde repetit.

7. Ita verò accipienda non ſunt, quæ diximus, ac ſi totam ſanguinis maſſam in pinguedinem permutari coctione putemus. Nam id ſolùm, quod in eo eſt dulciſſimum, elaboratiſſimum, maximeq́ aërium pinguedo fit, in quo rurſus cum Medicis conſonat Ariſtoteles. Galenus cùm alibi, tum lib. 2. de temp. cap. 4. ex tali eam ſubſtantia naſci oſtendit. Idem Ariſtot. lib. 2. de part. animal. 5. his verbis affirmat: τῶν γὰρ ὑγρῶν τὸ λιπαρὸν κοινὸν ἀέρος καὶ πυρός ἐστι. Et mox: (ἡ πιμελὴ) οὐ πήγνυται οὐδὲ θρύπτεται ξηραινομένη, διὰ τὸ μὴ εἶναι γεώδη τὴν φύσιν αὐτῆς. Quod hîc argumento concretionis difficilis probat, leuitatis argumento lib. 2. de gen. animal. cap. 2, oſtendit. Pingue, inquit, nec terræ eſt, nec aquæ, ſed aëris. Hinc aquæ ſupernatat. Nam incluſus in eo aër velut in vaſe, ad ſuperficiem tollit, leuitatisq́ cauſa exſiſtit.

8. Non pugnat cum his, quod libro 2. de part. animal. 5. idem his verbis aſſerit. τὸ γὰρ στέαρ γεῶδες, καὶ αὐτὸ καὶ οἱ ζωμοὶ οἱ τοιοῦτοι. ὀλίγον γὰρ ἔχει ὕδατος, πολὺ δὲ γῆς. Rationem hanc adfert, quòd in cornigeris, quæ vtrinq́ dentata non ſunt, generetur: quorum naturam animalium ſiccam & terrenam eſſe, vel hinc manifeſtum cenſet, quòd cornua ferunt, & talos habent. Comparat hoc loco ſeuum ſeu adipem cum pinguedine priuatim dicta: paulò prius generatim de vtraq́ pinguedine loquens dixerat, pingue humidum omne plus in ſe aëris & ignis habere.

9. Si, quomodo vlteriore ſanguinis coctione pinguedo generetur in venis, clarius aliquanto intelligere cupis, exempla tibi lactis & ſeminis proponito. Nam tria hæc ex ſanguine, velut excrementa quædam vtilia, aëriisq́ plena, generantur. Quod enim in lacte aërij calidi plus

pluſ inſit, quàm in ſanguine, hinc patet, quòd & pinguedinis eſt particeps, & tardius à frigore concreſcit, quàm ſanguis. Adipem & ſemen plurimo aëre ſeu ſpiritu participare, etiam cæci videant.

10. *Differunt nihilominus tria prædicta plurimum. Quippe lac pinguedinem quidem participat, verùm totum adipis inſtar pingue non eſt: ſemen pinguedine caret. Cauſæ diuerſitatis ſunt, tum materia, tum caloris earum partium, in quibus concoctio fit, proprietas. Lac enim ex toto ſanguine in glandulis vberum cocto & tranſmutato conſtat. Adeps ex tenuiore eius portione ad membranas gignitur. In ſemine, quod in venis ad teſtes naſcitur, plus aquæ ineſt, teſte Ariſt. 2. de gen. animal. cap. 2.*

11. *Sequitur ex dictis cauſam pinguedinis effectricem, eſſe calorem natiuum, qui concoctionis author eſt. At non quilibet calor, ſed moderatus & humidus ſanguinis partes tenuiores in pinguedinem tranſmutat. Quod itidẽ cum Galeno Ariſtoteles docet. Sic enim Galenus:* τὰ γὰρ εὐτροφοῦντα πάντα πιμελὴν καὶ στέαρ ἔχει. *Atq; εὐτροφοῦντα in primis eſſe temperata, quæq; ab his non procul abeunt, per ſe notũ eſt. Ariſt. 3. de hiſt. animal. cap. 19. hæc habet:* τὰ γὰρ πίονα καθαρὸν μὲν ἔχει, ὀλίγον δὲ τὸ αἷμα. *Clarius idem reperies 2. de part. animal. 5. vbi de pinguedine & ſeuo loquens ait:* ἔστι γὰρ ἑκάτερον αὐτῶν αἷμα πεπεμμένον δι' εὐτροφίαν, καὶ τὸ μὴ καταναλισκόμενον εἰς τὸ σαρκῶδες μόριον τῶν ζώων. εὔπεπτον γὰρ καὶ εὐτραφές.

12. *Quæ porrò natura & temperies ſit pinguedinis, facilè poteſt ex dictis colligi. Si enim aëris & ignis (præcipuè verò aëris) plus in ſe habet, quàm terræ, omninò calidam humidamq; eſſe, cum Galeno affirmabimus.* ἁπάσης μὲν οὖν, *inquit,* πιμελῆς δύναμις ἐστὶν ὑγραντική τε καὶ ξηραντικὴ τῶν αἰθεροπινῶν σωμάτων. *Ariſtoteles etiam 2. de part. animal. 9. Idem lib. 4. cap. 3. & aliàs ſæpè calidam eſſe pinguedinem, atq;* ἐμπύρευμα *retinere ſcribit.*

13. *Vſum deniq; corpori præbet non contemnendum. Quippe calefaciendo concoctionem promouet: qua in re maximè excellere putant Medici ac Philoſophi omentum pinguius effectum. Galenus id paſſim affirmat. Ariſtoteles locis proximè citatis comprobat. Addit aliam vtilitatem Galenus lib. 16. de vſ. part. 2. quo in loco putat naturalem partium humiditatem per inediam, labores ſeu exercitia &*

febres promtè exſiccatum iri, ſi non à pinguedine ex venis in partes laborantes effuſa conſeruaretur.

14. De pinguedinis natura ac generationis modo, de quibus inter authores pulchrè conuenit, ſatis dictum. De eiuſdem concretione, de qua ſola hodie litigatur, dicendum reſtat. Vt hîc etiam confuſio & obſcuritas vitetur, declarare breuibus volo, quid hîc concretionem vocemus, quot modis fiat, quoq; ab exſiccatione & incraſſatione cognatis ipſi affectionibus differat.

15. Principio ſciendum eſt, concretionem & liquationem ſeu fuſionem contrarias eſſe paſſiones. Quare altero explicato, alterum pariter notum erit. Idem de alijs contrarijs πάθεσι ſtatuere oportet. Concretio itaq; (Græcè πῆξις) exſiccatio quædam eſt: Sic enim Ariſtoteles 4. Meteor: cap. 7. ait, ἡ δὲ πῆξις εἴρηται ξηρασία τίς οὖσα, Dixerat autem hoc cap. 5. præcedente his verbis: ἐπεὶ δὲ τὸ πήγνυσθαι ξηραίνεσθαι πώς ἐστι. Quia igitur exſiccatione deſcribitur concretio, prius quid exſiccatio ſit videndum. Id nos docebit conſideratio eorum, quæ ſiccari dicuntur.

16. Dicimus autem exſiccari aquam, aquæ genera (vt vinum, lotium, ſerum, & omnia abſque lentore aquea, in quibus parum, aut nihil ſubſidit) aquam denique vel natiuam vel aduentitiam habentia. Et priora duo tantùm ferè exſiccantur, vt nihil interim aliud patiantur: quod illis quoq; accidit, quæ aquam aduentitiam habent, vt lana. Quæ natiuam aquam habent, vt lac, ſimul ferè dum exſiccantur, ſpiſſeſcunt. Eſt ergo exſiccatio humiditatis abſq; alia perpeſſione abſumtio.

17. At concreſcunt ſeu coagulantur, quæ ad aquam pertinent, quæque ex aqua & terra conflata ſunt. Modus porrò ſeu ſpecies concretionis cùm vna non ſit, ſed pro diuerſitate cauſarum variet, diſpar eſt concretorum ratio. Nam aliqua propter reſolutionem humidi indurantur, aliqua caloris expreſſione abſque notabili humiditatis conſumtione conſtringuntur, quæcunque ſcilicet à valido frigore congelantur.

18. Concreſcunt autem omnia, quæ concreſcere apta ſunt, vel à frigore, vt aqua: vel à calore exſiccante, vt ſal, alumen, ſaccharũ: vel ab vtriſq;, vt fictilia. Et à frigore quidẽ duobus modis fit cõcretio, videli-

cet ca-

cet caloris pulſione, ſeu ſola humidi coactione, & humidi expreſſione: vt aliud ſit à frigore denſari, & aliud rurſus à frigore exſiccante compingi. Calor non aliter quàm exſiccando concretionem efficit.

19. *Hinc diſcrimen exſiccationis & concretionis eluceſcit. Quippe in omni exſiccatione humor deperditur, at in concretione, à ſimplici frigore profecta, humoris nulla notabilis reſolutio obſeruatur. Deinde concreta omnia duriora & compactiora fiunt quàm ante concretionem fuerunt: at multa exſiccantur, quæ nihil tale patiuntur. Aquæ enim & aquæ genera prorſus diſſipantur, & quæ aquam adventitiam habent, ea naturam ſuam humore illo peregrino diſſipato non mutant. Quocirca exſiccantur quidem talia, non tamen concreſcunt.*

20. *Quare ex illis quæ ſiccantur, aliqua nil aliud patiuntur, & hæc propriè dicuntur exſiccari. Quædam interim, dum ſiccantur, ſimul etiam vel ſpiſſeſcunt, vel concreta & dura efficiuntur, quæ rectius incraſſata vel concreta vocaueris quàm ſiccata. Rectè ob id Concretio dicitur exſiccatio quædam eſſe, non ſimpliciter exſiccatio. Latius enim patet exſiccatio quàm concretio.*

21. *Sed reprehendet hic nos aliquis fortaſſe, quaſi pugnantia aſſeramus: Si enim omnis concretio ſit exſiccatio, falſum eſſe, quod ſupra fuit dictum, congelata citra humoris diſſipationem concreta et dura fieri. Reſpondeo, humiditatis aquæ nihil aut minimum abſumi, ſed aërij duntaxat humidi aliquid cum calore exhalare in ijs, quæ ſic concreſcunt. Quod ex eo liquidò patet, quod cùm à calore citra humoris vllius acceſſionem iterum ſoluuntur, nec craſſior nec manifeſtè paucior inuenitur humor quàm ante concretionem fuit.*

22. *Ergo in omni concretione eſt humoris aliqua reſolutio, & ob id omnis concretio quædam eſt exſiccatio. Sed quia exſiccatio, quæ in concretione, quam frigus ſimplex efficit, contingit, vel non eſt ſenſibilis admodum, vel cum alia paſſione coniungitur: cuius cauſa nomen amittit, non definitur abſolutè ab Ariſt. exſiccatione, ſed quadam exſiccatione.*

23. *His ita declaratis, per ſe liquet, concretionē ſiue πῆξιν eſſe rei*

vel mollis vel liquidæ indurationem aut compactionem ab humidi vel manifeſta vel occulta diſsipatione profectam. Quare cum concretum omne durius ſit ſe ipſo liquido, & durum in συστοιχείᾳ poſitum ſit ſicci, lib.2. de ortu & inter. cap.2. patet, concreta omnia eatenus ſicciora etiam eſſe.

24 Concretioni ſimile inuenitur aliud πάθος, quod Græcis πάχυνσις, Latinis Incraſſatio nominatur. Dicimus autem παχύνεσθαι, hoc eſt, Incraſſari, ſeu ſpiſſeſcere liquida ex aqua & terra: aëre item & aqua vel terra conſtantia, quæcunq; vel abeunte vel permutato humido tenuiore magis coëunt, & condenſantur. Quæ ex aqua & terra coaluerunt conſumtione humidi aquei ſpiſſeſcunt. Quæ multo aëre participant, vt oleum, aëris in aquam denſatione craſſeſcunt.

25. Similes igitur ſunt ac diſsimiles affectiones concretio & incraſſatio. Conueniunt in hoc, quòd vtraq; oritur per humidi reſolutionem. Concreta ſicciora eſſe liquidis, etiam idiotis iam noſcitur. Hinc Ariſtoteles lib.4. Meteor. cap.7. de ſanguine fibris carente loquens, ait, οὐ πήγνυται, ὅτι οὐ ξηραίνεται. Sic & ſpiſsiora facta, quia eorum quantitas minor apparet, humiditatis aliquid amiſiſſe videntur. Equidem oleum aëre in aquam denſato quantitatis tantum amittit, quantum aëris in aquam mutatur.

26. Quòd differant, hinc apertè perſpicitur, quòd multa concreſcunt, nec tamen ſpiſſeſcunt, vt lac. Etenim frigore duratur, at craſſius ob id non efficitur. Sic fictilia à calore ſimul & frigore compacta & durata ſpiſsiora non fiunt. Deinde multa etiam ſunt quæ craſſeſcunt quidem, non tamen ita conſtringuntur, vt dureſcant, in quorum cenſu eſt oleum: quod à frigore pariter & calore (Modum declarat Ariſtoteles 4. Meteor. cap.7) ſpiſsius efficitur, licet neutro concreſcat.

27 Itaq; incraſſationem ſeu πάχυνσιν deſcribere poſſumus, vt per mutationem eſſe dicamus rerum partes tenuiores habentium ad craſſitudinem per humidi aquei reſolutionem aut aërij permutationem, abſq; tamen duritie: quatenus ſcilicet humidum tenue, ſiccum verò craſſum ab Ariſt. lib.2. de Ort. & Int. cap.2. dicitur.

28. At nondum video, inquies, quomodo interſtinguam duas haſce affectiones, cùm ambæ propter humidi reſolutionem contingant. Reſpondeo,

ſpondeo, duo eſſe illorum, quæ ſpiſſeſcere apta ſunt, genera, vt ex illis, quæ huc vſq; diximus perſpici poteſt. Incraſſatio eorum, quæ ex copioſiore aqua & terra conſtant, nihil ferè aliud eſt, quàm inchoata vel dimidiata concretio à calore exſiccante profecta. (Nam concretionis eius, quæ authorem habet frigus, & in qua ſenſibilis nulla ſit humidi reſolutio, alia eſt ratio) Interim non inficiari volo, in incraſſatione ſæpius excrementitium, in concretione tum hunc, tum natiuum humorem abſumi.

29. In altero genere, ſcilicet eorum, quæ multum aëris continent, multum à concretione differt incraſſatio. Hæc enim ſpiſſeſcere tantùm poſſunt, concreſcere non poſſunt, propterea quòd humore ſuo ſpoliari nequeunt. Interim ſcire oportet, omnes ferè authores, tum hîc tum in prius dicta ſpecie nominibus promiſcuè vti; alterumq; pro altero indifferenter ſæpè ponere.

30. Si cur nomina rerum diſtinctarum ſic confundantur, quæras? Ideò fieri reſpondebo, quia, quæ in prima ſpecie ſpiſſeſcunt, præſertim ſi à calore denſentur, ratione maioris & minoris exſiccationis ferè ſolum à concretione diſtinguuntur. Si enim pergas eorum humiditatem diſſipare, ex craſſis concreta, ſiue ex non duris dura efficies. Quæ in altera ſpecie continentur, ijs hoc eſt Incraſſatio, quod illis eſt Concretio. Cuius analogiæ cauſa concreſcere dicuntur, dum ſpiſſeſcunt ſolùm.

31. Quòd porrò pinguedo ad ſecundum hoc genus ſpiſſeſcentium pertineat, nullus ambigit. Etenim ex aqua cùm pauca terra & aëre plurimo compoſita eſt, vt ſupra oſtenſum fuit. Quare idem nobis in præſentia ſignificat Concretio, quod incraſſatio, (Sic liquefactio ſeu fuſio pro eo nomine ponitur, quo incraſſationi oppoſita affectio effertur) cuius in hac diſputatione obliuiſci non oportet.

32. His declaratis, cum Ariſt. Gale. veteribusq; omnibus dicimus, pinguedinem frigore concreſcere ſeu craſſeſcere in animalibus, non calore, vt ex recentioribus nonnulli diſputant. Ad demonſtrandum hoc, ponere primùm oportet, Concretionem ſeu Incraſſationem, & liquationem ſeu fuſionem verè contrarias eſſe affectiones.

33. Secundo, Contrariorum affectuum contrarias per ſe eſſe cauſas: quod Ariſtot. principium lib. 4. Meteor. cap. 6. & rurſus 7. po-

ſuit his verbis: τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων αἴτια ἐστίν.

34. Si contrarias qualitates, calorem ſcilicet ac frigus, idem πάθος in oleo producere obijcias, videlicet incraſſationem, reſpondebo, non effici vtrumque affectum per ſe ab vtraque qualitate. Cauſa propinquiſſima inſpiſſationis eſt frigiditas, quæ per ſe oleum craſſius efficit. Remotior cauſa & per accidens aliquando ipſum conſpiſſans eſt calor, quatenus inſitum eius calorem diſſoluit, vt ex 7. cap. lib. 4. Meteor. diſcere licet.

35. Tertio, Idem non eſſe cauſam contrariorum affectuum in re vna euenientium, ſecundum eandem rationem, quod itidem Ariſtoteles cap. 6. citati operis ponit hoc modo: τὸ αὐτὸ τῷ αὐτῷ κατὰ ταὐτὸ οὐκ ἔστιν αἴτιον τοῦ ἐναντίου.

36. Putet hîc fortè aliquis, contrarium in lacte aliiſq́; pluribus euenire. Lac frigore concretum, igniq́; admotum funditur: qui, ſi calefacere pergat, tandem conſumto ſero ipſum indurat. Reſpondeo, licet τὸ αὐτὸ, idem ſcilicet calor, τῷ αὐτῷ lacti nimirum, author ſit τοῦ ἐναντίου, videlicet ſolutionis & concretionis, non tamen etiam κατὰ ταὐτὸ, ſiue eadem ratione vtrumq́; affectum induci. Quippe calefaciendo duntaxat liquationem facit, at concretionem humidi abſumtione inuehit. Quis verò non videt, aliud eſſe calefacere, & aliud calefaciendo exſiccare?

37. Ergo ſiue modum diuerſum eſſe dicamus, ſiue calorem eundem non eſſe, qui vtrumq́; affectum pariat (diſtingui enim calor ſimplex ab exſiccante calore poteſt) affirmemus, certum eſt, non debilitari pro poſitionem illam. Dici enim poſſet, liquationem à calore profectam non eſſe verè contrariam concretioni, quæ propter diſsipationem humidi rebus accidit, ſed eam quæ humidi repoſitione contingit. Quiduis horum affirmetur, verum ſemper manebit pronuntiatum ab Ariſtotele poſitum.

39. His poſitis, ita propoſitũ demonſtro. Cõtraria efficiuntur à contrarijs cauſis. Concretio & liquatio ſunt παθήματα contraria. Quare non ab vna cauſa per ſe efficiuntur, ſed à contrarijs. At pinguedo calore per ſe liqueſcit. Ergo frigore per ſe compingitur. Si calore conſtringi etiam ponatur, per accidens id euenire neceſſarium eſt, quatenus videlicet calor frigus inuehat.

39. *Secundo, caliditas per ſe non efficit in vna eademq́ re contrarias affectiones. At concretio & liquatio contrariæ ſunt pinguedinis affectiones. Quare à caliditate ambæ per ſe nunquam in ea producuntur. Conſtat autem à calore eam liqueſieri. A frigore igitur eandem prius concretam fuiſſe neceſſarium eſt.*

40. *Tertio, Ariſt. ſimili (aut potius eodē) argumento demonſtrat, ad aquam pertinentia ab igne non concreſcere, quia ab eo ſoluantur,* οὐ πήγνυται, *inquit*, ὑπὸ πυρὸς, λύεται γὰρ ὑπὸ πυρός. τὸ δ᾽ αὐτὸ τῷ αὐτῷ κατὰ ταὐτὸ οὐκ ἔστιν αἴτιον τῶν ἐναντίων. *Ratiocinatio talis eſt: Quæ ignis ſoluit aut fundit, ea non compingit aut indurat. Sed aquea ſoluit. Ergo non cogit. Si pro aqueis ponas pinguedinem, eadem neceſſitate concludes, eam à calore non fuiſſe concretam.*

41. *Quarto, quod abitu caloris concreſcit, & ingreſſu eiuſdem liqueſcit, id frigore conſtringitur, condenſatúrue: vt Ariſt. ibidem ratiocinatur:* ὅτι τῷ ἀπιέναι τὸ θερμὸν πήγνυται, ὥστε δῆλον, ὅτι τῷ εἰσιέναι λυθύσεται. ὥστε ποιοῦντος τοῦ ψυχροῦ πήγνυται. *Certum porrò eſt, pinguedinem abitione ſeu remotione caloris concreſcere, & eiuſdem acceſſu iterum fundi. Quocirca operatione frigoris denſari eam neceſſum eſt.*

42. *Quintò intelligitur idem ex modo, quo Concretio & fuſio fiūt. Omnis enim Concretio vel Calorem habet authorem vel frigus vel vtrumq́. Et frigus quidem dupliciter compingit liquida, vt in theſi 18. dictum eſt, frigefaciendo tantùm, & frigefaciendo pariter & ſiccando. Calor autem vno duntaxat modo (vt qui abſq́ exſiccatione rem nullam coagulet) indurat. Soluuntur autem quæ ſolui poſſunt. (Non enim nulla reperiuntur, quæ ſolui non poſſunt amplius) vel humoris perfuſione, vel ſimplicis Caloris acceſſione. Nam exſiccans Calor, quatenus ſiccat, cogit, non fundit. Cæterum humoris permiſtione liquantur, quæ eiuſdem reſolutione concreuerunt. Calore autem diffluunt, quæ frigore citra humoris priuationem denſata ſunt.*

43. *Sequitur hinc, pinguedinem Calore non concreuiſſe: quippe per reſolutionem humidi coiiſſet. Quare eiuſdem repoſitione iterum liqueſceret. At non liqueſcit humore ſed calore. Nam in Calida ſoluitur non ratione humiditatis ſed Caliditatis. Funditur enim à calore*

ſine humore, at non funditur ab humore abſq; calore. Quocirca non concreuit propter humoris diſsipationem. A frigore igitur ſimplici, non exſiccante coaluit, cùm ſimplici calore diffluat.

44. *Sexta & poſtrema ratio hæc eſto: Ex quibus rebus calor vaporem elicere non poteſt, eæ actione caloris ex liquidis coactæ nunquam fient, ſi omnis à calore profecta concretio ab humidi in vaporem conuerſi reſolutione oritur. At certum eſt, aëria & pinguia: qualia ſunt oleum et adeps, (qui oleo paulò minus tum pinguis eſt tum aërius) in vaporem diſſolui à calore non poſſe. Quid ergo reſtat aliud, quàm vt frigore coactum eſſe dicamus? Quin liquefactus concreſcat, cùm ab eo calor remouetur, nulli dubitant.*

45. *Quî igitur inquiet aliquis, oleum & pinguedo ab igne tandem conſumuntur, ſi in vaporem verti non poſſunt? Reſpondeo, non quicquid ab igne abſumitur, in vaporem verti. Vt enim ligna taceam, an non maſtiche, thus, myrrha & ſimilia, ab igne, licet vaporem nullum emittant, abſumuntur? Aliud omnino eſt in fumum verti, & aliud rurſus in vaporem diſſolui.*

46. *Ex prædictis omnibus liquidò patet, pinguedinem, quæ caloris præſentia funditur, eiuſdemq; abſentia iterum coit, à frigore in animalibus concreſcere: ſemperq; verum manere axioma Ariſtotelicum. A frigore concretionem illa obtinuiſſe, quæcunq; calor fundit ac ſoluit: quatenus ſcilicet Concretum aliquod ſoluit. Nam quod alio modo ſoluere quædam, & alio rurſus eadem coagulare idem calor poſsit, nuper dictum eſt thesi 36.*

47. *Etſi verò quæ huc vſq; diximus, veriſsima ſunt, & refelli nullis veris rationibus poſſunt, tamen inuenti ſunt viri præclarè docti, qui, neſcio quo conſilio ducti, aut quo affectu moti (quiduis potiùs eos impuliſſe arbitrer quàm inſcitia inductos credam) contra ſentire ac diſputare ſunt auſi: quorum rationes, ne quid ambiguitatis relinquatur, ordine recenſere & examinare decreui.*

48. *Quod ex materia, inquiunt, calida fit, & à calore eandem magis concoquente, quodq; poſtquam generatum eſt, calefacit, à calore omnino generatum eſt. Sed pinguedo ex tenuiſsima & calidiſsima ſanguinis parte (ex qua bilis flaua, ſemen & lac itidem fiunt) naſcitur per vlteriorem eius coctionem (quod ex Ariſtotele & Galeno ſatis*

tù ſuperâ, ſupra nos quoq; probauimus.) Pinguedo igitur à caliditate conſiſtentiam ſuam accipit.

49. *Secundò: In cuiuslibet rei naturalis generatione conatur ſibi efficiens aſſimilare effectum quantum poteſt. At pinguedinis effector eſt Calor concoquens: quare calida eſt. Sed Calidum à frigido per ſe non fit. Quocirca non à frigore, ſed à Calore producitur.*

50. *Tertiò, Certum eſt à frigore nil niſi cruditatem prouenire. Sed pinguedo tunc ſolùm naſcitur, cùm concoctio optima eſt. Etenim perfectæ coctionis ſanguineæ finis eſt adipis & pinguedinis generatio (quod etiam nobis in ſuperioribus demonſtratũ fuit.) Idcircò pinguedo Caloris ſoboles eſt non frigoris.*

51. *Quartò, ſi à frigiditate proueniret ortus pinguedinis, ad partes frigidiſſimas et ſicciſſimas (vt oſſa, meningas cerebri, neruos, ventriculum, veſicam, &c,) plurima naſceretur. At contra venit. His enim nulla vel pauca adnaſcitur. Calidiſſimis autem locis & partibus (vt omento, epigaſtrio, renibus, iecori, cordi, &c.) plurima perpetuò affunditur. Ex quo clarè cernitur, non frigus, ſed Calorem in animalibus eam efficere.*

52. *Quintò, huc pertinet, quod doctiſſimis viſum eſt medicis, adipem animatum eſſe, quod & Gal. lib. art. med. cap. 9. affirmauit. A qua ſententia ne Ariſt. quidem abhorruiſſe videtur, dum inter partes ſimilares corporis eundem numerat. Iam animata, vtpote calida, quis à frigore congelari concedat?*

53. *Sexto, tanta in viuente frigiditas nõ reperitur, quæ materiam calidam congelare poſſit. Quippe oſſa, quibus frigidius in nobis nihil ineſt, tepida ſunt, non frigida Calore ex corde in totum corpus effuſo omnia calefaciente. Quî ergo concreſcere à frigore pinguedo poſſit?*

54. *Septimò, Ariſtoteles 4. de part. animal. 3. apertè affirmat, pinguedinem Omenti à Calore concoquente propter eius membranæ denſitatem gigni. Quod & veteribus nonnullis placuiſſe perſpicitur ex illis, quæ Gal. 2, de ſimpl. med. facult. cap. 20. diſputat.*

55. *Vt leuibus hiſce ratiunculis nobis facilius perſuadeant, axioma illud Phyſicum (quo ſtante, ſuam opinionem cadere oportere, facilè vident.) Quæ Calore ſoluuntur, frigore concreuerunt, variè conantur eludere. Multa, inquiunt, ſoluit Calor, quæ frigus*

minimè coagulauit. Non enim quæ concreuerunt, à frigore omnia compacta induratáue ſunt. Etenim metalla à calore ſubterraneo moderato coacta, à vehementiore iterum funduntur. Butyrum quoq; non niſi Calore, qui ab agitatione oritur, concreſcit, quod tamen à maiore Caliditate mox iterum liquatur.

56. Hæc cùm euadere ſe non poſſe animaduertunt. Axioma vt verum ſe recipere aiunt, ſi de ſolis illis ponatur dictum, quæ vel natura vel arte fuſa fuerunt, ac deinde fluere deſierunt. Pinguedinem autem ante primam concretionẽ negant liquidam ſeu fuſam fuiſſe. Quippe materiam eius proximam, ex qua per coctionem concreta ſeu conſtipata adipem generatũ opinantur, tenuem & oleoſum vaporem extitiſſe contendunt, liquorem fuiſſe non concedunt.

57. Tertium effugium eſt, non inficiari ſe, quin adeps à frigore concretus dici poßit, ſi per frigus intelligamus minorẽ calorem. Quippe contrarium eſſe Calorem feruentem, à quo pinguedo liquatur, calori temperato, à quo eadem per coctionem generatur. At hoc Sophiſticum eſſe, & omnino impropriè calorem temperatum comparatione ignei frigus appellari aiunt. Debere nos probare, pinguedinem à natiuo Calore ſecundùm naturam affecto ſolutam aliquando fuiſſe, ſi apertè ac ſincerè agere velimus.

58. Sed facilis eſt ad hæc omnia reſponſio. Prima duo argumenta probant, pinguedinem calidam eſſe, & à calore per ſanguinis coctionem generari: quæ vera eſſe ſcimus. Non hoc quærimus, à quo generetur pinguedo, ſed à quo coaguletur? Generatio ad ſubſtantiam pertinet, Concretio eſt accidens ſeu πάθος naturale: quod adeſſe & abeſſe poteſt. Etenim pinguedo non deſinit eſſe, quod eſt, ſiue liquida ſit, ſiue concreta.

59. Si generationem pro concretione poſitam reſpondeas, malè id factum dicam. Quippe generatio ad ſubſtantiam pertinet, concretio ad accidens. Et quæ in argumentis proponuntur, nihil de accidente probant, ſed ſubſtantiam pinguedinis ex ſanguine per coctionẽ tranſmutato gigni oſtendunt. Quare nullo pacto ex eis ſequitur, quod infertur, pinguedinem à calore conſiſtentiam ſuam acquirere.

60. Ad tertiũ reſpondeo, frigiditatem per ſe nullam generare ſubſtantiam: & ob id nec pinguedinis effectricem cauſam eſſe aio. Ariſtote-

ſtoteles etiam 4. Meteor. rectè affirmauit, frigiditatem corrumpere, non autem generare: niſi per accidens calorem aliquando augeat aut confirmet. Quare ſi de pinguedinis generatione quæratur, à frigore eam non generari vltrò fatemur: ſi de Concretione eiuſdem agatur, negamus eam huius affectionis cauſam non eſſe. Cruditas non concretioni, ſed coctioni & generationi opponitur. Quare nihil hoc argumento probatur aliud, quàm à frigore tanquã principali cauſa vel inſtrumento non perfici vllius rei generationem.

61. *Ad quartum dico, non adnaſci eam Cerebri membranis, oſſibus & alijs quibuſdam frigidis partibus propter duas cauſas. Quippe vel ſunt frigidiores, quàm vt in vaſis contentum ſanguinem in adipem coquendo tranſmutare poſſint, vel tam paruas & raras habent venas, vt non plus capiant ſanguinis quàm pro nutritione eis eſt opus. Itaq; eum abſumunt ſubinde, priuſquam in adipem vertatur. Equidem tempore opus eſt, ſicut ad lactis & ſeminis, ita etiam ad adipis generationem.*

62. *In illis ergo ſolùm partibus plerunq; generatur, in quibus propter vaſorum copiam aut capacitatem ſanguis abundat, & calor ad eſt ſatis validus, & membranæ inueniuntur, quæ ex venis elapſum pinguedinem excipiant, frigiditateq; ſua denſent. Quare ad generationem & conſiſtentiam pinguedinis non locus tantùm aptus requiritur, ſed concurrere oportet alia plura, ſcilicet, cauſam effectricem conuenientem, materiæ copiam, & tempus, quod coctioni ſanguinis ſufficiat.*

63. *Si enim Calor imbecillior ſit, materiam non ſatis concoquet, ſi nimium ſit acris, eandem depaſcetur. Idem eueniet, ſi non plus ad locum ſanguinis confluxerit, quàm pro nutritione ſui opus habet. Tunc enim breuiore ibi tempore ſanguis hærebit, quàm vt in adipem conuerti poſſit. Quare non vna cauſa eſt, cur in frigidioribus locis & corporibus pinguedo non conſiſtat.*

64. *Ergo neq; valdè frigidis adnaſcitur partibus, neq; valdè calidis: præſertim verò, ſi membranis denſioribus careant. Verè igitur Galen. circa finẽ lib. 1. de temp. ſcripſit, neq; ad hepar, neq; ad arterias & venas, neq; ad cor, neq; ad vllam aliam præcalidam partem coire adipem poſſe. Verba eius hæc ſunt:* ἐλαίῳ γὰρ ἔοικε παχεῖ καὶ διὰ τοῦ-

το πήγνυται ψυχροῖς καὶ ἀναίμοις ὁμιλοῦσα μορίοις. οὔτε δὲ ἥπατι περιπήγνυσθαι πιμελὴν, οὔτε ἀρτηρίαις καὶ φλεψὶν, οὔτε καρδίᾳ δυνατὸν, ἀλλὰ οὐδὲ ἄλλῳ τινὶ θερμῷ πάνυ μορίῳ. διότι δὲ πέπηγε πάνυ ψυχρῷ, διὰ τοῦτο χεῖται θερμαινομένη τοῖς ἄλλοις ὁμοίως πεπηγόσιν.

65. *Multa te hîc obiecturum video, quæ tamen noſtram (aut Galeni potius) ſententiam minimè infirmant. Primùm inquies, negat, circa venas concreſcere, cùm Veſalius oſtendat maximè ad latera vaſorum, quæ in omento ſunt, coire, partibus intermedijs nullam inueniri. At Gal. intelligit venas maiores & calidiores, quod præclarè oſtendit verbis illis,* οὐδὲ ἄλλῳ τινὶ θερμῷ πάνυ μορίῳ.

66. *Sed hepati tamen, excipies, adnaſcitur, quod Galenus* ἀδύνατον *putat. Nam Ariſtot. lib. 3. de animal. hiſt. cap. 7. hæc habet,* τῶν δὲ σπλάγχνων τὸ ἧπαρ ἐν ἐνίοις τῶν ζώων γίνεται πιμελῶδες, οἷον τῶν ἰχθύων ἐν τοῖς σελάχεσι. τήκουσι γὰρ ἔλαιον ἀπ' αὐτῶν, ὃ γίνεται πηκομένον. *Satis habeo hîc reſpondiſſe, Galenum de calidioribus animalibus, imò de homine loqui, non de piſcibus. Quis neget piſcium aliquorum hepar æquè frigidum eſſe, atq; in nobis ſunt membranæ? Ariſtot. quoq; in raris hoc animalibus contingere indicat, dum ait,* ἐν ἐνίοις τῶν ζώων *euenire.*

67. *Quanquam videtur Ariſt. nominare hepar* πιμελῶδες, *quod ſubſtantiam habet oleoſam ſeu pinguem, licet concretus in eo adeps nullus exſiſtat: quomodo nuces vel amygdala dicimus pinguia, ex quibus multum olei exprimere poſſumus. Etenim ſi pinguedo concreta in eo conſiſtens cerni poſſet nihil opus fuiſſet probatione hac, oleum ex eo eliquato fieri. Confirmat, quod dico, quod eodem loco cerebrum in pinguioribus pingue exſiſtere ait:* οἱ δὲ ἐγκέφαλοι τῶν μὲν πιμελωδῶν λιπαροὶ, οἷον ὑὸς, τῶν δὲ στεατωδῶν αὐχμηροί. *Certum eſt, cerebro nulli pinguedinem concretam adnaſci, vt membranis adnaſcitur.*

68. *At cordi adnaſcitur etiam in homine. Reſpondeo, non neſciuiſſe Galenum, quod circa baſim cordis inſtar coronæ ſolita ſit naſci aliqua pinguedo. Sed hæc & pauca eſt & dura, nec temerè circumſcriptionem ſuam egredi cernitur. Non enim poteſt frequenter alibi propter viſceris caliditatẽ conſiſtere. Quòd cor ad baſim & propter temperamen-*

peramen-

peramentum eius partis & alias cauſas minus ferueat, controuerſiam non habet apud peritos.

69. Confirmat ſententiam, quod magis in vetulis animalibus nempe frigidioribus, quàm in iunioribus pinguedo cum alibi tum in corde conſiſtit. Hinc Ariſt. non malè ſcripſit, ἔστι δὲ ἀγονώτερα τὰ πιμελώδη καὶ ἄῤῥενα καὶ θήλεα. πιαίνεται δὲ πάντα πρεσβύτερα μᾶλλον, ἢ νεώτερα ὄντα. *Huius cauſa euentus alia non eſt, quàm feruoris remiſſio. Vnde etiam accidit, vt Ariſt. teſte ſemper Ren dexter ſit* ἀπιμελώτερος *ſiniſtro: nempe quia hic illo eſt tepidior.*

70. De Renibus non eſt opus multa addere, quos propter continuum ſeri tranſitum tepidiores eſſe notum eſt. Nec contrarium probat calculorum in eis generatio. Nam in veſica parte longe frigidiore concreſcunt multò tum maiores tum ſolidiores: circa quam in obeſioribus animalibus pinguedo nonnunquam concreuiſſe perſpicitur. Plus facit ad calculorum generationem temporis longi mora, quàm caloris acrimonia.

71. Ad quintum reſpondeo, ſiue ab anima regi adeps ponatur, ſiue inanimatus putetur, non ob id non poſſe frigore denſari. An non enim oſſa, pili, vngues, frigido indurantur? Nempe Ariſtot. lib. 2. de gen. animal. cap. 7. palàm affirmat. Quo in loco etiam carnem frigore concretam ſcribit, quod calore liquetur. Conſentit Galenus libro 7. Therap. Meth. cap. 6. ſic ſcribens. ἑτέρα γὰρ ἐστὶν ἡ ξηρότης τῶν ἐκ τῆς ὑγροπαχοῦς οὐσίας συνεστώτων, ὁποῖον ἐστὶ πιμελὴ καὶ σὰρξ ἐκπεπηγότων. *Aperte hic cum Ariſt. adipem & carnem ſubſtantias vocat humidas frigore concretas.*

72. Sextum tantundem probat, non opus enim eſt eadem frigiditate, ad rei cuiuslibet concretionem, vt plumbi, ceræ, pinguedinis. Quippe frigus, quod plumbum ſiſtit ac indurat, non tantum ceram & pinguedinem liquefaciet, ſed & cutem atq; carnes noſtras ignis inſtar vret. Cum frigore concreta dicimus, quæ calore funduntur, intelligimus minore calore coacta fuiſſe: ſicut partes corporis noſtri inter ſe comparantes alias calidas, alias verò frigidas affirmamus. Vt enim multi ſunt frigore denſatorum gradus, inter quos ſummum obtinet locum glacies, ita multi ſunt etiam frigoris gradus. Etſi ergo tanta non inſit in viuente frigiditas, quæ materiam calidam inſtar glaciei du-

ram reddat, tanta tamẽ eſt, quæ liquidã & diffluentẽ conſiſtere cogat.

73. His aſſentitur Auicenna, qui lib. 4. Canonis. Fen. 4. tract. 4. c. 1. neruos ex humiditate coagulatos frigore aſſerit. Sed notiora intueamur. Annon cutis etiam ab aëre frigido exaſperatur? Experientia oſtendit partes aliquas per morbos frigidos vehementer velut riguiſſe, caloreq́ mox iterum laxiores effectas fuiſſe. Non quicquid in nobis frigore denſatur, à frigore anima ſpoliari oportet.

74. Si Ariſt. 4. de part. animal. 3. (vt ad poſtremum reſpondeam) voluiſſet adipem coctione concreſcere ac figi, non ſolum falſum dixiſſet, verumetiam toti naturæ, totiq́ doctrinæ ſuæ contrarium tradidiſſet. Hoc voluit, pinguedinem in Omento propter egregiam coctionem, quæ in illius vaſis obitur, generari, eamq́, cum ex venis excidit, inq́ omentum denſum incidit, propter eiuſdem teporem concreſcere. Denſitas ne penetret, ſed ibi manens figatur, efficit: ſtabilitatem ei neque hæc neque calor adfert.

75. Sed quid verbis opus eſt? Ariſt. loco iam citato clarè docet, Carnem, (quam præcipuam animalis, quo ad animal eſt, partem cenſet, li. 2. de part. animal. 8.) frigore cõcreſcere. διὰ μὲν οὖν τῶν φλεβῶν, καὶ τῶν ἐν ἑκάστοις πόρων διαπιδῦσα ἡ τροφὴ καθάπερ ἐν τοῖς ὠμοῖς κεραμίοις τὸ ὕδωρ, γίνονται σάρκες (ἢ τὸ ταύταις ἀνάλογον) ὑπὸ τοῦ ψυχροῦ συνιστάμεναι. διὸ καὶ λύονται ὑπὸ τοῦ πυρός. *An qui carnes, quatenus calore liquantur, (Non enim totæ liquantur) frigore concretas ex profeſſo docet idemq́ à ſe in alijs, lib. ſcilicet Meteor. 4. oſtenſum aſſerit, pinguedinem calore compingi aliquando ſcripſiſſe putabitur?*

76. Vt ſummatim dicam, certum eſt, Ariſt. nuſquam & nunquam docuiſſe, quod cum Axiomate hoc phyſico. Quicquid à calore funditur, à frigore ſeu abſentia caloris firmatum & coagulatum fuit, pugnaret, ipſumq́ euerteret. Quare incaſſum laborant, qui ex proprijs eius libris teſtimonia conquirunt, quibus aliter eum ſenſiſſe probent. Sententiam Ariſt. hac in parte omnes omnium ſeculorum eruditi, qui poſt ipſum vixerunt conſtanter probarunt: nec de veritate prædicti Axiomatis vlli veterum dubitauiſſe leguntur.

77. Qui illud ipſum pronunciatum non contrarijs teſtimonijs, ſed rationibus conatur falſum probare, hunc oportet pariter reliqua duo

ſimul

ſimul falſa demonſtrare, videlicet contrariarum affectionum contrarias per ſe cauſas eſſe, & idem eidem eadem ratione non eſſe cauſam contrariorum. His enim ſtantibus, ſtabit & illud: Quare ſtabit etiam, quod dicimus, pinguedinem frigori ſuam concretionẽ acceptam ferre, niſi quis concretionem & fuſionem contrarias paſsiones, negare velit.

78. *Ad primum igitur effugium dico, eos principium petere, dum à calore ſolui aiunt, quæ à frigore concreta non fuerint. Certum quidem eſt, non omnia concreta frigoris vi concreta fuiſſe. At quæ talia ſunt, Calore ſolui non dicimus. Equidem calor non qualibet, aut quouis modo concreta fundit, ſed ea duntaxat liquefacit, quæ frigus conſtrinxit. Sunt concreta, quæ neq; calore, neq; humore, neq; alio modo liquida fieri poſſunt.*

79. *Sales ab exſiccante calore indurari, non à frigore, concedimus. Liquantur ob id non à calore, ſed ab humore. At metalla calore coagulari, nemo vnquam vera demonſtrabit ratione. Butyrum quoq; calore ex motu baculi orto nec generatur nec denſatur, ſed à permiſto ſero exactius per eum modum ſecernitur. Quare falſum eſt prorſus, quod dicitur, quædam à calore moderato concretionem accipere, & à vehementiore deinde iterum fundi aut liquari.*

80. *Quin imò res contra habet: Quæcunq; calor moderatus indurat; eadem vehementior calor magis conſtringit, ac duriora efficit: niſi fortè dicere velis, debilem calorem forti magis exſiccare. Equidem controuerſia omni hoc caret, calorem concretionem nõ aliter efficere quàm humidi, quod in re qualibet ineſt, reſolutione, vt in 18. theſi diximus. Quare ſi potentius humorem diſsipat calor fortior debili, neceſſarium eſt, vt quantò vehementior eſt calor, tantò validius induret.*

81. *At calor temperatus, obijcies, ſanitatis & congruentium actionum cauſa eſt, idemq; auctior factus morbi, & offenſarum operationum, contrariarum ſcilicet affectionum & actionum author exſiſtit. Eadem eſt ratio rerum aliarum plurimarũ: imò fermè omnium. Vt ergo non rectè concluditur, temperatus calor ſanitatem efficit, ergo amplior calor magis ſanat: ita nõ rectè videris ratiotinari tu, cũ ais, temperatus ſeu modicus calor coagulat, ergo vehementior calor magis indurat.*

82. *Reſpondeo, longiſſimè aliam eſſe rationem qualitatum à certa forma definitarum, & ad edendum actionem certam deſtinatarum, quàm tactilium, & primarum qualitatum. Illæ in certæ miſtionis mediocritate conſiſtunt, & præſcriptos à forma terminos habent, extra quos non amplius ſunt & poſſunt, quod erant ac poterant. Hæ per ſe, quemadmodum ipſa etiam materia (Ariſt. tum hanc tum illas ἀόριςα rectè vocat) interminatæ ſunt, formisq́; γενέσει priores cum exiſtant, eis abolitis non abolentur, ſicut quæ à forma certa definita ſunt, vnà cum ipſa intereunt.*

83. *Quocirca cum liquidum & durum ſeu concretum hic indefinitè conſiderentur, quatenus ab actione caloris & frigoris in humidum & ſiccum pronaſcuntur, non quatenus à forma ſubſtantiali aliqua circumſcribuntur, & huic vel illi operationi aut vſui deſtinantur, rectè procedit argumentatio, Calor modicus hanc rem per conſumtionem humidi coagulat. Ergo potentior calor, dum celerius & validius humidum abſumit, magis eandem compingit ac indurat.*

84. *Plus non valet ſecundum effugium. Cur enim verum ſit in ijs, quæ liquida aliquando fuerunt, in alijs verum non ſit? Deinde cum concretum & liquidum contrariæ ſint eiuſdem materiæ affectiones, & neceſſarium ſit, alterum ex contrarijs ſemper ineſſe, haud intelligo, quomodo miſtum, quod concreſcit, prius non fuerit liquidum ſeu concretum. Concretum eſſet, antequam concreſceret: quod eſt vnum τῶν ἀδυνάτων. Si ergo pinguedo concreuit, ex non concreta materia concreuit. Locum ergo pronuntiatum habebit in pinguedine: quod hic ſolum quærebamus.*

85. *Ex vapore, inquis, concreuit calore conſtipante, qui vapor ſeu ſpiritus liquor non erat. Supra dictum eſt, πάχυνσιν & πῆξιν in hac de pinguedine diſputatione promiſcuè poni. Quis verò aërem concreſcere & craſſeſcere non dicit, cum frigore coit? Quis etiam liquidum ſeu inconcretum eſſe negat aërem purum & tenuem? Annon aër aut vapor in aquam denſatus concreuiſſe ab omnibus dicitur? At mutatio omnis inter contraria verſatur. Ex non concreto igitur ſeu liquida concreuit.*

86. *Ne illud quidem verum eſt, pinguedinem ex ſolo ſpiritu ſeu vapore coacto procreatam eſſe. Non magis hoc oſtendi poteſt, quàm*

lac & ſemen ex ſolo ſpiritu condenſato materiam ſuam accepiſſe. Ex ſanguine tenui, oleoſo, fluido, omnes philoſophi ac Medici naſci adipem rectè tradunt. Ariſt. certè ſanguinem coctione ſimili modo in pinguedinem permutari aſſerit lib.2. de part. animal. cap.5. & lib.3. cap.9. & lib.4. cap.3. quomodo in lac & ſemen tranſmutatur.

87. *Ad tertium effugium quod attinet, iniuſtè à nobis peti reſpondeo, vt oſtendamus, pinguedinem ab eodem calore à quo concreta fuit, ex concreta liquidam effectam fuiſſe. Sic enim idem eidem ſecundum eundem modum contrarij cauſam faceremus: quod cum vniuerſa rerum natura pugnat. Ita enim idem calor ſimul eſſet frigus & calor ratione eiuſdem materiæ, atq; contraria per ſe efficeret tantum calefaciendo: quod itidem fieri nullo modo poteſt.*

88. *Nec ſophiſtam agit, qui Calorem Imbecilliorem frigus nominat, quoties contrarium efficit, vel euenire ſinit, eius quod potentior efficiebat. Liquatio & concretio ſunt Contraria πάθη. Ergo à Contrarijs cauſis efficiuntur. At certus hic & validus calor hanc rem certam calefaciendo efficit ex concreta liquidam. Hanc eandem dum Calor debilior liquidam non conſeruat, ſed concreſcere ſinit, annon Contrarium euenire ſinit? Quare Calor hic, dum id facit, quod frigoris eſt, comparatus cum calore fundente meritò frigus dicitur.*

89. *Et quod de calore iam affirmauimus, de frigore etiam eſt intelligendum. Hyeme per ſummum frigus concreta flumina ab aëre paulum tepidiore iterum ſoluuntur. Quod cum fit, nemo eſt, qui non & dicat & ſentiat glaciem à calore ſolutam. Vt hic calorem omnes vocamus, frigus minus aſperum, cuiuſq; vim ſine hypocauſti vſu non benè ferimus, ita calorem, qui fuſum plumbum indurat, frigus appellamus. Res vel vno hoc exemplo apertè ſatis declaratur.*

90. *Summa eſt, Quæcunq; caloris opera concreſcunt, humidi reſolutione coagulantur. Ergo cum plumbum liquefactum ab igne remotum, & in Solis calore poſitum concreſcit, quæro num à calore, an à frigore concretum dici debeat? Si à calore dicas, humiditatis abſumtione factum fateberis. Quod cum affirmare non liceat, frigore concretum dices. Quare calor Solis cum ignis calore collatus ratione affectionum plumbo ab vtroq; euenientium frigus vocabitur.*

91. *Quæ cum ita habeant omnia, concludimus cum Ariſt. Galen.*

Veteribusq́ omnibus contra Recentiores, pinguedinem à calore quidem moderato in corporibus humidioribus generari, at in tepidioribus locis & partibus eandem extra venas elapſam denſari et concreſcere. Idem ferè diſcrimen hic eſt inter calorem generantem & frigus coagulans, quod eſt inter calorem ignis plumbum fundentem, & frigus æſtiui aëris idem ab igne remotum iterum ſiſtens & indurans.

92. Diſcrimen quod ſit caloris, qui eſt in ipſis vaſis, ab eo, qui extra eadem membranarum proprius eſt, facilè is perſpiciet, qui, quid ſanguini ex venis elapſo accidat, obſeruauit. Cum primum enim copioſior ex vaſis egreſſus in parte alia hæret (nec inſtar roris mox diffunditur) frigeſit, inq́ grumum vertitur: licet pars, in quam fortè incidit, non videatur frigidior eſſe venis. Mirum ergo non eſt, ſi adeps vaſorum calore priuatus, tepidiore membranarum calore ſtabilitatem acquirat.

93. Nemo iam non clarè videt, rectè Veteres omnes cauſam, cur pinguiora efficiantur animalia caſtrata integris, frigidiora calidioribus, fœminæ maribus, otioſa labore detentis, in frigidioribus locis viuentia ijs, quæ in calidioribus degunt, in frigiditatem retuliſſe. Acrior enim calor, ſiccus præſertim, & quæcunq́ calorem acuere poſſunt, aut materiam abſumunt, aut concretionem eius impediunt.

94. Nec probat quidquã, quod de concretione vaporis profertur, qui operculo bullienti vaſi impoſito occurrit, vel in capite vaſis deſtillatorij colligitur, & in aquam cogitur. Nam vapor eiuſmodi feruidus, cum in loco anguſtiore colligitur. (Qui libero loco continetur, ſi non tepeſcat, in aërem permutatur) vel exſpirat, vel tepeſcit, ac in aquam reſoluitur, vel vas in quo concluſus detinetur, rumpit præſertim cum alijs ſubinde accedit.

95. Qui opercula & capita vaſorum deſtillatoriorum neſcit minus calere ſeu tepidiora eſſe ipſis vaſis ignem tangentibus, iners eſt & rerum imperitus. Qui nouit non mirabitur in poſterum, ſi feruidum vaporem tepidioribus corporibus occurrentem in aquam denſari audiat. Annon plumbum mox concreſcere videmus, ac paulum ab igne ipſum liquante remotum fuerit? Non egent res omnes eodem frigoris gradu ad hoc, vt fuſæ iterum coagulentur: ſicut in theſi 71. oſtenſum fuit. 1580.

DISPVTATIO XXI.

De Conuulſione.

Conuulſio, quam Græci σπασμὸν vocant, (Reperias aliquando σπάσμα vocatam : ſed apud Gal. eſt inſolens) duo ferè apud Medicos ſignificat. Nam & pro ſymptomate motus arbitrarij, deprauati nimirum, ſumitur, & pro morbo, qui praui ſymptomatis cauſa eſt, accipitur.

2. Pro Symptomate poſuit Galenus, cum ſic ſcribit, ὁ δὲ γὰρ σπασμὸς εἰς τὴν αὐτὴν ἄγει τὰ τείνοντα, καὶ τοὺς μῦς διάθεσιν, εἰς ἣν καὶ κατὰ φύσιν ἐχόντων ὑπὸ τῆς ψυχικῆς δυνάμεως, ἤγετο. *A Philotheo, ſcitè breuiterq́; ſic definitur,* κίνησις ἀπροαίρετος ἐν προαιρετικοῖς ὀργάνοις γινομένη, *motus præter voluntatem ab inſtrumentis voluntarijs editus.*

3. Medici enim ex motibus alios naturales faciunt, alios voluntarios. Naturales nominant, qui ſine voluntatis (nomine voluntatis etiam imaginationem & appetitum animalem, ac rationis expertem efferimus) iuſſu & conſenſu fiunt. Voluntarios vocant, qui ex voluntatis præſcripto fiunt ac ceſſant, quiq́ue nobis volentibus maturari ac tardari, frequentius ac rarius exerceri poſſunt. Sunt enim motus in nobis aliqui partim naturales, partim arbitrarij : hoc eſt, qui non ſimpliciter voluntatis imperio parent.

4. Sunt porrò voluntarij motus inſtrumenta propria (Philotheus ὄργανα προαιρετικὰ *vocat) muſculi. Soli enim hi ad voluntatis nutum mouentur & quieſcunt. Nec ſine muſculis motio vlla arbitraria in nobis (in animalibus imperfectioribus, in quibus animæ facultates magis confuſæ ſunt, diuerſa eſt ratio) editur : quod poſt Galen. & Medicorum omnium teſtimonium res ipſa probat.*

5. In altero ſignificatu à Galen. atque alijs omnibus authoribus ſumitur, quoties diſpoſitionem, ſeu cauſam motus deprauati violentaq́; muſculorum contractionis, quæ per conuulſiones vſuuenit, conuulſionem nominant.

6. Etſi verò in præſentia præcipuè quærimus, quæ natura ſeu eſſentia, & quod proprium ſit conuulſionis, quatenus morbum ſignificat, ſubiectum (Philoſophi τὸ πρῶτον δεκτικὸν appellant) cogimur tamen etiam ſymptomatis ſæpè mentionem facere: & ab eo, tanquam effectu ad cauſæ inuentionem procedere.

7. Ergo ſi conuulſio eſt motus voluntarij ſymptoma (eſt enim motus deprauatus) & arbitrarij motus proprium inſtrumentum eſt muſculus, certum eſt per conuulſiones muſculos non prorſus naturaliter affectos eſſe. Non enim fieri poteſt, vt actio corporis noſtri vlla ſit læſa, dum inſtrumentum eius omnia illa poßidet, quæ ſecundum naturam eidem adeſſe debent. Hoc enim principium eſt methodi, qua ſimul cum affectu locus affectus inueſtigatur & inuenitur. τὸ μηδέποτε βλάπτεσθαι μηδεμίαν ἐνέργειαν αἰτίῳ τοῦ πεπονθέναι τὸ ποιοῦν αὐτὴν μόριον, teſte Galen. 1. de locis affectis, capite ſecundo.

8. Non tamen ob id neceſſariò ipſum muſculi corpus (quod σωματικὴν οὐσίαν, Galen. nominat) morbo affectum eſſe oportet, cum abſque hoc naturalis eius διοίκησις corrumpi poßit, dum ſcilicet re aliqua priuatur, qua ad functionem ſuam obeundam eget, vel eandem non ſic poßidet, quomodo ſecundum naturam poßidere debet. Hanc ob cauſam ſcribit Galen. lib. nuper citato cap. vltimo, actionem animalem lædi poſſe, proprio inſtrumento nihil perpeſſo. Nec pugnat ſecum, dum & hoc & illud aſſeuerat.

9. Motum porrò voluntarium, quatenus à muſculo editur actionem purè inſtrumentalem eſſe, non ſimilarem, certum eſt. Quare confiteri oportet, muſculi diſpoſitionem, quæ propinquißima & immediata eius cauſa exiſtit, ad ſtructuram muſculi pertinere, non ad temperiem. Etenim intemperies muſculorum motum arbitrarium non ante impedit, quàm ſtructuram eorum læſerit.

10. Cæterum in muſculo tres duntaxat partes reperiuntur voluntarijs motibus ſeruientes, ipſa nimirum caro, tendo, & neruus. Nam venæ nutritioni, arteriæ tum huic, tum inſiti caloris cuſtodiæ deſtinatæ ſunt. Quare videndum eſt, quid prædictæ tres partes actioni conferant: & quæ præcipuas in hac re partes obtineat.

11. Conſtat

11. *Conſtat autem non omnes muſculos tendines habere, taleſq́ſine tendine munus ſuum (commune ſcilicet omnium opus) exercere, quicunq́ videlicet in oſſa non inſeruntur. (Vide Gal. lib. 1. de motu muſculorum cap. 3.) quo fit, vt principes partes tribuere aut carni, aut neruo cogamur. Tendinis enim vſus eſt, non mouere ſimpliciter, ſed grauiorum partium motum adiuuare: quod nec aptè ſine tendine oſſibus implantari, nec tutò ſatis mouere membra tam validè potuiſſet muſculi caro.*

12. *Neruum quoq́ ſine carne partem nullam mouere teſtatur Galenus tum alibi, tum in 1. de locis affectis cap. 6. de vſu part. 12. cap. 3. De placit. Hippocratis & Platonis 1. cap. vltimo. Quin etiam libro de fœtus format. muſculos à neruis non moueri tribus argumentis probat. Quòd minutiſſimi in eos nerui inferantur. Quòd non cernantur moueri motis muſculis in viuentibus. Quòd in mortuis manibus noſtris tracti non ſic percipiantur ad ſe muſculos attrahere, quomodo hos tractos, oſſa videmus attrahere.*

13. *Poteſt idem argumento ex cap. 8. lib. 6. de placitis Hippocratis & Platonis petito ſolidiſſimè demonſtrari. Actio ſiue operatio propria partis cuiuslibet, inquit, ſequitur propriam ſubſtantiæ ſpeciem, nec pro diuerſitate locorum mutatur, ſed eadem in omnibus locis ſeruatur. Verba ſi requiris, hæc ſunt:* οὐ γὰρ δὴ παρὰ τοὺς τόπους τοῦ σώματος ὑπαλλάττεται φλεβὸς, ἢ ἀρτηρίας, ἢ νεύρου τὴν ἐνέργειαν. ἀλλ' αἵ τε κατὰ τὴν πτέρναν, αἵ τε κατὰ τὸν ἐγκέφαλον ἀρτηρίαν ἐννοήσεις, εὐθὺς αὐτῷ συνεπινοήσεις τὴν κοινὴν ἁπασῶν ἀρτηριῶν ἐνέργειαν. ὡσαύτως δὲ καὶ νεύρῳ καὶ φλεβὶ, καὶ ὀστῷ, καὶ χόνδρῳ, καὶ ὑμένι, καὶ συνδέσμῳ, καὶ πιμελῇ. κατὰ δὲ τὸ ἴδιον εἶδος ἑκάστης οὐσίας ἰδίαν ἀναγκαῖον εἶναι τὴν ἐνέργειαν. *Rectè vtrumq́ affirmat, fieri non poſſe, vt partium operationes pro diuerſitate locorum diuerſæ ſint, (Locus enim non mutat ſubſtantiam, & proinde nec operationem eius mutat) & cuiuſq́ partis actionem neceſſariò talem eſſe, qualis eſt eius ſubſtantia.* ἡ γὰρ ἐνέργεια καθ' ἕκαστον ἴδιος ἐστὶ τῇ τῆς οὐσίας ἰδέᾳ.

14. *Certum porrò manifeſtumq́ eſt, neruos intra cerebrum ſiue caluariam non contrahi in ſeipſos, vt partes aliquas moueant motu arbitrario. Quamobrẽ nec extra ipſam per muſculos diſperſiti hoc motu*

vel muſculos, vel partes alias vllas mouent. Non enim extra caluariam nouam acquirunt ſubſtantiam priore deperdita. Eadem igitur vtrobiq; potentia præditi ſunt.

15. *Si in prima eorum origine nudos eſſe, nulliſq; adhuc membranis veſtitos, & ob id aliam eorum hîc eſſe actionem, & aliam rurſus, poſtquam longius progreſſi membranaq; duplici induti ſunt, contendas, fruſtra hoc obijci reſpondebo. Primùm inficiari poſſum, eos non ſtatim ab exortu ſuo membranis muniri. Nō longius nudi ſunt, quàm à cerebri ſubſtantia membranæ diſtant. At tenuis non diſtinguitur à cerebro, ſed vbiq; ferè ipſum tangit: licet in diſſectione poſſit manibus eò vſq; diuelli, vt abſq; membranis neruorum exortus clarè conſpiciatur.*

16. *Deinde contra te facit argumentum. Quippe contractionem hanc in neruis oportet ibi initium facere, vbi ortus ſui principium capiunt. Omnis enim eorum virtus mouendi* ἐπίρρυτος *eſt, non autem* σύμφυτος*, atq; è cerebro ceu fonte emanat. Facillimè ergo contracti & extenti rumperentur hoc in loco, vbi nudi adhuc ſunt, & propter ſubſtantiæ mollitiem ad hos motus ineptiſſimi forent. Scitè igitur Gal. lib. de vſu part. 15. cap. 1. de neruis loquens hæc ſcripſit:* καὶ τὸ τῆς μαλακότητος ἀνπαράτλον ἔχει τῇ κατὰ τὴν ἔκτασιν ἐνεργείᾳ. *Si propter mollitiem non poſſunt diduci ſeu dilatari, & in ſe rurſus concidere, quî credibile ſit eos verſus originem ſuam ita in ſe coire, vt breuiores muſculos violenter adeò poſſe ſe trahant.*

17. *Tertiò conſtat, non ſolis muſculis, verumetiam alijs extra cerebrum ſiue cranium partibus, quæ contrahi extendiq; poſſunt, neruos tributos eſſe: vt ori ventriculi, inteſtinis, vtero, veſicæ, renibus, lieni, hepati, &c. At has partes, neq; contracti ipſi contrahunt, neq; laxati laxant: quod euenire tamen oporteret, ſi hæc eorum eſſet inſita virtus & operatio.*

18. *Ratio hæc, quia vel ſola falſam eſſe poſitionem de neruorum motu demonſtret, amplius vrgenda videtur. Si nerui in muſculos inſerti, quoties volumus, in ſe coëunt, & contracti muſculos abbreuiant, neceſſarium eſt, vt qui in iam dictas partes diſſeminantur, itidem ad præſcriptum voluntatis vel appetitionis moueantur & contrahantur. Quippe & exortus idem, & ſubſtantia atq; temperatio eadem eſt*

horum

horum & illorum. Quare & proprietas ſeu virtus vtrorumq; eadem fuerit. Certum porrò eſt, neruos, qui in paulò ante dictas partes diſtributi ſunt, nec laxari nec tendi nobis volentibus. Quamobrem ne illi quidem, qui in muſculos implantati ſunt, ad voluntatis imperium mouentur, ſiue tenduntur & laxantur: & proinde muſculos non ſic mouent, quomodo Medici eos à neruis moueri ponunt. Cùm enim ipſi non moueantur arbitratu noſtro, quî poterunt ſuo motu muſculos, cùm libitum nobis fuerit, mouere?

19. Quarto nihil conferunt neruis ad hoc membranæ vt motum præbeant muſculis. Etenim ipſa rei natura docet, omnem hanc vim à cerebro communicatam per internam ſubſtantiam eorum fuſam ad membra deferri. Quod Gal. lib. 7. de placit. Hippoc. & Platon. in fine cap. 3. ita aſſeuerat, vt functionem hanc neruorum ne tum quidem lædi affirmet, cùm membranis nudantur. Quæ præterea ad probandum adfert, iam attigimus.

20. Cur igitur in fine lib. 1. eiuſdē operis neruos manibus, muſculos autē vecti cōparauit? Sicut pondera, inquit, quæ manibus mouere non poſſumus, vectibus adhibitis moliri cōſueuimus, ſic corporis membra, cùm neruis mouere nō valeamus, ad ea mouenda muſculos ſumus conſecuti. Reſpondeo, nullo pacto naturæ conſentaneā eſſe hanc eius orationem. Manus enim mota mouet vectem, neruus autē immotus manens mouet muſculos, ſiue mouendi facultatem eis largitur.

21. Veriſimile profectò non eſt, corpora tam mollia, quæ in diſſectionibus vix leuiter tacta rumpuntur, in perpetuis & vehementibus motibus, violentisq; conuulſionibus non diſrumpi, ſi contractione ſua muſculos ſic moueant, quomodo manus vectem mouet.

22. Quî verò putabimus eos contractos contrahere totos muſculos maiores, ſi in totos nō diſſeminantur? Gal. in minutiſſ. fibras diuidi, et per tota muſculorū corpora diſpergi opinatur lib. 1. de mot. muſc. cap. 1. De vſu. part. 12. cap. 3. & loco proximè citato. Sed natura & mollities, & ortus eorū ſic refragantur huic diuiſioni, vt meritò impoſſibilis iudicetur. Ideo enim in ipſa eorum origine plurimos natura iunxit, quia diuiſionē inſtar venarū & arteriarū nōn patiebantur: quod ab ipſomet. Gal. lib. 1. de loc. aff. cap. 6. verè affirmatū eſt. Etenim oculi nos veritatem huius rei in accurata diſſectione tam euidenter docent, vt tergiuerſari non liceat.

23. *Quare niſi in prius citatis locis per diuiſionem intelligat neruulorum à membranis colligatorum ſeparationem, manifeſtè falſa eſt ea ſententia. Nerui enim inſtar capillorum tenuium ex medulla ſpinoſa prodeuntes (eadem ratio eſt ex cerebro ortorum, niſi in opticis alia ſit) ſeorſim ex ea oriuntur, & deinde plurimi per membranas in vnum veluti faſciculum ita ferè colligantur, ac ſi capillos multos faſciæ inuolueres. In multos etiam muſculos adeò minutuli inſeruntur, vt per totos diffindi, in quantulaſcunq; fibras diffindi imagineris, non poſſint.*

24. *Propoſitum noſtrum illud prius, hoc inſuper demonſtrat, quòd non ſemper in capita muſculorum nerui inſeruntur. Nam aliquando ad ventres, nonnunquam ad caudam accedunt: ſunt qui obliquè adeant: aliquorum acceſſus ita eſt ſinuoſus, vt ne imaginari quidem poſſis, eos hactenus in ſe coire, vt con e actiores effecti muſculos quibus inſerti ſunt, ad ſe pertrahant. Si per ſe moti & contracti, partes, ad quas perueniunt, ad ſe attraherent, nihil arbitror prohiberet, quin aliæ quoq; partes, quæcunq; neruos recipiunt: & tendi laxariq́; poſſunt, ex arbitrio mouerentur.*

25. *Certo certius igitur eſt, muſculos non ideo contrahi, contractio neq́; ſua membra mouere, quia à neruis contractis verſus originem ſuam trahantur: quod probandum hîc fuerat. Quare princeps pars muſculi fuerit caro muſculi, non autem neruus.*

26. *Nec obſtat, quod abſq; neruis muſculi non magis ad præſcriptionem voluntatis mouentur, quàm picti aut ficti muſculi. Non enim ob id principale actionis inſtrumentum eſt neruus, quia in omnem muſculum aliquis inſeritur, eoq́; vel obſtructo, vel præciſo, vel aliter vitiato, ſtatim motu priuatur. Neceſſarium vſum habere hinc probatur: inſtrumentum motus proximum eſſe non oſtenditur.*

27. *Hic porrò neruorum vſus eſt, vt & animæ imperium ad muſculos deferant, & motus principium præbeant, quod Galenus 12. de vſu part. 3. cap. affirmat, non autem vt ipſi moti muſculos ad ſe attrahant, & per eum modum membra transferant. Vt auditionis inſtrumentum proprium auris eſt, non auditorius neruus, licet abſq; hoc auris non audiat: ita de muſculo quoq; ſentiendum eſt. Sicut enim ad ſenſionem duo ſunt neceſſaria, teſte Gal. 8. de vſu partium cap. 6. & 7. de pla-*

de placitis Hippocratis & Platonis cap.6. & 8. inſtrumenti ſcilicet alteratio, & huius perceptio (quam initio 13. Metho. Galenus συναίσθησιν nominat) ita ad motum quoq; duo requiruntur, imperium voluntatis, ſeu appetitio, & muſculi contractio, in ſenſu tamen prior eſt alteratio, poſterior συναίσθησις: at in motu appetitio, ſiue animæ iuſſus præcedit muſculi contractionem.

29. *Quocirca firmum & certum hoc permanet, inſtrumentum motus arbitrarij primum & proximum eſſe muſculi carnem: ſicut vel auris auditionis, vel lingua guſtatus, primum & proximum inſtrumentum eſt: atq; ad efficientiam ſuam ſic indigere neruis, quomodo tum auris ad auditionem, tum lingua ad guſtatum eiſdem eget. Tendine opus tum ſolùm habet, cùm oſſa & grauiores partes ſunt mouendæ.*

30. *Non minus certum eſt, conuulſionem neq; diminutam, neq; extinctam ſeu ablatam eſſe actionem, ſed deprauatam. Quamobrem non propter negatam facultatem accidit: nec ocioſus eſt in conuulſione muſculus, ſed violenter contractus. Contractio igitur ſeu vitioſa muſculi figura cauſa prima & proxima eſt deprauati motus, qui conuulſio nuncupatur. Sicut enim naturalis actionis inſtrumentalis cauſa prima & immediata eſt inſtrumenti diſpoſitio naturæ congruens, ita neceſſarium eſt, vt deprauatæ proxima cauſa ſit praua eiuſdem diſpoſitio.*

31. *Huius deinde figuræ vitioſæ plures & diſcrepantes exſiſtunt cauſæ. Nam à capitis ſeu cerebri ac neruorum vulnere, compreſſione, punctione, concuſione, attritu, inflammatione, frigore oritur. Sed & ventriculi, hepatis, miſenterij, & ſepti, & aliarum partium inflammationes idem effecerunt. Luxationes quoq; vertebrarum, immodicæq; vacuationes omnes huc referri poſſunt. Præter hæc repletiones, crapulæ, ebrietates, ciborumq; corruptiones, conuulſiones accerſunt. Sed & acres, mordaces, venenatiq; humores & vapores, vndecunq; ad cerebrum tollantur, cõuulſiones creant. Sicut & dolores ventriculi, cordis, coli inteſtini. Subita item conſternatio ſeu repentinus metus: deniq; imaginatio hanc muſculorum contractionem pariunt.*

32. *Sed modò dictæ cauſæ remotæ ſunt. Propinquiores illæ exſiſtunt, quas veteres cum Hippocrat. duobus capitibus comprehende-*

derunt, repletione & vacuatione. Sunt nihilominus viri doctiſſimi, qui tertiam addidère. Etenim humor & vapor acris, aut veneuatus, inopinata conſternatio, frigus validum, neq; replendo neq; vacuando conuulſionem aſſerre videntur. Hinc eſt, quòd à talibus cauſis inuectam conuulſionem ſuperioris ætatis medici dixerunt, non habere proportionem ad materiam.

33. *Propinquiſſima cauſa iuxta medicorum ſententiam eſt neruí breuitas ſeu contractio. Si enim quæras, quomodo tum repletio tum vacuatio ſpaſmum inducant, reſpondent omnes, eodem, ab vtraq; cauſa modo ſuſcitari, quatenus ſcilicet vtraq; neruos breuiores efficiat. Per repletionem tantùm detrahi de longitudine eorum exiſtimant, quantum propter receptam humiditatem accedat latitudini. Per vacuationem eoſdem propter ſiccitatē contrahi ac decurtari aiunt. Exemplo chordarum in fidibus extentarum declarant: quæ nimium vel humectatæ vel exſiccatæ rumpuntur.*

34. *Atqui opinio hæc falſa innititur hypotheſi, nempe ob id conuelli muſculos (& per hos membra) quia præ ſiccitate aut repletione decurtati, eos ad ſe (verſus capita originemue ſuā) contrahant. Falſitatem ſumptionis validiſſimis argumentis à natura neruorum petitis, ab exortu & diſtributione eorundem collectis: ab officio deniq;, & ipſa ſenſuum euidentia ſumtis, ſolidè ſatis demonſtrauimus. Hoc fundamento ruente, corruit vnà tota ſtructura,*

35. *Neruorum munus publicum nullum eſt aliud, quàm vt inſtar carnalium deferant vim mouendi & ſentiendi à cerebro ad ſubiectas partes. Quod licet ex antedictis perſpicuum eſt, alijs tamen Galeni teſtimonijs: oſtendi poteſt. Lib. 1. de muſc. motu cap. 1. hæc legimus:* λόγον οὖν ὀχετῶν ἔχοντα τὰ νεῦρα καθάπερ ἐκ τινὸς πηγῆς τοῦ ἐγκεφάλου τοῖς μυσὶ παράγονται τὰς δυνάμεις. *Et mox:* διὰ δὲ τὸ εἶτον ὀχετὸν τὸν ἀπὸ τῆς μεγάλης ἀρχῆς, οὐ φυτὸν ἀλλ' ἤδη κρεῖττον φυτοῦ, προσλαβὼν αἴσθησίν τε καὶ κίνησιν, τὴν καθ' ὁρμὴν, οἷς τὸ ζῶον τοῦ μὴ ζώου διαφέρει. *Quandiu igitur hoc præſtant, morbo inſtrumentali non laborant. Similares morbi huic muneri impedimentum non ante afferunt, quàm inſtrumentalem diſpoſitionem corruperunt.*

36. *Etſi aūt non videtur opus eſſe pluribus teſtimonijs; duo tamen adhuc adſcribam. Vnum ex lib. de Conſt. art. Med. cap. 4. Alterū ex lib. de Frem. Pal. Rigore, &c. Prius ita habet:* φαίνεται μὲν οὖν ὁ μῦς

ἐναργῶς, ὅταν τοῦ προκειμένου δέρματος γυμνωθῇ, συναγόμενός τε καὶ ἀνασπώμενος ὡς ἐπὶ τὴν ἑαυτοῦ κεφαλήν. οὐ μὴν τό γε καθῆκον εἰς αὐτὸν νεῦρον αἰσθητήν τινα κίνησιν κινούμενον, φαίνεται, ἀλλ' ἔοικεν ὁδὸς εἶναι τοῦτο τῆς ἐξ ἐγκεφάλου κατιούσης δυνάμεως. *Poſterius his verbis expreſſum eſt cap. eius lib. 3.* ἀλλ' ἡ μὲν διὰ τῶν νεύρων τοῖς μυσὶν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ἐπιπεμπομένη δύναμις, οἷον ὄχημά τι καὶ σπέρμα τῆς κινήσεως αὐτοῖς ἐστι. *Nihil his poteſt clarius, certius, efficacius ad probandum excogitari.*

37. Quid verò tum neruos efficit breuiores cùm cerebri vitio oritur conuulſio? An tum etiã propter contractũ cerebrũ à repletione aut vacuatione nerui verſus originẽ in tantũ trahuntur, vt propter breuitatem neceſſarium ſit muſculos ab ipſis contrahi? Homo nullus credet, qui ſectionis corporum non eſt imperitus: & hanc ipſam rem examinauit. Sed de hac re ſatis.

38. Nunc inſtituti ratio poſtulat, vt neruos propter ſiccitatẽ aut inanitiones cõuulſiones ciere non poſſe eo modo, quo medici eos conuellere membra ſeu muſculos cenſent, oſtendamus. Non enim propter ſiccitatem contracti conuulſionum cauſæ fieri vllo modo poſſunt.

39. Equidẽ abſurdũ eſt putare, neruos in corporibus noſtris propter ſiccitatẽ (aut repletionẽ) ſic tendi & cõtrahi, vt violenter ad ſe muſculos ita trahãt, quomodo intentæ in fidibus aut teſtudine chordæ, propter dictas cauſas rumpuntur. Similitudo eſt diſsimilima. Non enim ſic ſunt in corporibus nerui intenti, vt in fidibus aliquando intenduntur chordæ: nec ita ſunt ſicci, vt in fidibus cordæ. Et cùm in his chordæ à maxima etiam ſiccitate non valde contrahantur, niſi vehementer intentæ ſint, quî putabimus neruos tam facilè, tamq; citò exſiccari (vel repleri) adeò, ut contractiores manifeſtè fiant?

40. Qui ſubſtantiã & temperationẽ eorũ attẽdit, nunquã dabit in corpore viuo eos hucuſq; exſiccari poſſe. Senes (decrepitos ſaltem) omnes conuelli oportet, vt quibus ætatis vitio maximè ſint reſiccati. Equidem magis exſiccat ſeniũ ſpermaticas partes, quàm pleriq; morbi tum acuti, tum diuturni arefaciant. Argumento eſt, quod ab his extenuati refici poſſunt, à ſenio conſumti reſti tui non poſſunt.

41. Cùm porrò ab aura in cerebrũ ſublata, vel à frigore, vel ab humore, aut vapore venenato, aut aliâs inimico & peregrino, vel à ve-

hementi motu, conuulſio oritur, quid tum exſiccauiſſe neruos putabimus hactenus, vt præ ſiccitate contracti muſculos contraxerint?

42. *Ratio par eſt, cùm vel puncti, vel à vaporibus mordacibus demorſi conuelluntur. Adde, ſi libet, quod ſæpè multi ſimul muſculi conuelluntur, quorum nerui neq; puncti ſunt, neq; morſi, neq; exſiccati.*

43. *Hecticos inſuper omnes conuulſos cerneremus: cuius contrarium euenit. Non enim poteſt in viuente corpore maior ariditas fingi ea, quæ per febres hecticas & μαρασμώδεις accidit. At nulli ob cauſam eam conuelluntur. Quare non ab hac cauſa & hoc modo oritur conuulſio.*

44. *Plumbea eſt excuſatio, qua ob id non conuelli quidam affirmant, quia ſiccitas paulatim introducatur: quaſi tentionis cauſa non eſſet ſiccitas, ſed ſubitò introducta ſiccitas. Coria, pili, chordæ, (quorum exemplis vtuntur) ſubitò exſiccata ſubitò quoque contrahuntur, eadem ſenſim exſiccata paulatim rurſus in ſe coëunt. Non enim ob id contrahuntur, quia vel celeriter vel tardè exſiccantur: ſed quia exſiccantur. Idem hoc de neruis verum foret, ſi propter arefactionem ſic contraherentur.*

45. *Haud melior eſt altera excuſatio, in febribus hecticis viſcus aliquod laborare ægrumq; prius mori, quàm nerui ſatis reſiccentur. Viſcus aliquod ægrotare certum eſt. Nam cor ſaltem affectum eſſe oportet. Hoc autem non impedit, ſed auget membrorum omnium exſiccationem. Deinde cùm decumbant pleranq; multos menſes & annos, totaq; cutis (abſumtis carnibus & mollioribus partibus) inſtar corij exſiccetur & induretur, quis credit neruos ac ſolidas partes alias non vehementer exſiccatas.*

46. *Tantundem proficiunt, qui ſiccitatem æqualem Hecticorum non facere conuulſiones aiunt. Falſum & abſurdum eſt prorſus, vt doleant aut non doleant partes, vtque ſanabiles magis minusque ſint, intereſt vtrum æquali an inæquali intemperie afficiantur. Vt decurtentur aut elongentur, plus facit æqualis temperies inæquali.*

47. *At coria (inquies) inæqualiter exſiccata incuruari cernimus, & poſt*

poſt æqualem omniũ partium exſiccationẽ, rurſus diſtendi ac laxari conſpicamur. Fruſtra hoc etiam dicitur: Primò, quoniam æqualiter exſiccatum corium nunquam recipit priorem longitudinem, etſi directius fiat. Secundò, quia talis ſiccitas in viuo neruo & corpore non eſt imaginabilis. Tertiò, hanc æqualem ſiccitatem neceſſariò præcederet inæqualis. Falſum enim eſt, æqualem ſemper in hectica ſiccitatem eſſe. Nam in principio, quòd magnam habet latitudinem, & longum admodum eſt, inæqualiter exſiccatos eſſe prorſus oportet.

48. Si in hoc principio nondum exſiccatos contendas, longè ſicciores eſſe reſpondebo quàm à vacuatione paucarum horarũ (vel etiam ſi ita libet, dierum) exſiccari poſſint. At vacuatio copioſior quælibet ferè, quamuis neruos exſiccare non ſit apta, intra non multas horas conuulſionem inuehere poteſt. Quo rurſus argumento & obiectioni reſpondetur, & propoſitum confirmatur.

49. Proponatur exempli gratia cholera morbus, aut per pharmacum facta purgatio. An pharmacum in ventriculo exſiſtens, natiuam neruorum, qui in cruribus (hæc enim frequentius conuelluntur in hoc morbo) ſunt, humiditatem exſugit tempore tam breui, vt conuelli eos oporteat propter ſiccitatem? Pharmaca non hos humores, ſed in venis exiſtentes attrahunt ſecundum medicorum doctrinam. Nec ad neruos accedunt pedum aut manuum, ſed in ventriculo manentia vacuant. Et cùm deſinente vacuatione ſtatim aliquando ceſſet conuulſio, quis tam citò exſuctam repoſuit humiditatem? Certè ex vſu Antimonij non paucos conuulſos ſcimus, qui mortui tamẽ non ſunt. Ratio eadem eſt Choleræ (quod hiſtoria probat adoleſcentis, cuius mentionem Gal. facit 5. Aphoriſ. 1.) & aliarũ euacuationum.

50. At non ſubſtantialem humorem euocatum (inquiet aliquis) in illis, qui celeriter conuelli cœperunt, rurſuſq; deſierunt, ſed roris inſtar per neruorum corpora diffuſum. Inutilis fuga. Roris enim vacuatio neruos non reddit contractiores eatenus, vt muſculos violenter ad ſe rapiant, ſed rariores ſolummodo facit. Ingenitam humiditatem deperdi & exſugi oportet, priuſquam ſic tendantur, præ ſiccitate, vt conuulſiones generent. Adde quod in locum eliciti roris ex venis mox allici alius poteſt.

51. Alij à ciborum & partium humidiorum colliquefactorum hu-

miditate eos rigari opinantur, ne præter modum ſicceſcant & contrahantur: ſed quantò magis colliquantur partes, in hectica præſertim tantò facilius & celerius areſieri neruos ſimul cum alijs partibus oportet. An non in febribus alijs colliquantibus conuulſiones accidunt. Cur ergo non & in his eueniunt. Quaſi verò minus poſſint per alios morbos à ciborum & quarumlibet rerum aliarum humiditate accidente humectari, quam in hectica omnium ſicciſſimo morbo.

52. Neruos propter ſiccitatem non in tantum contrahi, vt propter breuitatem conuulſiones corporibus adferant, probaui. Conſequens ergo eſt, vt, num propter repletionem huiuſque abbreuiari poſſint, diſpiciamus. Ego enim perſuaſi mihi, rectè ab Hippoc. dictum, conuulſiones à repletione & vacuatione excitari: at à neruorum repletione & ſiccitate per eum modum naſci conuulſiones, qui vulgo Medicorum probatur, nondum perſuadere mihi potui.

53. Primum videtur impoſſibile, tantulos neruos, quantuli in ſingulos muſculos ingrediuntur, ſic propter repletionem dilatari, vt manifeſtè breuiores fiant. Tam laxi enim, minimeq́; tenti, tamq́ue puſilli ad muſculos ſingulos accedunt, vt imaginationi huic locus non detur.

54. Deinde vel replentur pori duntaxat, vel tota earum ſubſtantia. Si illud affirmetur, Laxiores potius inſtar ſpongiarum, coriorum, ligamentorum, efficientur. Si hoc ponatur, non conuelli, ſed reſolui eos oportet. Etenim nec poſſibile, nec imaginabile eſt, neruos à materia, quantumuis tenuiſſima ſit abſque obſtructione dilatari, & manifeſtè breuiores eò vſque fiant, vt muſculos contractiores efficiant.

55. Quod ſi ab humore craſſo infarciri ponas, rurſus nihil effeceris. Nam craſſus non facilè in totam neruorum ſubſtantiam per anguſtos meatus ſubibit: in poris autem hærens remiſſiores, non intentiores faciet. At poſitum eſt, eos ſic repleri, vt propter diſtentionem in latum tantum longitudini decedat, quantum ad muſculi contractionem requiritur. Quis ergo adeò eſt vecors, vt tale quid neruis accidere poſſe, nulla interueniente obſtructione putet? Quis etiam opinetur, craſſum humorem tàm citò in profundum neruorum penetrare, indeq́; rurſus exire, quàm citò ſæpè conuulſiones oriuntur & deſinunt?

56. *Ergo*

56. Ergo nec à craſſo, nec à tenui humore eò vſq; repleri poſſunt nerui, vt dilatati breuiores efficiantur, quin ſimul obſtruantur. Quo facto reſolutionem contrarium conuulſioni affectum conſequi neceſſum eſt. Non rigari ſolùm ab humore oportet, ſed inferciri, vt notabiliter dilatentur. Quare cum rigationem ſolam ab humore tenui factam comitetur perpetuò reſolutio, quomodo non eadē comitetur fartum? Equidem vt lumen ſolis per raram & tenuem nubem facilius tranſit, quàm per denſam & craſſam, ita minus obſtruit humor tenuis, quàm craſſus.

57. Adde quod non in vno ſolùm nerui loco humorem contineri infarctum oportet, ſed fermè in toto. Quomodo enim in vna regione ſola contentas tantam diſtentionem efficiat?

58. Patet hinc, nulla ratione defendi poſſe, quod Auicenna cum pluribus alijs credidit, neruos per conuulſiones craſſo humore impleri, quo plurimum dilatari poſſint. In paralyſi tenui irrigari, & ob id eos laxari magis quàm intendi. Iam monui, multò magis differtos, quam rigatos neruos obſtrui & reſolui. Non diffundi craſſos humores per ſubſtantiam neruorum in conuulſionibus rectè aſſerit: at diſtendi tunc eos non rectè affirmat.

59. Si ad hunc modum conuulſiones fierent, non dubitarem affirmare, eos à tenuibus potius, quàm à craſſis perfici. Etenim experientia teſtatur, conuulſiones plurimum euenire per acutos morbos, & crebrius corripi, acribus & biliofis ſuccis abundantes. Vina quoque tantò generant facilius, ac promtius, quantò ſunt tenuiora. Et qui humi cubant, non craſſam, ſed vaporoſam humiditatem ſuſcipiunt.

60. Sed nuper diximus, craſſos non tam celeriter tùm ingredi tùm egredi, quàm velox eſt ſæpè tùm aggreſſio, tùm abſceſſio. Sæpius vidi in doloribus colicis, vaporem in caput ſublatum conuulſionem parere. Idem faciunt, qui ex vtero, alijsq; partibus ſurgunt: ſi mala qualitate præditi ſint.

61. Probabilior foret Auerrhois opinio ſi omninò diſtenſus neruus conuulſionem faceret, qui à flatu diſtendi cenſuit. Sed hanc quoque imaginationem euaneſcere ſentiemus cum primum à diſtentione non fieri ſpaſmum meminerimus. Nec tam periculoſus, nec tam curatu difficilis eſſet, ſi à tali cauſa ſuccreſceret. Argu- Auer. opinio

mento eſt is, qui ſanis omnibus nobis aliquando ſuperuenit. Hic facilè ſoluitur, quia fit à flatu muſculos diſtendente non neruos. A ſimili cauſa oriuntur oſcitationes & pandiculationes.

62. Quantum opinioni ſuæ Auerrhoës confiſus ſit, ex 3. lib. collect. liquet attentè legenti, vbi huius rei explicationem pollicetur quidem, at non præſtitit. Sunt hæc quoque ipſius: Vtinam ſcirem cur diſtendantur in latum nerui, & non in longum. Et mox: Scias Medicorum verba, in hoc ſymptomate vniuerſè propiora eſſe verbis Muſicorum, (ſeu fabellas canentium) quàm demonſtratorum. Quis non hinc colligat, eum ſatis certum non fuiſſe? Quibus addi poteſt, quod conuulſionem præcedere oportet reſolutionem, ſi prius humor à neruis combibitur, quàm in flatum vertitur. Si poſtea ingreditur, neſcio qua via adeò multus irrumpat, vt differtos reddat.

63. Sæpè quoque contingit, multas ſimul partes (aliquando totum corpus) conuelli: quo tempore plures eodem modo neruos impletos eſſe oportet. Vnde autem larga hæc humiditas prouenit? & in totius corporis neruos potius ſe ingerit, quàm partes alias laxiores? Equidem in morbis à multitudine ortis, in hydrope, in tumoribus & fluxionibus quaſuis partes potius, quàm neruos, occupari videmus.

64. Si cerebrum aut ſpinalem medullam in generali ſpaſmo pati dicas, interrogare libet, vtrum has etiam eadem illa ratione ſpaſmum producere (quatenus videlicet propter dilatationem breuiores factæ, neruos ad ſe attrahant & per hos muſculos) credere nos velis? Qui exortum primum neruorum ex ipſo cerebro & ſpinali medulla, priuſquam duræ membranæ inuoluantur diligenter intuitus eſt, huc dementiæ neutiquam veniet, vt credat. Taceo, quod hic etiam paralyſin, vel apoplexiam citius naſci oporteret, quàm conuulſionem.

65. Adde quod cerebro vel ſpinali medulla, vel alio neruo (cuius velut rami & propagines in plures muſculos, etiam oppoſitos diſſeminantur (ſic diſtento, neceſſarium foret, non conuulſionem ſimpliciter appellatam, ſed eam ſemper ſpeciem exiſtere, quæ Tetanos nominatur, Quod ſi alia tum ſpinalis medulla, tum cerebrum ratione conuulſiones inferunt, cur non idem de neruis ſentiamus?

66. Difficilè inſuper eſt videre, cur per hydropem & ſimiles alios affectus,

affectus,podagram,humores calidos & frigidos,non conuellatur corpus,cùm nimio tum eos humore infarctos credibile ſit.In tumoribus muſculorum replentur quidem & ipſi,nec tamen conuelluntur, quoties hoc accidit:imò ſæpius ſtuporē aut paralyſin inuehunt quàm conuulſionem.

67. Pro concluſione illud addam,nuſquam Hipp.ſcripſiſſe(quantum memini)conuulſionem à repletione & vacuatione effici neruorũ,quatenus vtroq; modo contractiores facti muſculos ad ſe per vim attrahant,attractoſq; retineant. Sic dicit ab his cauſis prodire, quomodo ab eiſdem producitur ſingultus. An hic etiam à neruorum,qui ori ventriculi intexuntur,breuitate,propter modò nominatas cauſas orta generatur? Non puto.

68. His atq; alijs ſimilibus motus fortaſſe fuit rationibus Rondeletius,vt ſpaſmum cenſuerit potius à muſculis vel cõgelatis, vel pituita & ſpiritu inflatis, ortum habere quàm ab affectis neruis.

69. Hucuſq; duo principalia diſquiſitionis propoſitæ capita demonſtrauimus. Primum eſt,neruos voluntarijs motibus nõ moueri:non enim ad hunc vſum facti ſunt,vt moueant muſculos per ſanitatem. Quare neq; prauè mouent in conuulſionibus. Etenim morbus,qui primò actionē certã lædit, nullius alterius partis affectio eſt quàm eius, quæ eandē ſanitatis tempore integram edit. Neruorum autē munus proprium eſt,vt velut canalium vſum præſtent,per quos virtus motrix è cerebro in totum corpus deriuatur.

70. Alterum hoc eſt,neruos neq; ab humorum copia differtos,neque à ſiccitate,aut euacuatione inanitos ſic contrahi,vt ob eas cauſas muſculos violenter ſic attrahant,quomodo per conuulſiones contrahi verſus originem ſuam conſpicimus. Si enim non ſunt authores motus per ſanitatē,qua ratione deprauati motus ponentur effectores?

71. Ex his neceſſariò concluditur,neruos non eſſe proprium ſubiectum (τὸ πρῶτον δεκτικὸν) diſpoſitionis ſeu morbi,qui conuulſio nominatur. Non puto quenquam medicinæ peritum opinari,conuulſionem inſtar vlceris in quauis parte promiſcuè naſci. Eſt enim certæ partis affectio non cuiuslibet obuiæ.

72. Quænam igitur pars ſubiectum conuulſionis primum fuerit? Redeundum hîc nobis eſt ad principium, Certum eſt ad motum vo-

luntarium tres partes duntaxat, quod ad præſens inſtitutum attinet, concurrere, muſculos, neruos ac cerebrum vnà cum ſpinali medulla. Iam verò oſtenſum eſt, in neruis non conſiſtere cauſam deprauati muſculorum motus immediatam ſeu primam. Ergo inerit ea vel in muſculi corpore vel cerebro.

73. Muſculi ſanè breuiores fiunt ſeu contrahuntur præter naturam eò vſque, vt extendi ſecundum naturam non poßint, quinq; ferè modis. Nam & propter repletionem ſiue congelationem, & dolorem & vſtionem, & oppoſitorum muſculorum reſolutionem, quo dixi modo affici ſolent.

74. At dolores extenſionem potius impediunt, quàm conuulſionem efficiant. Non enim non poſſumus extendere, cùm volumus, ſed ad euitandum dolorem nolumus. At conuulſione tunc dicitur muſculus laborare, quando ex arbitratu noſtro contrahere & extendere eum non poſſumus: cùm maximè volumus.

75. Ab vſtione quoq; contractos muſculos, nulli, quod ſciam, conuulſos iudicarunt. Et vt maximè conuulſos quis contenderet, non tamen ea conuulſionis ſpecie affecti eſſent, quam nos quærimus. Hinc enim cauſa contractionis, nota foret. Par ratio eſt eius contractionis, quæ à tumoribus præter naturam ab humore infarcto ſuſcitatur.

76. Qui propter oppoſiti muſculi reſolutionem contrahitur, conuulſus quidem dicitur, at impropriè dicitur. Facilè namq; manibus, citra dolorem extendi, quoties cupimus, poteſt, qui propter dictam cauſam contractus eſt. Adde, quòd ne hic quidem ignota cauſa eſt.

77. Reliquum eſt, vt à frigore vehementiore contractos arbitremur conuulſos. Sed à ſolorum muſculorum frigore profecta contractio talis, admodum eſt inſolens: & facilius conuulſionem pepererit frigus neruorum, quàm muſculorum. Promptius enim illis, quàm his, compatitur cerebrum. Sed & hîc cauſa nota eſt.

78. An non etiam à flatu ſubito & confertim in muſculos irruente conuulſio oritur? Hæc ſpecies conuulſionis, quam noſtrates

Krampff

Krampff *appellant, tam eſt frequens, vt rari inueniantur homines, qui eam experti non fuerint. Verùm ne de hac quidem, quæ fortaſſe minus propriè ſic nuncupata eſt, hîc agimus: cùm cauſa eius cun ctis Medicis perſpecta ſit. Hîc enim cauſam quærimus, propter quam conuelluntur muſculi, nullo in ipſorum corpore vitio exiſtente.*

79. *Ergo neceſſariò efficitur, ſubiectum primum atq; proprium conuulſionis eſſe cerebrum. Etenim in neruis non conſiſtere ſupra demonſtrauimus. Nunc in muſculi corpore non inhærere, niſi cùm à flatu diſtenditur, oſtendimus. Quid igitur aliud dicemus, quàm cerebri morbum eſſe? Galenus certè ita ſenſit 5. Aphor. ſic ſcribens:* οὐδὲ γὰρ οὐδὲ ἄλλως ὅλως οἷόν τε σπασθῆναι τὸ σῶμα πρὸ τοῦ ταύτην (*ſcilicet* ἀρχὴν τῶν νεύρων) παθεῖν, ἤτοι πρώτως, ἢ κατὰ συμπάθειαν, ἑτέρου προπεπονθότος μορίου.

80. *At cerebrum affici, cùm alia multa, tùm hoc probat, quòd per conuulſiones cuncti nonnihil delirant, vel præter conſuetudinem obmuteſcunt, quod ipſum delirij cuiuſdam ſignum eſt. De oculorum quoque obſcuritate, viriumq; animalium exſolutione vniuerſi ferè prius conſequerentur. Pueri etiam ex terrore ſubito frequenter conuelluntur. At terror fit cerebro aliquo modo affecto. Deniq; plurimi ſpaſmo laborantes conuelli ſe neſciunt in ipſo paroxiſmo, quod affecti cerebri euidens ſignum eſt.*

81. *Non enim vno eodemq; modo in omni conuulſione afficitur cerebrum. Etenim quoties conuulſio oritur propter neruorum frigus, aut vehementem eorum tentionem, aut inflammationem, aut vulnus, aut morſum, vel à ſanie, vel ab acri & putrido humore aut vapore profectum, per conſenſum laborat. Argumento eſt certo quod vulnere vel inflammatione curata, vapore aut humore inimico ſublato, neruo præciſo, continuò ceſſat malum.*

82. *Compatitur præterea cerebrum alijs quoque partibus, vt vtero, ventriculo, inteſtinis, membranis, partibus nonnullis alijs. Huc referuntur omnes illæ, ex quibus venenata, aut inimica cerebro aura, vel qualitas ad caput exporrigitur, conuulſionemq; vel ſimplicem, vel Epilepticam concitat: licet neruis, quos attingit, nullam moleſtiam adferat.*

83. *Cæterum non conſentiendo ſolùm partibus alijs conuulſiones ciet cerebrum, ſed longè grauiores & periculoſiores ſunt, quas propria eius diſpoſitio ſeu ægritudo ſuſcitat. Adde, quòd hæc ſola propemodum ſpecies propriè, priuatimq́ conuulſio nominatur: reliqua generalis nominis vſu & ſignificato comprehenduntur.*

84. *Quare duæ ſunt in vniuerſum ſpaſmi differentiæ primæ. Harum altera ſolorum muſculorum vitio, nulla cerebri ægritudine concurrente naſcitur. Altera propter affectum cerebrum oritur. Hæc in alias ſpecies duas diſtrahitur. Nam vel proprio morbo cerebrum laborat, vel partibus alijs compatitur. Conſenſus hic duobus rurſus modis contingit. Nam vel humor, vel ſubſtantia habituoſa mordax, putrida, venenata, aliterue cerebro inimica, in caput tollitur: vel qualitas duntaxat realis ſic cerebrum vellicat, vt conuulſiones inde pronaſcantur.*

85. *Idem hoc veteres, vt ex Galeno liquet, præclarè viderunt. Non enim ignorarunt neruos delatores eſſe tantum virtutis motricis, non autem motores muſculorum. Sed & illud cognouerunt, eos per conuulſiones non priuari munere ſuo. Quocirca neceſſarium cenſuerunt, in neruorum morbis, vel ſubſtantiam ex ipſis aliquam ad cerebrum aſcendere, vel qualitatem realem ad ipſum extendi, vt ex libro 3. de affect. locis cap. 7, & lib. 5. cap. 6. Deniq. lib. 6. cap. 5. perſpicitur.*

86. *Realem qualitatem requiri aio (vt caliditatem, frigiditatem, &c.) quia ab occulta & ſpiritali, qualis eſt virtus Herculei lapidis, procreari conuulſiones tales nequeunt. Nulla enim qualitas ſpiritalis miſti corporis, tam longè exporrigi, quàm procul ſæpè cerebrum ab affecto nerui loco diſtat, poterit. Hinc pedis aut vteri morbus nō producit cōuulſiones comitiales qualitatis ſpiritalis trāſmiſſione, ſed auram & ſubſtantiā aliquam tolli ad cerebrum oportet. Deinde nunquam poſſet illiuſmodi diſpoſitio per conſenſum facta, cerebri propria fieri. Qualitas enim ſpiritalis cum ſubiecto in quo inhæret, inſtar luminis accedit & recedit, in alio ſubiecto & loco nunquam firmatur.*

87. *Si ipſam virtutem cerebri in affecta parte nerui affici dicas, nil dixeris. Non poteſt enim virtus hæc (è cerebro, velut lumen è*

Sole

Sole effuſa) ſpiritalis alterari, ipſo cerebro, cuius eſt virtus, non alterato. Equidem ſicut lumen à Sole, vel flamma, in aërem diffuſum alterari non poteſt, ita nec cerebri quidem virtus hæc extra cerebrum extenſa, verè alterari, aut pati aliquid poteſt. Nam vt ſpiritales iſtæ vires non poſſunt in corporibus, ad quæ exporriguntur, realem qualitatem ingenerare, ita non poſſunt ipſæ extra proprium ſubiectum ſuum verè pati ſeu alterari.

88. *Si, quemadmodum lumen Solis, aut ignis, obiectione denſi & opaci corporis excludi, arcerìue poteſt, ita etiam virtutem mouendi à cerebro in pedes vſque luminis inſtar exporrectam in eiſdem impediri contendas, non negabo, ſed nihil inde in cerebrum mali redundare affirmabo. Etenim imaginabile non eſt, quomodo incorporea & ſpiritalis poteſtas realem qualitatem in ſe ſuſcipiat, eamque ad cerebrum vſque deportet. Neque ſolem neque magnetem aliquid pati oportet, quoties illius hic lumen, & huius vis ferri tractrix ad ferrum vſque extenſa impeditur. Taceo quod huiuſmodi vires inſtar corporum non retrocedunt ad ſuos fontes. Vt enim ab igne lumen, fluminis inſtar perpetuò emanat, ita hæ à ſuis cauſis continuè effluunt ac generantur.*

89. *Quæ ſit notio conuulſionis, & quod proprium eius ſit ſubiectum clarè ſatis expoſitum puto. Reliquum nunc eſt, vt quid ſit propriè dicta conuulſio, declarare tentemus.*

90. *Vt inueſtigatio ſit facilior, reuocare in memoriam oportet, quod ſupra oſtendimus, neruos per conuulſionem obſtructos non eſſe, ſed virtutem mouendi liberè deportare. Etenim contrarij omninò effectus ſunt obſtructionis & conuulſionis. In illa muſculi reſoluuntur, & immobiles redduntur, in hac violenter aut inuitis nobis mouentur.*

91. *Deinde ponere oportet eadem illa vi conuulſiones cieri cerebro præter naturam affecto, qua dum naturaliter diſpoſitum eſſet, voluntarij motus efficiebantur, quod Galenus infinities aliâs, & clarè admodum lib. 2. de ſympt. cauſ. cap. 2. his verbis affirmauit:* εἴτε τῶν τεινομένων ἐπὶ τὴν ἀρχὴν, εἴτε καὶ διὰ πνεύματος ἐμπίπτοντος πληρουμένων τῶν μυῶν αἱ προαιρετικαὶ κινήσεις ἐγίνοντο, καὶ κατὰ τοὺς σπασμοὺς ταῦτα συμβήσεται. *Siue verſus principium tenderentur, ſiue quia ab illapſu ſpiritus replerentur muſculi voluntariæ motiones fiebant, eadem per conuulſiones accident.*

92. *Etenim ſanitas & morbus, quatenus circa vnam eandemq́; actionem verſantur, vnum idemq́; inſtrumentum viciſſim occupant. Quare neceſſarium eſt, vt ſicut manus eadem, cultro acuto benè, hebeti & obtuſo malè ſecat, ita virtus motrix, actiones edat naturæ conuenientes, cùm naturaliter eſt diſpoſitum inſtrumentum, & eadem actiones producat incongruentes, cùm inſtrumentum idem malè eſt affectum.*

93. *Idem argumento inſolubili ſic demonſtro: Anima (ſicut & aliæ materiales formæ) ſine inſtrumento corporeo,* καὶ ἄνευ τοῦ τυγχάνειν, *vt loquitur Ariſtot. neq; mouet, neq; aliam operationem exercet. Notum eſt pronuntiatum phyſicum, actiones ſunt compoſitorum non componentium. Conuulſio igitur, ſi eſt actio animalis deprauata, non ſine efficientia animæ editur. Si animam non coagere ponas, neceſſariò fateberis, vel conuulſionem non eſſe operationem animalem ſiue noſtram, vel actionem aliquam animalem ſine animæ cooperatione à ſolo inſtrumento edi. Vtrunq; ex ijs eſt, quæ fieri nullo pacto poſſunt. Quare conuulſionis effectrix cauſa eſt anima ſeu virtus animæ mouens, quam* κινητικὴν *Philoſophi vocant.*

94. *Nec minus ex hoc intelligi poteſt. Cauſa deprauatæ actionis eſt morbus, vt omnes medici affirmant. Morbus autem eſt habitus, aut diſpoſitio partis præter naturam. Conſtat porrò propter habitum aut diſpoſitionem res non agere, ſed melius, aut deterius, facilius aut difficilius agere. Sicut enim culter, quia acutus eſt, non ſecat, ſi quod ipſum moueat, deſit, ita muſculi diſpoſitio muſculum minimè contrahet, ſi motor alius nullus adſit. Quare cùm morbi effectrix cauſa abſq́; interuentu morbi actionem edere nequeat, certum eſt, actionis cauſam, quatenus actio eſt, nec morbum, nec eius cauſam exſiſtere. Itaq́; niſi ab externa re muſculus per vim contrahatur in conuulſionibus, neceſſariò ab anima contrahuntur.*

95. *Argumentum hoc, quia mihi inſolubile videtur, planius exponam. Differunt actio, & actionis vitium. At morbus cauſa eſt, non actionis ſed actionis vitij. Quare impoſſibile eſt, vt morbus cauſa ſit, tum actionis, ſiue motus, qui ab effectrice eius cauſa producitur, tum actionis eiuſdem vitij. Vt enim ſanitas abſq́; cauſa alia mouente, anima ſcilicet, non producit actionem laudabilem, ita neq; morbus ſine*

cauſa

cauſa propria efficiente progenerat actionē vituperabilē. Nā eodē modo ab vtraq; diſpoſitione modificatur tantū, nō aūt progignitur actio.

96. Si morbi cauſam lædere, ſeu actionē deprauatā producere contendas, laterē aut Æthiopē laues. Omnis enim cauſa lædit aut producit actionē nō ſine morbo. Quare cùm morbus modi dūtaxat, ſeu vitij actionis cauſa exiſtat, nō poterit cauſæ plus tribui. Deinde cùm omnis cauſa vel inſtrumentalē vel ſimilarem morbum ſuſcitet, nulla autem poßit muſculos ad eundem modum ad ſua capita retrahere, quo in conuulſionibus retrahuntur, rurſus patet, effugium hîc nullum patere.

97. Qui iſta negat, is cogitur etiā negare motū muſculorū, qui per cōuulſiones accidit, contrariū nō eſſe illi contractioni, quæ per ſocietatem in eiſdē euenit. At Medici omnes magno cōſenſu vtroſq; contrarios eſſe, neq; ſolū differre aſſeuerāt, quòd hæc ab anima rectè agente, illa ab eadē nō rectè agente efficiatur. Cauſa igitur eadem eſt, inſtrumentum quoq; idem, ac ſola inſtrumenti diſpoſitio mutata eſt.

98. Actiones ſiue motiones illæ, quas cauſæ morbificæ inuehere ſolæ poſſunt, non habent ſibi contrariā, à qua ſolo vitio diſtent, ſed priuationem tantùm ſeu quietē. Sic motui palpitationis non eſt motus aliquis contrarius vitij expers, ſed quies naturalis ſeu motus priuatio. Non enim ſic partes ſecundum & præter naturam ſiue benè ac malè palpitant, quomodo muſculi ſecundum & præter naturam ſiue benè ſiue malè ad ſua capita retrahuntur. Eſt autem diſcrimen hoc motuum diligenter obſeruandum.

99. Quiſquis iam intelligit, quæ cerebri facultas per ſanitatem motus præcipiat muſculis congruentes, is ſimul intelligit eandem hanc poteſtatem per morbum præcipere motus deprauatos. Quod ſi inſuper nouit, quo inſtrumento actiones bonas edere ſolita ſit, is perſpicit quoq; quo vitioſas producere conſueuerit. Qui præter hæc cognitam habet diſpoſitionem cerebri ſanam, per quam rectè mouet, is fortaſſe inueniet, quæ ſit conuulſionis natura & eſſentia.

100. Quis porrò neſcit ab Ariſtotele in 3. de anima cap. 10. & alibi demonſtratum, appetitum & imaginationem principia eſſe motus eius de quo diſſerimus? Diſputationis concluſionem huc adſcripſiſſe ſufficiet. ὅλως μὲν οὖν ὥσπερ εἴρηται ᾗ ὀρεκτικὸν τὸ ζῷον, ταύτῃ ἑαυτοῦ κινητικόν, ὀρεκτικὸν δὲ οὐκ ἄνευ φαντασίας.

101. Æquè certum eſt, phantaſiæ (quæ cum appetitione re & ſubiecto eadem eſt) ſedem eſſe cerebrum, ipſamq́ parte aliqua cerebri, tanquam inſtrumento mouere. Etenim tria ſunt in motu hîc. Quod mouet, quo mouet, quod mouetur. Ac mouens quidem eſt phantaſia, vel appetitus. Inſtrumentum autem corporeum quo mouet, ſunt ſpiritus certo modo affecti. Quod deniq; mouetur eſt muſculus. Oſtenſum namque alibi eſt, appetitum abſq; inſtrumento corporeo nō mouere, quod itidem affirmauit loco citato Ariſt. his verbis: ᾧ δὲ κινεῖ ὀργάνῳ ἡ ὄρεξις, ἤδη τοῦτο σωματικόν ἐστι.

102. Non debet autem, quod dicimus ſic accipi, quaſi ſola imaginatio cum appetitu rationis experte in nobis motum cieat. Nam & voluntas, quæ appetitus eſt quidam rationalis mouet. Sæpiſsimè autem illa mouet, voluntate quieſcente. Nunquam enim voluntas membra conuelli imperaret. In conuulſionibus igitur appetitus irrationalis muſculos contrahit. Bruta, inquit Ariſtoteles lib. citato cap. 3. per imaginationem agunt, quia mente carent: homines quoq; non rarò, per eandem operantur: διὰ τὸ ἐπικαλύπτεσθαι τὸν νοῦν ἐνίοτε πάθει, ἢ νόσοις ἢ ὕπνῳ.

103. Iterum ergo liquet, conuulſiones effici & à repletione, & vacuatione, & cauſis alijs, non propter neruorum aut cerebri breuitatem, ſed propter imaginationis aut appetitus læſionem. Non enim ob id contrahuntur muſculi, quia vel nerui vel cerebrum in ſe coëunt, ſed quia motum talem imaginatio perperam mandat.

104. Ratio eadem eſt, cùm neruos à frigore vel peregrino vapore contrahi aiunt. Etenim in ſe cogi à talibus cauſis minimè inficias eo, ſed propter eam cauſam conuulſiones ſuſcitari, audacter nego. Dolore affecti cerebrū irritant, ac ſæpè materiam ei, aut qualitatem inimicam communicant, & ſic conuulſionum cauſæ ſiunt quidem, at non proximæ.

105. Quæ hucuſq; d[illegible]utauimus, ita certa ſunt omnia, itaq; demonſtrata, vt non immeri[illegible] ſperem, nullum intelligentem porrò, de veritate & certitudine eoru[illegible] dubitaturum. Summa eſt, neruos nequaquam muſcul[illegible]s mouere, ſ[illegible]d imperium deferre ſolùm: & ob id conuulſionis ſubiect[illegible] primum e[illegible]s non eſſe. Probaui deinde, eos neq; copia differtos, neq; vacuatione depauperatos ſic decurtari, vt muſculos con

trahere

trahere poſſint. Tertio loco oſtendi, muſculos nullius conuulſionis au thores eſſe, hac vna excepta, quæ à flatibus confertim & ſubitò irrumpentibus cietur. Quare cerebrum (quod poſt neruos inter inſtru menta motus arbitrarij ſolùm relictum eſt) ſubiectum huius morbi eſſe concluſimus. In hoc enim ſedem habet principium motus arbitrarij: imaginatio ſcilicet ſiue ὄρεξις αἰσθητική (Nam ὄρεξις λογικὴ locum in hoc morbo non habet.) Tandem huc rem deduximus, vt liqui dò pateat, conuulſionem morbum eſſe eius partis cerebri, qua appetitus, vt proprio inſtrumento, primò muſculos mouet.

106. *Dubitare hìc aliquis iure optimo fortaſſe poſſit, vtrum animalis appetitus, ſiue ὄρεξις αἰσθητική, an potius naturalis facultas depra uatos hoſce motus imperet aut exerceat? Tria enim motus in nobis principia reperiuntur, voluntas, imaginatio ſeu appetitus rationis ex pers, & natura. De duobus primis nullus, de tertio is tantùm dubitat, qui animum ijs, quæ fiunt, non aduertit.*

107. *Hac enim vi diſtribuitur alimentum, vacuantur ſingularum partiũ excrementa, mouentur in ſingultu & vomitu ventriculi tunicæ, efficiuntur criſes, diarrheæ, menſium purgationes, aliæq; ſimiles ex cretiones. Nec alia eſt virtus, quæ per rigores corpus tanta vi qua tit, quæ ſternutationes ciet, quæ diſtillationes & reliquas fluxiones concitat, quæ pulſus cordis & arteriarum producit. Nec dubium eſt, quin ſuos cieat motus, ſiue voluntas & phantaſia agant ſiue quieſcant.*

108. *Hac facultate cerebrum ſpoliare non poſſumus. Cur enim quod omnibus alijs partibus conceſſum eſt, cerebro parti principi ne gatum putemus? Magis etiam ea opus habet partibus quibuſdam alijs, quæ tactus ſenſu noxia percipiunt. Nam cerebrum hoc ſenſu ca rere (aut certè obſcuriſſimam habere) docuit nos Chirurgorũ & Ana tomicorum ſummorum frequens & accurata obſeruatio. Et quidem in vulneribus tangitur, pungitur, foratur, pars aliqua eximitur abſq; omni ſenſu tactus, licet ratio ſenſuſq; integri ſeruentur.*

109. *Quæritur igitur, vtrum hæc cerebri potentia conuulſiones cieat, an facultas ſiue appetitus ſentiens? Quòd vis naturalis in cau ſa ſit, cum alia iam dicta oſtendunt, tum id maximè, quòd ſenſus expers cerebrũ videtur eſſe. Quibus & hoc accidit, quòd cõuulſiones E-*

pileptic[a]e, ſternutationes, rigores, aliją; tales motus plures, nihil tale appetentibus, imò inuitiſſimis nobis accidunt.

110. *Huc etiam Galeni teſtimonium pertinet, qui libro ſecundo de ſymptomatum cauſis capite primo, conuulſionem inſtar palpitationis à ſolo morbo fieri aſſerit. Si verum hoc eſt, non mouet muſculos appetitus, ſed ab hoc aliud quippiam. Quod ſi appetitum concurrere ponamus, ſolius morbi ſymptoma prauus ille motus nequaquam dici poterit.*

111. *His addi poteſt, quod ſternutationes, concuſſiones, quæ ſub initium ſomni accidunt, quæą; in ea Epilepſiæ ſpecie viſuntur, quam aura frigida ex pedibus in cerebrum ſublata excitat, ab hac virtute fieri concedunt. Omnes enim motus admodum ſimiles ſunt conuulſionum motibus. Quamobrem veriſimile eſt, hos etiam ab eadem facultate naturali commoueri: præſertim cùm aliqui abſą; imaginationis ſenſibili offenſa conuelli videantur.*

112. *Si multos ex prædictis motibus nō prius fieri obijcias, quàm cauſæ lædentis moleſtia ſenſu percepta fuerit, hoc non impedire dicent huius opinionis propugnatores, quin à natura nihilominus fiat. Non enim à dolore ſeu moleſtia illa appetitū ſenſibilem ſic alterari, vt conuulſionem appetat, ſed naturalem cerebri virtutem ab ea ſic irritari & extimulari contendunt.*

113. *Nemo, puto, ignorat, naturalem vim expultricem ventriculi, inteſtinorum, veſicæ, venarum in Menſenterio ſitarum, à mordacitate ſeu acrimonia humorum & pharmacorum, ad expulſionem noxiorum incitari.*

114. *Etſi probabilis admodum hæc eſt opinio, tamen ſimpliciter vera eſſe mihi non videtur. In cerebro quidem ineſſe facultatem, qua tùm amica amplectatur, tùm inimica reſpuat et abijciat, non inficior. Neą; illud etiam nego, quoſdam ex antedictis motibus ab hac facultate produci. Hoc nego, propriè dictas conuulſiones imaginationis læſione, & abſą; iuſſu appetitus animalis confuſo effici.*

115. *Quippe inexplicabile videtur, quomodo natura muſculos ad eum modū contrahendo moueat, quo à voluntate per ſanitatem mo-*

nentur

uentur. Si namq; ad ſternutationem, concuſsionem in principio ſomni factā, cōquaſſationes in certa Epilepſiæ ſpecie euenientes (diſtinguere has oportet à conuulſionibus veris, in quibus ad principia ſua muſculi coguntur) depulſiones excrementorum in ſubiectas partes ſingultum, rigorem (&, ſi libet, tremorem) reſpicere velimus, longiſsimè naturæ & imaginationis corruptæ motiones differre perſpiciemus. Sunt enim naturæ hi motus turbulenti, intercisi, breues, & concuſsiones, ſeu quaſſationes, ſeu iactationes potius, quàm muſculorum motiones naturalibus ſimiles videntur.

116. *Deinde ſi ab alia facultate actio ſana vel laudabilis editur, & ab alia rurſus morbida ſeu deprauata efficitur, conuelluntur certiſsima artis noſtræ principia. Perinde hoc foret, ac ſi bonum ſanguinem per ſanitatem à temperamento conueniente iecoris gigni dicas, prauum autem ſeu vitioſum ab animali facultate procreari aſſeras. Morbus & ſanitas circa idem præciſè ſubiectum verſantur, nec eſt ſanitas facultatis, aut inſtrumenti alius affectio, quàm eius, cuius etiam morbus ei oppoſitus paſsio ſeu affectio exſiſtit.*

117. *Indubitatæ veritatis eſt hoc axioma. A qua facultate & inſtrumento actio ſecundùm naturam propriè & per ſe editur, ab eiſdem etiam, quæ præter naturam fit, editur. Quare ſi ab imaginatione muſculi & membra ſecundùm naturam mouentur, ab eadem quoq; præter naturam mouentur. Differentia in eo eſt poſita, quod in actione naturali facultas & inſtrumentum naturaliter affecta ſunt, at in operatione læſa alterum eorum præter naturam diſpoſitum eſt. Non enim poteſt fieri, vt alius partis aut facultatis ſit morbus, quàm eius, cuius ſanitas eſt.*

118. *Vana eſt obiectio de fame naturali & morbida. Nam vtriuſque idem eſt ſubiectum & facultas, iudicans inter hanc & illam eadem exſiſtit, licet propter ſimilitudinem ſymptomatis, quod à ſuctu venarum naturaliter, à frigiditate verò contra naturæ morem oritur, perperam ita de hoc, ſicut de illo iudicet phantaſia. Si altera à potentia animali, altera à facultate naturali naſceretur, ſpeciem aliquam veritatis habere videretur.*

119. *Ex modò dictis, aliiſq; rationibus multis perſpicuè oſtenditur, quòd tum Galeni teſtimonio ſupra comprobaui, tum ratione firmiſsimè demonſtraui, ab eadem cauſa in conuulſionibus, muſculos prauè moueri, à qua per ſanitatem rectè mouebantur. Quare cùm ſanitatis tempore ab imaginatione ſeu appetitu benè affecto aptè moueantur, in conuulſionibus ab eadem malè diſpoſita ineptè mouentur. Exemplum vertiginis pulchrè negotium declarat, ſicut enim eadem illa facultas, quæ dum valemus, rectos nos ſeruat, vertigine autem correptos in gyrum agit ac ſternit, ita potentia eadem, quæ in ſanis conuenienter mouet, in conuulſis membra diſtorquet.*

120. *Nec eſt ob id neceſſarium, vt cerebrum ſentiat. Quemadmodum enim corrugationem tunicarum oris ventriculi à frigiditate profectam, neruorum opera percipit, ac famem iudicat, quæ fames non eſt, ita alias etiam moleſtias ſentit, ac ſæpè iudicat eſſe, quod non ſunt. Quia verò prauè imaginatur, prauè quoq; mouet.*

121. *In Epilepticis quibuſdam (non eſt enim vna omnium ratio, ſi Galeno credimus) nihil vetat vtrunq; principium, imaginationem & naturam concurrere. Naturæ videntur eſſe motus iſti vibrantes, corpus ita ferè, ſed violentius, quatientes, vt in vehementi rigore. Alterius autem facultatis ſunt membrorum diſtortiones. Sæpè contingit, præſertim in excrementorum vacuationibus, vt animalis motus concurrat cum naturali.*

122. *Cùm dicitur inuitis nobis fieri, non ſequitur ab imaginatione non fieri. Diſtinguere inter facultatem mouentem ſeu appetitum ratione carentem, & facultatem rectè iudicantem oportet, ſi explicatam volumus hanc difficultatem: cùm inter ſe manifeſtò differant. Quia enim vna facit, quod alteri diſplicet, diſcrepantes eſſe facultates intelligimus. Ratio aliquando iubet non imaginari falſa, quæ ſemidelirantes aut ſemimelancholici imaginãtur, non tamen non imaginari talia poſſumus. Huc Gal. locus de ægroto pertinet, qui tubicines imaginabatur, vbi nulli erant.*

123. *Pleriq; certo inter agendũ geſtui, vel inter loquendum crebræ vocis alicuius ad orationem non pertinentis repetitioni ſic aſſueuerunt, vt, quamuis moniti maximè abſtinere velint, non poſſint tamen.*

tamen. Sicut igitur multi partim neſcientes, partim inuiti, dum agunt aliquid vel loquuntur, propter ſolam conſuetudinem, aut ringunt naſum, aut diſtorquent labra, aut agitant caput, aut nutitant inconcinnè corpus, aut quoties aliquem vel cadere, vel nixu magno agere aliquid vident, velut opitulaturi membra muſculosq; intendunt, ita ferè per morbum à phantaſia ægra conuelluntur partes nobis inuitis, aut non aduertentibus. Gal. lib. 2. de motu muſc. plurima ſcribit, quibus, quod dixi, illuſtratur & confirmatur.

124. *Vtrum autem ſine imaginationis læſione, & quando, conuulſiones fiant in ſequentibus declarabitur. Nunc ad Gal. locum paulò ante citatum reſpondeo, nomen conuulſionis bifariam accipi; quoties pro ſymptomate ponitur, propriè ſcilicet ac impropriè vt ex antedictis patuit. Si de propria Gal. verba accipias, omnino falſum videtur, quod aſſerit, licet cum hypotheſi de neruorum breuitate (Quam rebus conſentaneam non eſſe demonſtrauimus) pulchrè conueniat. Si de eo ſpaſmo interpreteris, qui vitio muſculorum flatu diſtentorum oritur, verum eſt, quod ſcribit. Hic enim à ſolo morbo ſiue cauſa inſtar palpitationis (quæ cũ vera cõuulſione nihil ſimile habet) naſcitur.*

125. *Neceſſarium ergo eſt, vt in conuulſionibus morbida quædam cerebri diſpoſitio ſic ferè ſpiritus, & per conſequentiam phantaſiam, ſiue appetitum impellat ad malè agendum, quomodo ſanitas eundem ad proſequendum bona, & fugiendum mala naturæ congruenter incitat. Vt enim appetitus moueat, excitari eum à ſpecie ab imaginatione oblata, quam vel expetendam, vel fugiendam iudicet, oportet. Semper enim apprehenſio boni & mali perſecutionem & fugam præcedit, etiamſi hoc adeò fiat obſcurè & confuſè, vt à nobis non benè percipi poſſit: de qua re legi debent Ariſtot. 3. de Anim. cap. 11. & Gal. de motu muſc.*

126. *Etſi enim propter animæ vnitatem eodem propè momento illo, quo recepta aut percepta ſpecies eſt, appetitus vel expetat, vel auerſetur aliquid, tamen natura præcedit appetitionem & fugam perceptio. Sic eodem ferè puncto temporis, & ex punctione dolorem percipimus, & membrum retrahimus, priuſquam ſcilicet ratio aut imaginatio videatur decreuiſſe fugiendum eſſe. Ita vno ſimul tempore, & rem terribilem videmus, & concutimur. In cauſa eſt, quod eodem*

modo hic afficimur, quomodo bruta res inimicas citra ratiocinationem fugere cernimus.

127. *His expoſitis reſtat, vt quiſnam, ſiue ex quo genere morborum conuulſio ſit indagemus. (Etenim morborum alij ſimilares, alij inſtrumentales ſunt, & dicuntur) Quam ſit difficilè futurum, ex authorum diſcrepantibus opinionibus colligere licet. Idem ex eo perſpicitur, quod nulli hanc rem inueſtigare orſi ſunt. Sed & illa, quæ hucuſq; diximus, idem euidenter ſatis probant. Gal. etiam non diſsimulauit, cùm ſic ſcripſit,* ἥ τις δ' ἀκριβῶς ἐστὶν ἡ αἰτία τοῦ νοσήματος ἐφ' ᾧ σπᾶται τὰ μόρια, χαλεπὸν εἰπεῖν. *Cæterum vt maximè hic ſcopum perinde vt in ſupradictis non attingam, non tamen non debui alijs viam præſtruere conari, & ad eius inquiſitionem feliciora ingenia inuitare.*

128. *Principium diſquiſitionis hoc fuerit, vt qualeſnam actiones ſint imaginatio & appetitio conſideremus. Si enim ſimilares ponas, ſimilaris erit morbus, eas primò lædens. Si inſtrumentales ſtatuas, ab inſtrumenti vitio eas impediri, ſtatuere ſimul oportet. Nunquam enim vel intemperies inſtrumentalem actionem, vel ſtructura vitioſa ſimilarem actionem oblædet, niſi vel illa ſtructuram corruperit, vel hæc temperiem ſimul immutauerit.*

129. *Quia verò in 4. lib. Antiparacelſ. diſput. expoſui, quænam actio purè ſimilaris, & quæ purè inſtrumentalis, denique etiam quæ ex his mixta ſit, hic non repetam. Ibidem clarè & firmè quoque probaui, actiones cerebri animales vocatas, neutiquam eſſe purè ſimilares. Quare nihil dubitandum, quin imaginatio & appetitio inſtrumentalium actionum naturam participarint. Si purè inſtrumentales non eſſe contendas, ſed miſtas eſſe dicas, qualis eſt cordis motus, non pugnabo. (parum enim hoc nobis vel commodat, vel incommodat) modò illud etiam des, nec purè ſimilares eſſe. Quod enim participarint naturam inſtrumentalium, ex eo patet, quòd actionis inſtrumentalis (nempe motus ſecundum locum) ſunt authores.*

130. *Sequitur ex his, conuulſionem inſtrumentalem eſſe cerebri morbum, licet ab intemperie quoque induci poſſit, cùm huc vſque aucta, impreſſaq; eſt, vt ſpiritus animales, aut aliud quippiam ad cerebri ſtructuram pertinens perturbet, ac labèfactet. Equidem ſpirituum*

ſpirituum opera præcipuè obeuntur actiones animales vniuerſæ,tametſi reliquus apparatus inutilis non ſit.

131. *Quod ſi iam ſciremus,quomodo motis ſpiritibus rectè imaginetur & appetat animal,haud difficulter illud etiam perſpiceremus, quomodo eiſdem motis perperam has actiones exerceat. Sed quia laudabile eſt,quædam neſcire velle(quæ ſcilicet captum ingenij ſuperant)vlterius progredi ne tentare quidem auſim.*

132. *Hoc interim ratione vſuq; edocti aſſerimus,non quamlibet ſpirituum offenſionem,à qua imaginatio turbatur , conuulſiones ciere, ſed illam tantùm,quæ ineffabili quadam moleſtia cerebrum vellicat. Probant hoc abundè ſatis conuulſiones,quæ ab acri et putrida ſanie, ab aura venenata,à morſu oris ventriculi,&c.oriuntur.*

133. *Equidem neq; vno omnes modo deſipientiæ fiunt. Aliæ propter ſolum ſpiritum inordinatè motum accidunt:quod inopinato ac vehementi terrore perculſis vſuuenit. Neſciunt enim tales quid agant, aut dicant. Quædam à vaporibus cum ſpiritu miſtis ſuſcitantur:quod ebrijs,ſomniantibus,& ex profundo ſomno nuper experrectis euenit. Sed hæc deliria breuia ſunt ac tenuia : quia permiſti vapores pauci ſunt ac benigni.*

134. *Quod ſi & multi ſint,& mala ſeu peregrina qualitate prædi-ti,grauiora inferent deliria , ſicut in febricitantibus fieri videmus. Viſi quoq; ſunt nonnulli delirare propter ſolam in ſpiritibus factam alterationem.*

135. *Quæ temperationis cerebri oblæſione accidunt,diuturna ſunt. Alteratur hæc duobus modis. Etenim vel humoris præſentia temperamentum cerebri mutatur quidem,ac mutatum nondum eſt, vel mutatum iam eſt. Priore modo Maniaci, & Melancholici inſaniunt,qui ad ſe redeunt. Poſteriore modo ij laborant,qui ab inſania non amplius liberantur.*

136. *Delirant etiam ægri in febribus propter vaporum ex inferioribus partibus ſublatorum copiam & qualitatem calidam.(Hæc enim mobiliores iuſto ſpiritus reddit,)verùm non conuelluntur hi omnes,niſi vel qualitate quadam innominata,vel modo quodam nobis ignoto,cerebrũ eiuſq; ſpiritus exagitent:qualem etiam frigiditas vehementior cerebro per neruos cõmunicata gignere conuulſionẽ poteſt.*

137. *Nec pugnat, quod diximus cum ſupradictis. Etſi enim frigiditas (ratio eadem eſt in caliditate) per ſe ſimilarem actionem impedit, non inſtrumentales (quales cerebri animales operationes eſſe probauimus in diſput. Antiparacelſ.) nihil tamen prohibet, quin imaginationem & appetitionẽ ab ea lædi putemus. Primò quia miſtæ ſunt, non purè ſimilares. Secundò, quia ſpiritus animales primum animæ inſtrumentum facilè per alterationem amittunt hoc, propter quod inſtrumentalem naturam participarunt. Tertiò, quia intemperies vitioſa cerebri, ineptos ac vitioſos ſpiritus generat. Poſtremò, quia præterquam, quod ſtructuram cerebri promptè corrumpunt, etiam mordicando & vellicando moleſtiam ei quandam creant.*

138. *Quid ergo fuerit aliud conuulſio, quàm morbida ſpirituum & cerebri diſpoſitio, à qua imaginatio appetitui iuncta ſic vitiatur, vt muſculis violentam illam contractionem, per quam membra inuitis nobis diſtorquentur, imperet? Hac generali deſcriptione cõtenti erimus, dum propius animalium operationum inſtrumenta proxima cognoſcere, intuerię non concedetur.*

139. *Talem ferè ſpaſmi eſſe deſcriptionem, illa quoq; ratio minimè leuis probat, quòd, cum tàm multæ ac diſpares, adeoq; contrariæ cauſæ conuulſionem efficiant, nihil facilè poſſit excogitari vnum, quod à ſingulis efficiatur, præter antedictam cerebri diſpoſitionem. At neceſſarium eſt, vt vnam eandemq; ſingulæ affectionem (quæ prima, proxima, & καθόλου cauſa ſit conuulſionis muſculorum) ſuſcitent: niſi tot libeat ſpaſmi ſpecies conſtituere, quot ſunt cauſæ eum introducere potentes: qua opinione nulla fuerit abſurdior.*

140. *Quid ſi vertiginis contemplatio nobis aditum paret ad pleniorem intelligentiam? Fortaſſe ſimili quadam ratione propter motos certo modo ſpiritus naſcitur conuulſio, quo propter eoſdem in orbem actos inordinateq; motos, corpus velut circũagitur ac ſternitur. Vt hic viſa in orbẽ verti indicat imaginatio dũ ratio integra permanet, ita in conuulſione dũ ratio læſa eſt, muſculos perperã mouendos eadẽ ſtatuit.*

141. *Si naturam conuulſionis veritati conſentaneè declarauimus, minore negotio reliquas partes ſuperabimus, & dubitationes, quæ hic emergunt, enodabimus. Primum quæri poteſt, cur omnes ferè ante mortem parte aliqua corporis, maximè circa faciem conuelliantur.*

142. *Cauſa*

142. Cauſa huius accidentis eſt, quòd cerebri temperies exſtinguitur et emoritur, ex qua re modeſtia quadã ſingulari afficitur. Quod etiam ſpiritus natura congruenter affecti non ſint, admonitione opus non habet.

143. Sed cur potius, hi quàm illi muſculi, ſæpius ac promptius conuelluntur? Accidit hoc, quia cerebro ſunt viciniores, vel quia à natura, vel à morbo facti ſunt iniuria magis obnoxij: vel quia rei expetendæ perſecutioni, aut fugiendæ fugæ præcipuè deſtinati ſunt: vel quia per illud tempus (quacunq; id tandẽ occaſione acciderit) cæteris ſunt debiliores: vel quia propter ſingularem indiuidui proprietatem quandam celerius & facilius cerebri affectionibus compatiuntur.

144. Idem quoq; de conuulſionibus per conſenſum natis ſentiendum, quoties venenatus vapor imaginationem turbans cerebrum ſingulari quadam moleſtia vexat. Satis hoc probant vapores, & aura venenata ex vtero, alijſq; partibus aſcendentes, comitialemq; morbum inducentes.

145. Quæritur etiam, cur abſq; delirio aliqui conuelli videantur? Sic enim conuelli putantur, in quibus cerebrum alijs partibus compatitur. Reſpondeo, nunquam fieri vt aliquis citra omnem imaginationis læſionem conuellatur, niſi cùm mali cauſa in ſolis muſculis conſiſtit. Nam qui propter conſenſum neruorum vteri, aut ventriculi conuelluntur, ſi attentè obſerues, prorſus videbis eos malè imaginari. Vidi nobilem mulierem tetano, & puerum opiſthotono affectum (illa conualuit, hic perijt) multas etiam vteri vitio, & alios ex vulneribus conuelli: at illæſam prorſus imaginationem non vidi.

146. Nec fieri poteſt vt aliter habeat res. Etenim oſtenſum eſt, motus voluntarij principiũ eſſe τὴν ὄρεξιν, quæ ſine phantaſia non eſt. Quare neceſſarium eſt, vt impediti huius motus cauſa, eiuſdem illius facultatis, ſiue inſtrumenti, per quod opus ſuum exſequitur, vitium exiſtat: quoties videlicet muſculus non eſt præter naturam affectus, & neruus imperium ſine impedimento tranſportat.

147. Fieri quidem poteſt, vt in breui conuulſione breuis ſit appetitionis & imaginationis læſio: at nulla ſi ponatur eſſe, muſculos præter naturam non mouebit. Percipitur ergo in ipſo ſpaſmi actu, moleſtia quædam, quæ appetitum ad malè mouendum cogit, licet propter

breuitatẽ temporis, aut læſionis paruitatẽ non animaduertatur.

4\. 148\. *Quæritur præterea, quî conuulſio propter affectos neruos fiat, cùm nulla ex ipſis ſubſtantia, aut qualitas realis effertur, ſed ſola nerui alteratio, propter continuitatem percipitur? Reſpondeo. Si nihil iam dictorum tollatur, haud facilè dictu eſſe, quidnam alteret cerebrum. Quomodo verò deprauari dicemus actionem muſculi, ſi nec in muſculo nec in cerebro vitium vllum inſit? In neruo fingere cauſam non poſſumus ineſſe, dum virtutem mouendi à cerebro ad muſculum defert. Quo pacto etiam ægrotabit cerebrum, ſi ad ipſum ex affecto loco nihil effertur?*

149\. *Aſcendere aliquid ſatis docent conuulſiones Epilepticæ ab aura aſcendente concitatæ. Item, quod ſimul etiam delirant ægri. Item quod Galen. vulnera neruorum dilatari præcipit, vt virus exſpiret: ac medicamenta adhibet, quæ citra morſum exſiccare, & ex alto euocare vitioſos humores, aut vapores partium ſuarum tenuitate, ac diſcutere valeant. Interdum eandem ob cauſam neruum præcidit, ne quid ſecundùm cum porrò aſcendere poſſit. Item 3. de aff. loc. cap. 7. & libro 5. cap. 6. non ſine vapore, aut ſpirituali ſubſtantia fieri cenſet.*

5\. 150\. *Vlterius quæri poteſt, quomodo ſola tum repletio tum inanitio cauſæ ſint conuulſionis? Equidem vt ſupra dixi, clariſſimi medici, (ipſe etiam Gal. aliquando) tertiam ſpeciem addere ſunt coacti. Reſpondeo: Omnis conuulſio, quam aut humor aut vapor (quantumuis paucus) ſuſcitat à repletione, id eſt à redundante & inutili ſubſtantia profecta dicitur. Ab inanitione oritur, quæ ob defectum innati ſpiritus ac humoris cerebri accidit. Quare à repletione facta eſt, quam propotionem non habere cum materia dicunt. Non enim requiritur ea copia, quæ neruos dilatando contractiores efficiat.*

151\. *Eodem modo ſingultus fit à repletione, quoties aliqua ſubſtantia os ventriculi vel quantitate & copia, vel vitioſa & inimica qualitate moleſtat. Ab euacuatione oritur, cùm propter conſumptionem humiditatis inſitæ, triſtis in eo ſenſus naſcitur, aut congenitus eius calor extinguitur.*

6\. 152\. *Facilè ex prædictis intelligitur cur conuulſiones cerebri vitio*

euertæ letales ſint,cùm eas, quæ per conſenſum fiunt, non perinde exitioſas experiamur. Etenim quæ cerebri temperationem non deſtruunt,per ſe non occidunt, ſed quia eis accidit,vt vel reſpirationem,vel cibi ac potus deglutitionem impediant,vel doloribus & vigilijs ægros lacerent,mortem aliquando inferunt.

153. *Patet etiam,cur ab inanitione orta conuulſio & ſingultus inſanabiles exſiſtant. A repletione verò excitatæ, frequenter ſanari ſoleant,vt cùm ex infinitis alijs locis tùm ex 1.Epid. com. 2. text. 24. apparet. Quis non legit ab vtero conuulſiones periculo plurimum carere? At hæ à plenitudine fiunt. Quod ſi per ſiccitates, ſeu inanitiones non abſumptum eſſet calidum natiuum, nec vires proſtratæ iam eſſent,non negaretur ſpes ſalutis.*

154. *Cur porrò muſculi tot aliquando contracti manent horis,aut etiam diebus? Conuulſio perpetua à ſolo morbo oritur,interrupta,& per conſenſum facta,plerunq; fit natura coagente,& rem noxiam pellere tentante. Continuationis exemplum in Catalepſi habemus. Dum enim perſeuerat morbus, eiuſdem quoq; manet effectus. Natura cùm in partem aliquam incitata eſt,non ſemper ſe, cùm vult, cohibere poteſt. Quocirca mirandum non eſt, ſi quod male cœpit, morbo augente malè agere pergat.*

155. *Non parum hic adiuuat Naturam prauè agentem, obliuio, cuius occaſione ex delirantibus aliqui reſpirare, cibum ori inſertum deglutire, poſtulata matula mingere,obliuiſcuntur. Sani quoque frequenter,quod agere cœperāt,animo rebus alijs intento,diutius agunt, quàm propoſitum habuerant: locumq; prætereunt,ad quem ibant, & amicos occurrentes non agnoſcunt. Sic dormientes pugnum,in quo aliquid ſeruare cupiunt, tota ſæpè nocte clauſum detinent.*

156. *Quo pacto,inquiat aliquis,imperat animus motum,quoties ægri ſe conuelli neſciunt, ſi neceſſarium eſt, vt cognitio perpetuò præcedat appetitionem? Conuulſio non aliter fit in nobis,quàm in brutis. Et fiunt multi in nobis quoq; motus,qui non ſemper diſtinctè mandantur à voluntate, ſeu appetitu. Sic reſpiramus,ac nictamus oculis neſcientes. Sic aliqui tùm vigilantes,tùm dormientes ſtrident dentibus: aliquibus etiam inter dormiendum manus diſtorquentur: alij loquuntur, ambulantq; in ſomno, quod de ſeipſo Gal. affirmat lib. 2. de mot.*

muſcul.cap.4. Horrent omnes res terrificas vel per ſomnum videntes vel per vigilias audientes, oſcitantq́ alios oſcitare videntes. An in comitialibus non animaduertimus motum imperari ad excutiendum noxia, tametſi nos id ignoramus? Saltem meminerimus, quomodo aliquando ſub initium primum ſomni concutiamur, & cadere nobis videamur. Bruta haec eſt appetitio, non rationalis.

157. Cur pars vulnerata vel læſa interdum conuellitur, oppoſita autem reſoluitur? Euentus cauſa non eſt obſcura. Nam de vapore de parte offenſa ad cerebrum ſublato conuellitur: ex percußione (& interdum virtutis imbecillitate) moti humores in parte altera neruos ſubeunt, & reſolutionem obſtruendo efficiunt. Frequentius enim reſolutio à bono ſed nimio ſucco prouenit: conuulſio à mordace, pungente, putrido, & venenato. Fieri quoque poteſt, vt natura ad læſam partem conuerſa oppoſitos neruos velut deſerat & negligat.

158. Cur verò nullo vulnere inflicto, aliáue ſimili cauſa accedente, vtraq́ eodem tempore affectio accidit? Etenim frequenter conſpicimus ægrotos ſimul conuelli & reſolui: præſertim morti iam vicinos. In cauſa tunc eſt virium cerebri exſtinctio, vt non ſufficiat omnibus partibus. Itaque dum totis viribus partem vnam mouet, reliquas deſerit. Fortè etiam propter retentricis imbecillitatem humores temerè diffluentes neruos aliquos obſtruunt, dum partes aliæ quædam conuelluntur.

159. Obſcurior eſt cauſa contrarij accidentis, cur ſcilicet parte læſa in capitis vulneribus non conuulſa, oppoſita conuellatur quod Hip. affirmauit? In cauſa eſſe poteſt, muſculorum partis læſæ reſolutio. Tunc enim oppoſiti conuelli videntur, διὰ τὴν ἀδελφίαν. Poteſt etiam fieri, vt puris particula in oppoſitam partem perlata exitum non inueniens, vlterius putreſcat, inimiciorq́ efficiatur. Hipp. certè eſſe purulento facto euenire ſtatuit. Poteſt non minus virulentus vapor affectum ſeu ægrum latus ſtupefacere, dum oppoſitum conuellit. Poteſt deniq́ maligna ſubſtantia in oppoſita potius, quàm in percuſſa parte colligi. Sic enim ea nonnunquam conquaſſatur, vt vaſa rumpentur, aut caluaria findatur, aut humor ibi contentus diffluens putreſcat, conuulſionesq́ cieat.

160.Omnium

160. *Omnium difficillimũ eſt videre, qua ratione motus Hippocrates ſcripſerit Regi Demetrio,* σπασμοὶ πᾶσι τοῖς μελαγχολικοῖς προσγινόμενοι παύουσι τὰς μελαγχολίας? *Contrarium in Coac. præſag. continetur, in his verbis,* ἐν τοῖσι μανικώδεσι σπασμὸς προσγινόμενος ἀμαύρωσιν, ἴσχει. *Hîc enim palàm aſſerit, ſpaſmum maniæ ſuperuenientem ad nihilum redigere ægrum, ibi Melancholiam ſoluere ait. Sed & Melancholicum ſuccum, ſi ad mentem repat, amentiam: ſi in corpus declinet, comitialem parere cenſet.*

161. *An conuulſionem ſolam Melancholiam propriè ſic vocatam ſoluere putauit? non autem Maniam? Si porrò conuulſio Melancholiam ſoluit, propter conquaſſationem ſoluere videtur. Sic enim per rigores quartanæ conuulſiones depelli putat Galenus 3. Aphor. 30. Hinc fortaſſe voluit, ſanguinem melancholicum in vaſis contentum, & exhalatione ſua ſpiritus turbantem, ad neruorum principia vel ſpinalem medullam tranſpoſitum conuulſionem inuehere, ſoluta amentia. Videtur huc etiam pertinere, quod in 4. de rat. vict. acut. expoſ. text. 27. Gal. ſcribit.*

162. *At obſtat, inquies, quod ſtructura cerebri læſa, comitialem ab eo gigni ait, non deſipientiam. Lædit autem corpus, quod ventriculos infeſtat. Non quicquid quouis modo cerebri ventres lædit, inſtrumentalem eius diſpoſitionem deprauat. Poteſt enim ventriculorum aut ſpirituum temperatio alterari mutatione in apparatu inſtrumentali nulla facta. Deinde non eadem prorſus eſt morbi comitialis & conuulſionis ratio. Nam conuelluntur multi abſq; comitiali morbo.*

DISPVTATIO XXII.

De Amuletis.

QVoniam hoc tempore ſunt, qui remedia occulta (ſpecifica ab ipſis nominata) effuſiſſimè laudant, & alij reperiuntur, qui eorum in curandis morbis internis nullum, aut certè perexiguum vſum eſſe cenſent, digna videtur quæſtio eſſe, in qua explicanda ſtudij, atq; operæ aliquid ponatur.

2. *Si veteres Græcos ſpectemus, negligenda eiuſmodi pharmaca*

arbitraberis. Etenim rarò admodum eis leguntur vſi: nec ſolis hiſce vnquam morbum aliquem pellere tentarunt. Fecerunt eorum aliquando mentionem quidem, ſed parcè ac ſobriè (plurima quoq; manifeſta & nota vi agunt, quæ ipſi latentè agere indicarunt) nec prius vſurparunt, quàm ratione inuentis nihil ſe proficere vidiſſent. Monuerunt inſuper, ne eis magnoperè confidamus, ſed methodo inuentis potius vtamur.

3. Equidem & vetuſtiores aliqui vt Aëtius ac Trallianus (vt cæteros prætercam) interdum alijsq; remedijs admiſcent φυσικὰ περίαπτα ἢ περιάμματα, (Lucianus περιαρτήματα vocat) πρόσαπτα & ἀποτρόπαια ab ipſis appellata. Quantam verò talibus fidem habuerint, ex multis eorum teſtimonijs patet: vt ex cap. 5. Auct. lib. de renum affect. & cap. 15. lib. 1. Tralliani, & 2. lib. 2. Gal. de compoſ. medicamentorum κατὰ τόπους perſpicere vnuſquiſq; poterit.

4. Noſtra ætate contra non impoſtores ſolùm atq; imperiti, ſed etiam docti & boni viri aliqui, tantum his remedijs tribuunt virium, itaq; iudicant neceſſaria, vt nullum ferè morbum grauiorem abſq; his percurari poſſe opinentur, & præ his arte ac methodo inuenta, penè pro nihilo ducant.

5. In hac ſententiarum diſtractione pariter & inconſtantia ſi veritatē aſſequi deſideremus, videre nos oportet, PRIMO QVIDEM, QVID SIT OCCVLTA SEV SPECIFICA VIRTVS, QVOTVPLEX EA SIT, ET QVAE EARVM SINT DIFFERENTIAE. DEINDE, QVID GAL. DE HIS SENSERIT. POSTMODVM, QVIBVS MORBIS MEDERI POSSE PVTENTVR, ET QVA RATIONE ALIQVA EX EIS CERTOS MORBOS PELLERE DICANTVR, INQVIRENDVM EST. Quippe nullum inueniri pharmacum vi cognita vel incognita, morbos omnes ſanans (quod falſiſſimè & inſcitiſſimè tamen Paracelſici affirmant) & per ſe notum & à Gal. ſæpè affirmatum eſt. DENIQVE QVID VSVS ET EXPERIENTIA DOCVERIT, INDICABIMVS.

6. Cæterum ne qua in verbis hæreat ambiguitas, vocamus occulta pharmaca, quæ ignota poteſtate aliquid agendi donata ſunt, licet occulta nobis ipſa nō ſint. Sic & occultā operationē ſeu actionē nomina-

mus, quæ ab occulta virtute pficiſcitur, licet ipſa nobis operatio notiſſima ſit. Cùm enim ex actionibus dignoſcãtur potentiæ, quî poſſemus de potentia aliqua ſuſpicari, ſi non eam nobis proderet actio?

7. Sciendũ inſuper eſt, nos, qui potentias morborũ curatrices indagamus, de facultatibus effectricibus præcipuè agere: patientiũ rarò, & exempli tantùm gratia, plerũq; mentionẽ facere. Qui de his etiam cognoſcere cupit, ex illarum tractatione, quid ſentiendũ ſit, intelligit.

8. Occulta vulgò dicitur ea virtus, quæ certæ actionis (& quidem notæ nobis) cauſa eſt, ſed ita interim abſtruſa eſt, vt nec quæ nomine appellanda ſit, ſciamus, nec quæ & qualis ſit nouerimus, nec quo inſtrumento ſiue modo agat, vel alij vel ipſi intelligere poſſimus. Quarum enim cauſas ab aliquibus redditas ſcimus, eas, vt maximè ſint abditæ, inexplicabiles tamen prorſus cùm non ſint, impropriè occultas & ἀῤῥήτους nuncupari putamus.

9. Harum facultatum aliæ naturales ſunt, aliæ accidentales: Naturales vocamus, quæ cũ ipſis rebus naſcuntur. Accidentales, quæ poſt ortũ acquiruntur. Naturaliũ porrò aliæ omnibus indiuiduis ſuæ ſpeciei inſunt, vel æ in paucis reperiuntur. Illarũ quæ in omnibus inſunt, duplex rurſus eſt differentia. Quippe aliæ à rebus ſubiectis ſaluis manentibus ſeparabiles ſunt. (Nam & plantæ quædam tranſplantatione vim veneficam, & homines quidam vim alimenti concoquendi amiſerunt) aliæ inſeparabiles inhærent. Et hæ rurſus bipartitæ ſunt. Nam aliæ poſt formæ abolitionem intereunt, aliæ in materia etiam tunc remanent. Illarum exemplũ eſt virtus concoctrix ferri in Struthiocamelo: harum, virtus purgatrix in Rhab, &c.

10. Omnes iam dictæ differentiæ, duobus aptè videntur generibus comprehendi, ſi alias dicamus formales, alias materiales. Quia enim ſunt naturales potentiæ, neceſſarium eſt, vt ab eſſentialibus naturæ cuiuslibet rei principijs manent: quæ duo ſunt tantùm. Forma & Materia. Illas Græci δυνάμεις ὐσιώδεις, Latini formales, eſſentiales, ſubſtantiales vocant: alteras ſcitè Materiales ob id nominãt, quia materiæ & temperamenti ſunt propriæ qualitates.

11. Actionum certè in rebus naturalibus principia effectricia ſunt hæc, Forma, Potentiæ naturales, Habitus, Qualitates primæ; Temperamentum. Ex his habitus principiũ eſt rectè agendi potius, quàm

92. *Etenim ſanitas & morbus, quatenus circa vnam eandemq́ actionem verſantur, vnum idemq́ inſtrumentum viciſſim occupant. Quare neceſſarium eſt, vt ſicut manus eadem, cultro acuto benè, hebeti & obtuſo malè ſecat, ita virtus motrix, actiones edat naturæ conuenientes, cùm naturaliter eſt diſpoſitum inſtrumentum, & eadem actiones producat incongruentes, cùm inſtrumentum idem malè eſt affectum.*

93. *Idem argumento inſolubili ſic demonſtro: Anima (ſicut & aliæ materiales formæ) ſine inſtrumento corporeo, καὶ ἄνευ τοῦ τυγχάνειν, vt loquitur Ariſtot. neq́ mouet, neq́ aliam operationem exercet. Notum eſt pronuntiatum phyſicum, actiones ſunt compoſitorum non componentium. Conuulſio igitur, ſi eſt actio animalis deprauata, non ſine efficientia animæ editur. Si animam non coagere ponas, neceſſariò fateberis, vel conuulſionem non eſſe operationem animalem ſiue noſtram, vel actionem aliquam animalem ſine animæ cooperatione à ſolo inſtrumento edi. Vtrunq́ ex iis eſt, quæ fieri nullo pacto poſſunt. Quare conuulſionis effectrix cauſa eſt anima ſeu virtus animæ mouens, quam κινητικὴν Philoſophi vocant.*

94. *Nec minus ex hoc intelligi poteſt. Cauſa deprauatæ actionis eſt morbus, vt omnes medici affirmant. Morbus autem eſt habitus, aut diſpoſitio partis præter naturam. Conſtat porrò propter habitum aut diſpoſitionem res non agere, ſed melius, aut deterius, facilius aut difficilius agere. Sicut enim culter, quia acutus eſt, non ſecat, ſi quod ipſum moueat, deſit, ita muſculi diſpoſitio muſculum minimè contrahet, ſi motor alius nullus adſit. Quare cùm morbi effectrix cauſa abſq́ interuentu morbi actionem edere nequeat, certum eſt, actionis cauſam, quatenus actio eſt, nec morbum, nec eius cauſam exſiſtere. Itaq́ niſi ab externa re muſculus per vim contrahatur in conuulſionibus, neceſſariò ab anima contrahuntur.*

95. *Argumentum hoc, quia mihi inſolubile videtur, planius exponam. Differunt actio, & actionis vitium. At morbus cauſa eſt, non actionis ſed actionis vitij. Quare impoſſibile eſt, vt morbus cauſa ſit, tum actionis, ſiue motus, qui ab effectrice eius cauſa producitur, tum actionis eiuſdem vitij. Vt enim ſanitas abſq́ cauſa alia mouente, anima ſcilicet, non producit actionem laudabilem, ita neq́ morbus ſine*

cauſa propria efficiente progenerat actionẽ vituperabilẽ. Nã eodẽ modo ab vtraq; diſpoſitione modificatur tantũ, nõ aũt progignitur actio.

96. *Si morbi cauſam lædere, ſeu actionẽ deprauatã producere contendas, laterẽ aut Æthiopẽ laues. Omnis enim cauſa lædit aut producit actionẽ nõ ſine morbo. Quare cùm morbus modi dũtaxat, ſeu vitij actionis cauſa exiſtat, nõ poterit cauſæ plus tribui. Deinde cùm omnis cauſa vel inſtrumentalẽ vel ſimilarem morbum ſuſcitet, nulla autem poſſit muſculos ad eundem modum ad ſua capita retrahere, quo in conuulſionibus retrahuntur, rurſus patet, effugium hîc nullum patere.*

97. *Qui iſta negat, is cogitur etiã negare motũ muſculorũ, qui per cõuulſiones accidit, contrariũ nõ eſſe illi contractioni, quæ per ſocietatem in eiſdẽ euenit. At Medici omnes magno cõſenſu vtroſq; contrarios eſſe, neq; ſolũ differre aſſeuerãt, quòd hæc ab anima rectè agente, illa ab eadẽ nõ rectè agente efficiatur. Cauſa igitur eadem eſt, inſtrumentum quoq; idem, ac ſola inſtrumenti diſpoſitio mutata eſt.*

98. *Actiones ſiue motiones illæ, quas cauſæ morbificæ inuehere ſolæ poſſunt, non habent ſibi contrariã, à qua ſolo vitio diſtent, ſed priuationem tantùm ſeu quietẽ. Sic motui palpitationis non eſt motus aliquis contrarius vitij expers, ſed quies naturalis ſeu motus priuatio. Non enim ſic partes ſecundum & præter naturam ſiue benè ac malè palpitant, quomodo muſculi ſecundum & præter naturam ſiue benè ſiue malè ad ſua capita retrahuntur. Eſt autem diſcrimen hoc motuum diligenter obſeruandum.*

99. *Quiſquis iam intelligit, quæ cerebri facultas per ſanitatem motus præcipiat muſculis congruentes, is ſimul intelligit eandem hanc poteſtatem per morbum præcipere motus deprauatos. Quod ſi inſuper nouit, quo inſtrumento actiones bonas edere ſolita ſit, is perſpicit quoq; quo vitioſas producere conſueuerit. Qui præter hæc cognitam habet diſpoſitionem cerebri ſanam, per quam rectè mouet, is fortaſſe inueniet, quæ ſit conuulſionis natura & eſſentia.*

100. *Quis porrò neſcit ab Ariſtotele in 3. de anima cap. 10. & alibi demonſtratum, appetitum & imaginationem principia eſſe motus eius de quo diſſerimus? Diſputationis concluſionem huc adſcripſiſſe ſufficiet.* ὅλως μὲν οὖν ὥσπερ εἴρηται ἡ ὀρεκτικὸν τὸ ζῷον, ταύτῃ ἑαυτοῦ κινητικόν, ὀρεκτικὸν δὲ οὐκ ἄνευ φαντασίας.

101. *Æquè certum eſt, phantaſiæ (quæ cum appetitione re & ſubiecto eadem eſt) ſedem eſſe cerebrum, ipſamq́; parte aliqua cerebri, tanquam inſtrumento mouere. Etenim tria ſunt in motu hîc. Quod mouet, quo mouet, quod mouetur. Ac mouens quidem eſt phantaſia, vel appetitus. Inſtrumentum autem corporeum quo mouet, ſunt ſpiritus certo modo affecti. Quod deniq; mouetur eſt muſculus. Oſtenſum namq́ue alibi eſt, appetitum abſq; inſtrumento corporeo nõ mouere, quod itidem affirmauit loco citato Ariſt. his verbis:* ᾧ δὲ κινεῖ ὀργάνῳ ἡ ὄρεξις, ἤδη τοῦτο σωματικόν ἐστι.

102. *Non debet autem, quod dicimus ſic accipi, quaſi ſola imaginatio cum appetitu rationis experte in nobis motum cieat. Nam & voluntas, quæ appetitus eſt quidam rationalis mouet. Sæpiſſimè autem illa mouet, voluntate quieſcente. Nunquam enim voluntas membra conuelli imperaret. In conuulſionibus igitur appetitus irrationalis muſculos contrahit. Bruta, inquit Ariſtoteles lib. citato cap. 3. per imaginationem agunt, quia mente carent: homines quoq; non rarò, per eandem operantur:* διὰ τὸ ἐπικαλύπτεσθαι τὸν νοῦν ἐνίοτε πάθει, ἢ νόσοις ἢ ὕπνῳ.

103. *Iterum ergo liquet, conuulſiones effici & à repletione, & vacuatione, & cauſis alijs, non propter neruorum aut cerebri breuitatem, ſed propter imaginationis aut appetitus læſionem. Non enim ob id contrahuntur muſculi, quia vel nerui vel cerebrum in ſe coëunt, ſed quia motum talem imaginatio perperam mandat.*

104. *Ratio eadem eſt, cùm neruos à frigore vel peregrino vapore contrahi aiunt. Etenim in ſe cogi à talibus cauſis minimè inficias eo, ſed propter eam cauſam conuulſiones ſuſcitari, audacter nego. Dolore affecti cerebrũ irritant, ac ſæpè materiam ei, aut qualitatem inimicam communicant, & ſic conuulſionum cauſæ fiunt quidem, at non proximæ.*

105. *Quæ hucuſq; diſputauimus, ita certa ſunt omnia, itaq́; demonſtrata, vt non immeritò ſperem, nullum intelligentem porrò, de veritate & certitudine eorum dubitaturum. Summa eſt, neruos nequaquam muſculos mouere, ſed imperium deferre ſolùm: & ob id conuulſionis ſubiectum primum eos non eſſe. Probaui deinde, eos neq; copia differtos, neq; vacuatione depauperatos ſic decurtari, vt muſculos con*

trahere

trahere poſſint. Tertio loco oſtendi, muſculos nullius conuulſionis autores eſſe, hac vna excepta, quæ à flatibus confertim & ſubitò irrumpentibus cietur. Quare cerebrum (quod poſt neruos inter inſtrumenta motus arbitrarij ſolùm relictum eſt) ſubiectum huius morbi eſſe concluſimus. In hoc enim ſedem habet principium motus arbitrarij: imaginatio ſcilicet ſiue ὄρεξις αἰσθητικὴ (Nam ὄρεξις λόγικὴ locum in hoc morbo non habet.) Tandem huc rem deduximus, vt liquidò pateat, conuulſionem morbum eſſe eius partis cerebri, qua appetitus, vt proprio inſtrumento, primò muſculos mouet.

106. *Dubitare hîc aliquis iure optimo fortaſſe poſſit, vtrum animalis appetitus, ſiue ὄρεξις αἰσθητικὴ, an potius naturalis facultas deprauatos hoſce motus imperet aut exerceat? Tria enim motus in nobis principia reperiuntur, voluntas, imaginatio ſeu appetitus rationis expers, & natura. De duobus primis nullus, de tertio is tantùm dubitat, qui animum ijs, quæ fiunt, non aduertit.*

107. *Hac enim vi diſtribuitur alimentum, vacuantur ſingularum partiũ excrementa, mouentur in ſingultu & vomitu ventriculi tunicæ, efficiuntur criſes, diarrheæ, menſium purgationes, aliæq; ſimiles excretiones. Nec alia eſt virtus, quæ per rigores corpus tanta vi quatit, quæ ſternutationes ciet, quæ diſtillationes & reliquas fluxiones concitat, quæ pulſus cordis & arteriarum producit. Nec dubium eſt, quin ſuos cieat motus, ſiue voluntas & phantaſia agant ſiue quieſcant.*

108. *Hac facultate cerebrum ſpoliare non poſſumus. Cur enim quod omnibus alijs partibus conceſſum eſt, cerebro parti principi negatum putemus? Magis etiam ea opus habet partibus quibuſdam alijs, quæ tactus ſenſu noxia percipiunt. Nam cerebrum hoc ſenſu carere (aut certè obſcuriſſimam habere) docuit nos Chirurgorũ & Anatomicorum ſummorum frequens & accurata obſeruatio. Et quidem in vulneribus tangitur, pungitur, foratur, pars aliqua eximitur abſq; omni ſenſu tactus, licet ratio ſenſuſq; integri ſeruentur.*

109. *Quæritur igitur, vtrum hæc cerebri potentia conuulſiones ciea, an facultas ſiue appetitus ſentiens? Quòd vis naturalis in cauſa ſit, tum alia iam dicta oſtendunt, tum id maximè, quòd ſenſus expers cerebrũ videtur eſſe. Quibus & hoc accidit, quòd cõuulſiones E-*

pileptica, ſternutationes, rigores, aliją́ tales motus plures, nihil tale appetentibus, imò inuitiſſimis nobis accidunt.

110. *Huc etiam Galeni teſtimonium pertinet, qui libro ſecundo de ſymptomatum cauſis capite primo, conuulſionem inſtar palpitationis à ſolo morbo fieri aſſerit. Si verum hoc eſt, non mouet muſculos appetitus, ſed ab hoc aliud quippiam. Quod ſi appetitum concurrere ponamus, ſolius morbi ſymptoma prauus ille motus nequaquam dici poterit.*

111. *His addi poteſt, quod ſternutationes, concuſſiones, quæ ſub initium ſomni accidunt, queą́ in ea Epilepſiæ ſpecie viſuntur, quam aura frigida ex pedibus in cerebrum ſublata excitat, ab hac virtute fieri concedunt. Omnes enim motus admodum ſimiles ſunt conuulſionum motibus. Quamobrem veriſimile eſt, hos etiam ab eadem facultate naturali commoueri: præſertim cùm aliqui abſą́ imaginationis ſenſibili offenſa conuelli videantur.*

112. *Si multos ex prædictis motibus nō prius fieri obijcias, quàm cauſæ lædentis moleſtia ſenſu percepta fuerit, hoc non impedire dicent huius opinionis propugnatores, quin à natura nihilominus fiat. Non enim à dolore ſeu moleſtia illa appetitũ ſenſibilem ſic alterari, vt conuulſionem appetat, ſed naturalem cerebri virtutem ab ea ſic irritari & extimulari contendunt.*

113. *Nemo, puto, ignorat, naturalem vim expultricem ventriculi, inteſtinorum, veſicæ, venarum in Menſenterio ſitarum, à mordacitate ſeu acrimonia humorum & pharmacorum, ad expulſionem noxiorum incitari.*

114. *Etſi probabilis admodum hæc eſt opinio, tamen ſimpliciter vera eſſe mihi non videtur. In cerebro quidem ineſſe facultatem, quæ tùm amica amplectatur, tùm inimica reſpuat et abijciat, non inficior. Neą́ illud etiam nego, quoſdam ex antedictis motibus ab hac facultate produci. Hoc nego, propriè dictas conuulſiones imaginationis læſione, & abſą́ iuſſu appetitus animalis confuſo effici.*

115. *Quippe inexplicabile videtur, quomodo natura muſculos ad eum modũ contrahendo moueat, quo à voluntate per ſanitatem mo-*

nentur

uentur. Si namq; ad ſternutationem, concuſsionem in principio ſomni factã, cõquaſſationes in certa Epilepſiæ ſpecie euenientes (diſtinguere has oportet à conuulſionibus veris, in quibus ad principia ſua muſculi coguntur) depulſiones excrementorum in ſubiectas partes ſingultum, rigorem (&, ſi libet, tremorem) reſpicere velimus, longiſsimè naturæ & imaginationis corruptæ motiones differre perſpiciemus. Sunt enim naturæ hi motus turbulenti, interciſi, breues, & concuſsiones, ſeu quaſſationes, ſeu iactationes potius, quàm muſculorum motiones naturalibus ſimiles videntur.

116. *Deinde ſi ab alia facultate actio ſana vel laudabilis editur, & ab alia rurſus morbida ſeu deprauata efficitur, conuelluntur certiſsima artis noſtræ principia. Perinde hoc foret, ac ſi bonum ſanguinem per ſanitatem à temperamento conueniente iecoris gigni dicas, prauum autem ſeu vitioſum ab animali facultate procreari aſſeras. Morbus & ſanitas circa idem præciſè ſubiectum verſantur, nec eſt ſanitas facultatis, aut inſtrumenti alîus affectio, quàm eius, cuius etiam morbus ei oppoſitus paſsio ſeu affectio exſiſtit.*

117. *Indubitatæ veritatis eſt hoc axioma. A qua facultate & inſtrumento actio ſecundùm naturam propriè & per ſe editur, ab eiſdem etiam, quæ præter naturam fit, editur. Quare ſi ab imaginatione muſculi & membra ſecundùm naturam mouentur, ab eadem quoq; præter naturam mouentur. Differentia in eo eſt poſita, quod in actione naturali facultas & inſtrumentum naturaliter affecta ſunt, at in operatione læſa alterum eorum præter naturam diſpoſitum eſt. Non enim poteſt fieri, vt alîus partis aut facultatis ſit morbus, quàm eius, cuius ſanitas eſt.*

118. *Vana eſt obiectio de fame naturali & morbida. Nam vtriuſque idem eſt ſubiectum & facultas, iudicans inter hanc & illam eadem exſiſtit, licet propter ſimilitudinem ſymptomatis, quod à ſuctu venarum naturaliter, à frigiditate verò contra naturæ morem oritur, perperam ita de hoc, ſicut de illo iudicet phantaſia. Si altera à potentia animali, altera à facultate naturali naſceretur, ſpeciem aliquam veritatis habere videretur.*

119. *Ex modò dictis, alijſq; rationibus multis perſpicuè oſtenditur, quòd tum Galeni teſtimonio ſupra comprobaui, tum ratione firmiſſimè demonſtraui, ab eadem cauſa in conuulſionibus, muſculos prauè moueri, à qua per ſanitatem rectè mouebantur. Quare cùm ſanitatis tempore ab imaginatione ſeu appetitu benè affecto aptè moueantur, in conuulſionibus ab eadem malè diſpoſita ineptè mouentur. Exemplum vertiginis pulchrè negotium declarat, ſicut enim eadem illa facultas, quæ dum valemus, rectos nos ſeruat, vertigine autem correptos in gyrum agit ac ſternit, ita potentia eadem, quæ in ſanis conuenienter mouet, in conuulſis membra diſtorquet.*

120. *Nec eſt ob id neceſſarium, vt cerebrum ſentiat. Quemadmodum enim corrugationem tunicarum oris ventriculi à frigiditate profectam, neruorum opera percipit, ac famem iudicat, quæ fames non eſt, ita alias etiam moleſtias ſentit, ac ſæpè iudicat eſſe, quod non ſunt. Quia verò prauè imaginatur, prauè quoq; mouet.*

121. *In Epilepticis quibuſdam (non eſt enim vna omnium ratio, ſi Galeno credimus) nihil vetat vtrunq; principium, imaginationem & naturam concurrere. Naturæ videntur eſſe motus iſti vibrantes, corpus ita ferè, ſed violentius, quatientes, vt in vehementi rigore. Alterius autem facultatis ſunt membrorum diſtortiones. Sæpè contingit, præſertim in excrementorum vacuationibus, vt animalis motus concurrat cum naturali.*

122. *Cùm dicitur inuitis nobis fieri, non ſequitur ab imaginatione non fieri. Diſtinguere inter facultatem mouentem ſeu appetitum ratione carentem, & facultatem rectè iudicantem oportet, ſi explicatam volumus hanc difficultatem: cùm inter ſe manifeſtò differant. Quia enim vna facit, quod alteri diſplicet, diſcrepantes eſſe facultates intelligimus. Ratio aliquando iubet non imaginari falſa, quæ ſemidelirantes aut ſemimelancholici imaginãtur, non tamen non imaginari talia poſſumus. Huc Gal. locus de ægroto pertinet, qui tubicines imaginabatur, vbi nulli erant.*

123. *Pleriq; certo inter agendũ geſtui, vel inter loquendum crebræ vocis alicuius ad orationem non pertinentis repetitioni ſic aſſueuerunt, vt, quamuis moniti maximè abſtinere velint, non poſſint tamen.*

tamen. Sicut igitur multi partim neſcientes, partim inuiti, dum agunt aliquid vel loquuntur, propter ſolam conſuetudinem, aut ringunt naſum, aut diſtorquent labra, aut agitant caput, aut nutitant inconcinnè corpus, aut quoties aliquem vel cadere, vel nixu magno agere aliquid vident, velut opitulaturi membra muſculosq́ intendunt, ita ferè per morbum à phantaſia ægra conuelluntur partes nobis inuitis, aut non aduertentibus. Gal. lib. 2. de motu muſc. plurima ſcribit, quibus, quod dixi, illuſtratur & confirmatur.

124. *Vtrum autem ſine imaginationis læſione, & quando, conuulſiones fiant in ſequentibus declarabitur. Nunc ad Gal. locum paulò ante citatum reſpondeo, nomen conuulſionis bifariam accipi, quoties pro ſymptomate ponitur, propriè ſcilicet ac impropriè vt ex antedictis patuit. Si de propria Gal. verba accipias, omnino falſum videtur, quod aſſerit, licet cum hypotheſi de neruorum breuitate (Quam rebus conſentaneam non eſſe demonſtrauimus) pulchrè conueniat. Si de eo ſpaſmo interpreteris, qui vitio muſculorum flatu diſtentorum oritur, verum eſt, quod ſcribit. Hic enim à ſolo morbo ſiue cauſa inſtar palpitationis (quæ cũ vera cõuulſione nihil ſimile habet) naſcitur.*

125. *Neceſſarium ergo eſt, vt in conuulſionibus morbida quædam cerebri diſpoſitio ſic ferè ſpiritus, & per conſequentiam phantaſiam, ſiue appetitum impellat ad malè agendum, quomodo ſanitas eundem ad proſequendum bona, & fugiendum mala naturæ congruenter incitat. Vt enim appetitus moueat, excitari eum à ſpecie ab imaginatione oblata, quam vel expetendam, vel fugiendam iudicet, oportet. Semper enim apprehenſio boni & mali perſecutionem & fugam præcedit, etiamſi hoc adeò fiat obſcurè & confuſè, vt à nobis non benè percipi poſſit: de qua re legi debent Ariſtot. 3. de Anim. cap. 11. & Gal. de motu muſc.*

126. *Etſi enim propter animæ vnitatem eodem propè momento illo, quo recepta aut percepta ſpecies eſt, appetitus vel expetat, vel auerſetur aliquid, tamen natura præcedit appetitionem & fugam perceptio. Sic eodem ferè puncto temporis, & ex punctione dolorem percipimus, & membrum retrahimus, priuſquam ſcilicet ratio aut imaginatio videatur decreuiſſe fugiendum eſſe. Ita vno ſimul tempore, & rem terribilem videmus, & concutimur. In cauſa eſt, quod eodem*

modo hic afficimur, quomodo bruta res inimicas citra ratiocinationem fugere cernimus.

127. *His expoſitis reſtat, vt quiſnam, ſiue ex quo genere morborum conuulſio ſit indagemus. (Etenim morborum alij ſimilares, alij inſtrumentales ſunt, & dicuntur) Quam ſit difficilè futurum, ex authorum diſcrepantibus opinionibus colligere licet. Idem ex eo perſpicitur, quod nulli hanc rem inueſtigare orſi ſunt. Sed & illa, quæ hucuſq; diximus, idem euidenter ſatis probant. Gal. etiam non diſsimulauit, cùm ſic ſcripſit,* ἥτις δ' ἀκριβῶς ἐστὶν ἡ αἰτία τοῦ νοσήματος ἐφ' ᾧ σπᾶται τὰ μόρια, χαλεπὸν εἰπεῖν. *Cæterum vt maximè hic ſcopum perinde vt in ſupradictis non attingam, non tamen non debui alijs viam præſtruere conari, & ad eius inquiſitionem feliciora ingenia inuitare.*

128. *Principium diſquiſitionis hoc fuerit, vt qualeſnam actiones ſint imaginatio & appetitio conſideremus. Si enim ſimilares ponas, ſimilaris erit morbus, eas primò lædens. Si inſtrumentales ſtatuas, ab inſtrumenti vitio eas impediri, ſtatuere ſimul oportet. Nunquam enim vel intemperies inſtrumentalem actionem, vel ſtructura vitioſa ſimilarem actionem oblædet, niſi vel illa ſtructuram corruperit, vel hæc temperiem ſimul immutauerit.*

129. *Quia verò in 4. lib. Antiparacelſ. diſput. expoſui, quænam actio purè ſimilaris, & quæ purè inſtrumentalis, denique etiam quæ ex his mixta ſit, hic non repetam. Ibidem clarè & firmè quoque probaui, actiones cerebri animales vocatas, neutiquam eſſe purè ſimilares. Quare nihil dubitandum, quin imaginatio & appetitio inſtrumentalium actionum naturam participarint. Si purè inſtrumentales non eſſe contendas, ſed miſtas eſſe dicas, qualis eſt cordis motus, non pugnabo. (parum enim hoc nobis vel commodat, vel incommodat) modo illud etiam des, nec purè ſimilares eſſe. Quod enim participarint naturam inſtrumentalium, ex eo patet, quòd actionis inſtrumentalis (nempe motus ſecundum locum) ſunt authores.*

130. *Sequitur ex his, conuulſionem inſtrumentalem eſſe cerebri morbum, licet ab intemperie quoque induci poſsit, cùm huc vſque aucta, impreſſaq; eſt, vt ſpiritus animales, aut aliud quippiam ad cerebri ſtructuram pertinens perturbet, ac labefactet. Equidem ſpirituum*

ſpirituum opera præcipuè obeuntur actiones animales vniuerſæ,tametſi reliquus apparatus inutilis non ſit.

131. *Quod ſi iam ſciremus,quomodo motis ſpiritibus rectè imaginetur & appetat animal,haud difficulter illud etiam perſpiceremus, quomodo eiſdem motis perperam has actiones exerceat. Sed quia laudabile eſt,quædam neſcire velle(quæ ſcilicet captum ingenij ſuperant)vlterius progredi ne tentare quidem auſim.*

132. *Hoc interim ratione vſuq; edocti aſſerimus,non quamlibet ſpirituum offenſionem,à qua imaginatio turbatur, conuulſiones ciere, ſed illam tantùm,quæ ineffabili quadam moleſtia cerebrum vellicat. Probant hoc abundè ſatis conuulſiones,quæ ab acri et putrida ſanie, ab aura venenata,à morſu oris ventriculi,&c.oriuntur.*

133. *Equidem neq; vno omnes modo deſipientiæ fiunt. Aliæ propter ſolum ſpiritum inordinatè motum accidunt:quod inopinato ac vehementi terrore perculſis vſuuenit. Neſciunt enim tales quid agant, aut dicant. Quædam à vaporibus cum ſpiritu miſtis ſuſcitantur:quod ebrijs,ſomniantibus,& ex profundo ſomno nuper experrectis euenit. Sed hæc deliria breuia ſunt ac tenuia: quia permiſti vapores pauci ſunt ac benigni.*

134. *Quod ſi & multi ſint,& mala ſeu peregrina qualitate præditi,grauiora inferent deliria, ſicut in febricitantibus fieri videmus. Viſi quoq; ſunt nonnulli delirare propter ſolam in ſpiritibus factam alterationem.*

135. *Quæ temperationis cerebri oblæſione accidunt,diuturna ſunt. Alteratur hæc duobus modis. Etenim vel humoris præſentia temperamentum cerebri mutatur quidem,ac mutatum nondum eſt, vel mutatum iam eſt. Priore modo Maniaci, & Melancholici inſaniunt,qui ad ſe redeunt. Poſteriore modo ij laborant,qui ab inſania non amplius liberantur.*

136. *Delirant etiam ægri in febribus propter vaporum ex inferioribus partibus ſublatorum copiam & qualitatem calidam.(Hæc enim mobiliores iuſto ſpiritus reddit,)verùm non conuelluntur hi omnes,niſi vel qualitate quadam innominata,vel modo quodam nobis ignoto,cerebrũ eiuſq; ſpiritus exagitent:qualem etiam frigiditas vehementior cerebro per neruos cõmunicata gignere conuulſionẽ poteſt.*

137. *Nec pugnat,quod diximus cum ſupradictis. Etſi enim frigiditas (ratio eadem eſt in caliditate) per ſe ſimilarem actionem impedit,non inſtrumentales (quales cerebri animales operationes eſſe probauimus in diſput. Antiparacelſ.) nihil tamen prohibet, quin imaginationem & appetitionẽ ab ea lædi putemus. Primò quia miſtæ ſunt, non purè ſimilares. Secundò, quia ſpiritus animales primum animæ inſtrumentum facilè per alterationem amittunt hoc,propter quod inſtrumentalem naturam participarunt. Tertiò,quia intemperies vitioſa cerebri,ineptos ac vitioſos ſpiritus generat. Poſtremò,quia præterquam,quod ſtructuram cerebri promptè corrumpunt,etiam mordicando & vellicando moleſtiam ei quandam creant.*

138. *Quid ergo fuerit aliud conuulſio,quàm morbida ſpirituum & cerebri diſpoſitio, à qua imaginatio appetitui iuncta ſic vitiatur, vt muſculis violentam illam contractionem,per quam membra inuitis nobis diſtorquentur,imperet? Hac generali deſcriptione cõtenti erimus, dum propius animalium operationum inſtrumenta proxima cognoſcere,intueriq; non concedetur.*

139. *Talem ferè ſpaſmi eſſe deſcriptionem,illa quoq; ratio minimè leuis probat,quòd,cum tàm multæ ac diſpares, adeoq; contrariæ cauſæ conuulſionem efficiant,nihil facilè poſſit excogitari vnum, quod à ſingulis efficiatur,præter antedictam cerebri diſpoſitionem. At neceſſarium eſt,vt vnam eandemq; ſingulæ affectionem (quæ prima, proxima,& καθόλου cauſa ſit conuulſionis muſculorum) ſuſcitent: niſi tot libeat ſpaſmi ſpecies conſtituere, quot ſunt cauſæ eum introducere potentes:qua opinione nulla fuerit abſurdior.*

140. *Quid ſi vertiginis contemplatio nobis aditum paret ad pleniorem intelligentiam? Fortaſſe ſimili quadam ratione propter motos certo modo ſpiritus naſcitur conuulſio,quo propter eoſdem in orbem actos inordinateq; motos,corpus velut circũagitur ac ſternitur. Vt hic viſa in orbẽ verti iudicat imaginatio dũ ratio integra permanet,ita in conuulſione dũ ratio læſa eſt,muſculos perperã mouendos eadẽ ſtatuit.*

141. *Si naturam conuulſionis veritati conſentaneè declarauimus, minore negotio reliquas partes ſuperabimus,& dubitationes, quæ hic emergunt, enodabimus. Primum quæri poteſt,cur omnes ferè ante mortem parte aliqua corporis,maximè circa faciem conuellantur.*

142. *Cauſa huius accidentis eſt, quòd cerebri temperies exſtinguitur et emoritur, ex qua re modeſtia quadã ſingulari afficitur. Quod etiam ſpiritus naturæ congruenter affecti non ſint, admonitione opus non habet.*

143. *Sed cur potius, hi quàm illi muſculi, ſæpius ac promptius conuelluntur? Accidit hoc, quia cerebro ſunt viciniores, vel quia à natura, vel à morbo facti ſunt iniuriæ magis obnoxij: vel quia rei expetendæ perſecutioni, aut fugiendæ fugæ præcipuè deſtinati ſunt: vel quia per illud tempus (quacunq́; id tandẽ occaſione acciderit) cæteris ſunt debiliores: vel quia propter ſingularem indiuidui proprietatem quandam celerius & facilius cerebri affectionibus compatiuntur.*

144. *Idem quoq́; de conuulſionibus per conſenſum natis ſentiendum, quoties venenatus vapor imaginationem turbans cerebrum ſingulari quadam moleſtia vexat. Satis hoc probant vapores, & aura venenata ex vtero, alijſq́; partibus aſcendentes, comitialemq́; morbum inducentes.*

145. *Quæritur etiam, cur abſq́; delirio aliqui conuelli videantur? Sic enim conuelli putantur, in quibus cerebrum alijs partibus compatitur. Reſpondeo, nunquam fieri vt aliquis citra omnem imaginationis læſionem conuellatur, niſi cùm mali cauſa in ſolis muſculis conſiſtit. Nam qui propter conſenſum neruorum vteri, aut ventriculi conuelluntur, ſi attentè obſerues, prorſus videbis eos malè imaginari. Vidi nobilem mulierem tetano, & puerum opiſthotono affectum (illa conualuit, hic perijt) multas etiam vteri vitio, & alios ex vulneribus conuelli: at illæſam prorſus imaginationem non vidi.*

146. *Nec fieri poteſt vt aliter habeat res. Etenim oſtenſum eſt, motus voluntarij principiũ eſſe τὴν ὄρεξιν, quæ ſine phantaſia non eſt. Quare neceſſarium eſt, vt impediti huius motus cauſa, eiuſdem illius facultatis, ſiue inſtrumenti per quod opus ſuum exſequitur, vitium exiſtat: quoties videlicet muſculus non eſt præter naturam affectus, & neruus imperium ſine impedimento tranſportat.*

147. *Fieri quidem poteſt, vt in breui conuulſione breuis ſit appetitionis & imaginationis læſio: at nulla ſi ponatur eſſe, muſculos præter naturam non mouebit. Percipitur ergo in ipſo ſpaſmi actu, moleſtia quadam, quæ appetitum ad malè mouendum cogit, licet propter*

breuitatē temporis, aut læſionis paruitatē non animaduertatur.

148. *Quæritur præterea, qui conuulſio propter affectos neruos fiat, cùm nulla ex ipſis ſubſtantia, aut qualitas realis effertur, ſed ſola nerui alteratio, propter continuitatem percipitur? Reſpondeo. Si nihil iam dictorum tollatur, haud facilè dictu eſſe, quidnam alteret cerebrum. Quomodo verò deprauari dicemus actionem muſculi, ſi nec in muſculo nec in cerebro vitium vllum inſit? In neruo fingere cauſam non poſſumus ineſſe, dum virtutem mouendi à cerebro ad muſculum defert. Quo pacto etiam ægrotabit cerebrum, ſi ad ipſum ex affecto loco nihil effertur?*

149. *Aſcendere aliquid ſatis docent conuulſiones Epilepticæ ab aura aſcendente concitatæ. Item, quod ſimul etiam delirant ægri. Item quod Galen. vulnera neruorum dilatari præcipit, vt virus exſpiret: ac medicamenta adhibet, quæ citra morſum exſiccare, & ex alto euocare vitioſos humores, aut vapores partium ſuarum tenuitate, ac diſcutere valeant. Interdum eandem ob cauſam neruum præcidit, ne quid ſecundùm cum porrò aſcendere poſſit. Item 3. de aff. loc. cap. 7. & libro 5. cap. 6. non ſine vapore, aut ſpirituali ſubſtantia fieri cenſet.*

150. *Vlterius quæri poteſt, quomodo ſola tum repletio tum inanitio cauſæ ſint conuulſionis? Equidem vt ſupra dixi, clariſſimi medici, (ipſe etiam Gal. aliquando) tertiam ſpeciem addere ſunt coacti. Reſpondeo: Omnis conuulſio, quam aut humor aut vapor (quantumuis paucus) ſuſcitat à repletione, id eſt à redundante & inutili ſubſtantia profecta dicitur. Ab inanitione oritur, quæ ob defectum innati ſpiritus ac humoris cerebri accidit. Quare à repletione facta eſt, quam propotionem non habere cum materia dicunt. Non enim requiritur ea copia, quæ neruos dilatando contractiores efficiat.*

151. *Eodem modo ſingultus fit à repletione, quoties aliqua ſubſtantia os ventriculi vel quantitate & copia, vel vitioſa & inimica qualitate moleſtat. Ab euacuatione oritur, cùm propter conſumptionem humiditatis inſitæ, triſtis in eo ſenſus naſcitur, aut congenitus eius calor extinguitur.*

152. *Facilè ex prædictis intelligitur cur conuulſiones cerebri vitio*

exortæ

euerta latales ſint, cùm eas, quæ per conſenſum fiunt, non perinde exitioſas experiamur. Etenim quæ cerebri temperationem non deſtruunt, per ſe non occidunt, ſed quia eis accidit, vt vel reſpirationem, vel cibi ac potus deglutitionem impediant, vel doloribus & vigilijs ægros lacerent, mortem aliquando inferunt.

153. *Patet etiam, cur ab inanitione orta conuulſio & ſingultus inſanabiles exſiſtant. A repletione verò excitatæ, frequenter ſanari ſoleant, vt cùm ex infinitis alijs locis tùm ex 1. Epid. com. 2. text. 24. apparet. Quis non legit ab vtero conuulſiones periculo plurimum carere? At hæ à plenitudine fiunt. Quod ſi per ſiccitates, ſeu inanitiones non abſumptum eſſet calidum natiuum, nec vires proſtratæ iam eſſent, non negaretur ſpes ſalutis.*

154. *Cur porrò muſculi tot aliquando contracti manent horis, aut etiam diebus? Conuulſio perpetua à ſolo morbo oritur, interrupta, & per conſenſum facta, plerunq; fit natura coagente, & rem noxiam pellere tentante. Continuationis exemplum in Catalepſi habemus. Dum enim perſeuerat morbus, eiuſdem quoq; manet effectus. Natura cùm in partem aliquam incitata eſt, non ſemper ſe, cùm vult, cohibere poteſt. Quocirca mirandum non eſt, ſi quod male cœpit, morbo augente malè agere pergat.*

155. *Non parum hic adiuuat Naturam prauè agentem, obliuio, cuius occaſione ex delirantibus aliqui reſpirare, cibum ori inſertum deglutire, poſtulata matula mingere, obliuiſcuntur. Sani quoque frequenter, quod agere cœperãt, animo rebus alijs intento, diutius agunt, quàm propoſitum habuerant: locumq; prætereunt, ad quem ibant, & amicos occurrentes non agnoſcunt. Sic dormientes pugnum, in quo aliquid ſeruare cupiunt, tota ſæpè nocte clauſum detinent.*

156. *Quo pacto, inquiat aliquis, imperat animus motum, quoties ægri ſe conuelli neſciunt, ſi neceſſarium eſt, vt cognitio perpetuò præcedat appetitionem? Conuulſio non aliter fit in nobis, quàm in brutis. Et fiunt multi in nobis quoq; motus, qui non ſemper diſtinctè mandantur à voluntate, ſeu appetitu. Sic reſpiramus, ac nictamus oculis neſcientes. Sic aliqui tùm vigilantes, tùm dormientes ſtrident dentibus: aliquibus etiam inter dormiendum manus diſtorquentur: alij loquuntur, ambulantq; in ſomno, quod de ſeipſo Gal. affirmat lib. 2. de mot.*

muſcul.cap.4. Horrent omnes res terrificas vel per ſomnum videntes vel per vigilias audientes, oſcitantq́; alios oſcitare videntes. An in comitialibus non animaduertimus motum imperari ad excutiendum noxia, tametſi nos id ignoramus? Saltem meminerimus, quomodo aliquando ſub initium primum ſomni concutiamur, & cadere nobis videamur. Bruta hæc eſt appetitio, non rationalis.

157. *Cur pars vulnerata vel læſa interdum conuellitur, oppoſita autem reſoluitur? Euentus cauſa non eſt obſcura. Nam de vapore de parte offenſa ad cerebrum ſublato conuellitur: ex percuſſione (& interdum virtutis imbecillitate) moti humores in parte altera neruos ſubeunt, & reſolutionem obſtruendo efficiunt. Frequentius enim reſolutio à bono ſed nimio ſucco prouenit: conuulſio à mordace, pungente, putrido, & venenato. Fieri quoque poteſt, vt natura ad læſam partem conuerſa oppoſitos neruos velut deſerat & negligat.*

158. *Cur verò nullo vulnere inflicto, aliáue ſimili cauſa accedente, vtraq́; eodem tempore affectio accidit? Etenim frequenter conſpicimus ægrotos ſimul conuelli & reſolui: præſertim morti iam vicinos. In cauſa tunc eſt virium cerebri exſtinctio, vt non ſufficiat omnibus partibus. Itaque dum totis viribus partem vnam mouet, reliquas deſerit. Fortè etiam propter retentricis imbecillitatem humores temerè diffluentes neruos aliquos obſtruunt, dum partes aliæ quædam conuelluntur.*

159. *Obſcurior eſt cauſa contrarij accidentis, cur ſcilicet parte læſa in capitis vulneribus non conuulſa, oppoſita conuellatur quod Hip. affirmauit? In cauſa eſſe poteſt, muſculorum partis læſæ reſolutio. Tunce enim oppoſiti conuelli videntur, διὰ τὴν ἀδελφίαν. Poteſt etiam fieri, vt puris particula in oppoſitam partem perlata exitum non inueniens, vlterius putreſcat, inimiciorq́; efficiatur. Hipp. certè eſſe purulento facto euenire ſtatuit. Poteſt non minus virulentus vapor affectum ſeu ægrum latus ſtupefacere, dum oppoſitum conuellit. Poteſt deniq; maligna ſubſtantia in oppoſita potius, quàm in percuſſa parte colligi. Sic enim ea nonnunquam conquaſſatur, vt vaſa rumpentur, aut caluaria findatur, aut humor ibi contentus diffluens putreſcat, conuulſionesq́; cieat.*

160. *Omnium*

160. *Omnium difficillimũ eſt videre, qua ratione motus Hippocrates ſcripſerit Regi Demetrio, σπασμοὶ πᾶσι τοῖς μελαγχολικοῖς προσγινόμενοι παύουσι τὰς μελαγχολίας? Contrarium in Coac. preſag. continetur, in his verbis, ἐν τοῖσι μανικοῖσι σπασμὸς προσγινόμενος ἀμαύρωσιν, ἴσχει. Hîc enim palàm aſſerit, ſpaſmum maniæ ſuperuenientem ad nihilum redigere ægrum, ibi Melancholiam ſoluere ait. Sed & Melancholicum ſuccum, ſi ad mentem repat, amentiam: ſi in corpus declinet, comitialem parere cenſet.*

161. *An conuulſionem ſolam Melancholiam propriè ſic vocatam ſoluere putauit? non autem Maniam? Si porrò conuulſio Melancholiam ſoluit, propter conquaſſationem ſoluere videtur. Sic enim per rigores quartanæ conuulſiones depelli putat Galenus 3. Aphor. 30. Hinc fortaſſe voluit, ſanguinem melancholicum in vaſis contentum, & exhalatione ſua ſpiritus turbantem, ad neruorum principia vel ſpinalem medullam tranſpoſitum conuulſionem inuehere, ſoluta amentia. Videtur huc etiam pertinere, quod in 4. de rat. vict. acut. expoſ. text. 27. Gal. ſcribit.*

162. *At obſtat, inquies, quod ſtructura cerebri læſa, comitialem ab eo gigni ait, non deſipientiam. Lædit autem corpus, quod ventriculos infeſtat. Non quicquid quouis modo cerebri ventres lædit, inſtrumentalem eius diſpoſitionem deprauat. Poteſt enim ventriculorum aut ſpirituum temperatio alterari mutatione in apparatu inſtrumentali nulla facta. Deinde non eadem prorſus eſt morbi comitialis & conuulſionis ratio. Nam conuelluntur multi abſq; comitiali morbo.*

DISPVTATIO XXII.

De Amuletis.

QVoniam hoc tempore ſunt, qui remedia occulta (ſpecifica ab ipſis nominata) effuſiſſimè laudant, & alij reperiuntur, qui eorum in curandis morbis internis nullum, aut certè perexiguum vſum eſſe cenſent, digna videtur quæſtio eſſe, in qua explicanda ſtudij, atq; operæ aliquid ponatur.

2. *Si veteres Græcos ſpectemus, negligenda eiuſmodi pharmaca*

arbitraberis. Etenim rarò admodum eis leguntur vſi: nec ſolis hiſce vnquam morbum aliquem pellere tentarunt. Fecerunt eorum aliquando mentionem quidem, ſed parcè ac ſobriè (plurima quoq; manifeſta & nota vi agunt, quæ ipſi latentè agere indicarunt) nec prius vſurparunt, quàm ratione inuentis nihil ſe proficere vidiſſent. Monuerunt inſuper, ne eis magnoperè confidamus, ſed methodo inuentis potius vtamur.

3. *Equidem & vetuſtiores aliqui vt Aëtius ac Trallianus (vt cæteros præteream) interdum alijsq; remedijs admiſcent* φυσικὰ περίαπτα ἢ περιάμματα, *(Lucianus* παραρτήματα *vocat)* πρόσαπτα *&* ἀποτρόπαια *ab ipſis appellata. Quantam verò talibus fidem habuerint, ex multis eorum teſtimonijs patet: vt ex cap. 5. Aut.lib. de renum affect. & cap. 15. lib. 1. Tralliani, & 2. lib. 2. Gal. de compoſ. medicamentorum* κατὰ τόπους *perſpicere vnusquiſq; poterit.*

4. *Noſtra ætate contra non impoſtores ſolùm atq; imperiti, ſed etiam docti & boni viri aliqui, tantum his remedijs tribuunt virium, itaq; iudicant neceſſaria, vt nullum ferè morbum grauiorem abſq; his percurari poſſe opinentur, & præ his arte ac methodo inuenta, penè pro nihilo ducant.*

5. *In hac ſententiarum diſtractione pariter & inconſtantia ſi veritatẽ aſſequi deſideremus, videre nos oportet,* PRIMO QVIDEM, QVID SIT OCCVLTA SEV SPECIFICA VIRTVS, QVOTVPLEX EA SIT, ET QVAE EARVM SINT DIFFERENTIAE. DEINDE, QVID GAL. DE HIS SENSERIT. POSTMODVM, QVIBVS MORBIS MEDERI POSSE PVTENTVR, ET QVA RATIONE ALIQVA EX EIS CERTOS MORBOS PELLERE DICANTVR, INQVIRENDVM EST. *Quippe nullum inueniri pharmacum vi cognita vel incognita, morbos omnes ſanans (quod falſiſſimè & inſcitiſſimè tamen Paracelſici affirmant) & per ſe notum & à Gal. ſæpè affirmatum eſt.* DENIQVE QVID VSVS ET EXPERIENTIA DOCVERIT, INDICABIMVS.

6. *Cæterum ne qua in verbis hæreat ambiguitas, vocamus occulta pharmaca, quæ ignota poteſtate aliquid agendi donata ſunt, licet occulta nobis ipſa nõ ſint. Sic & occultã operationẽ ſeu actionẽ nomina-*

mus, quæ ab occulta virtute pficiſcitur, licet ipſa nobis operatio notiſſima ſit. Cùm enim ex actionibus dignoſcãtur potentiæ, quî poſſemus de potentia aliqua ſuſpicari, ſi non eam nobis proderet actio?

7. Sciendũ inſuper eſt, nos, qui potentias morborũ curatrices indagamus, de facultatibus effectricibus præcipuè agere: patientiũ raró, & exempli tantùm gratia, plerũq; mentionẽ facere. Qui de his etiam cognoſcere cupit, ex illarum tractatione, quid ſentiendũ ſit, intelligit.

8. Occulta vulgò dicitur ea virtus; quæ certæ actionis (& quidem notæ nobis) cauſa eſt, ſed ita interim abſtruſa eſt, vt nec quo nomine appellanda ſit, ſciamus, nec quæ & qualis ſit nouerimus, nec quo inſtrumento ſiue modo agat, vel alij vel ipſi intelligere poſſimus. Quarum enim cauſas ab aliquibus redditas ſcimus, eas, vt maximè ſint abditæ, inexplicabiles tamen prorſus cùm non ſint, impropriè occultas & ἀῤῥήτους nuncupari putamus.

9. Harum facultatum aliæ naturales ſunt, aliæ accidentales. Naturales vocamus, quæ cũ ipſis rebus naſcuntur. Accidentales, quæ poſt ortũ acquiruntur. Naturaliũ porrò aliæ omnibus indiuiduis ſuæ ſpeciei inſunt, vel æ in paucis reperiuntur. Illarũ quæ in omnibus inſunt, duplex rurſus eſt differentia. Quippe aliæ à rebus ſubiectis ſaluis manentibus ſeparabiles ſunt. (Nam & plantæ quædam tranſplantatione vim veneficam, & homines quidam vim alimenti concoquendi amiſerunt) aliæ inſeparabiles inhærent. Et hæ rurſus bipartitæ ſunt. Nam aliæ poſt formæ abolitionem intereunt, aliæ in materia etiam tunc remanent. Illarum exemplũ eſt virtus concoctrix ferri in Struthiocamelo: harum, virtus purgatrix in Rhab, &c.

10. Omnes iam dictæ differentiæ, duobus aptè videntur generibus comprehendi, ſi alias dicamus formales, alias materiales. Quia enim ſunt naturales potentiæ, neceſſarium eſt, vt ab eſſentialibus naturæ cuiuslibet rei principijs manent: quæ duo ſunt tantùm. Forma & Materia. Illas Græci δυνάμεις ὐσιώδεις, Latini formales, eſſentiales, ſubſtantiales vocant: alteras ſcitè Materiales ob id nominãt, quia materiæ & temperamenti ſunt propriæ qualitates.

11. Actionum certè in rebus naturalibus principia effectricia ſunt hæc, Forma, Potentiæ naturales, Habitus, Qualitates primæ; Temperamentum. Ex his habitus principiũ eſt rectè agendi potius, quàm

agendi ſimpliciter: atq; in pharmacis, quæ anima carent, cùm propinantur, locum non habet. Qualitates quoq; primæ huc non pertinent, vbi de occultis viribus quæritur. Formæ etiam non edunt actionem definitam abſq; ſuis potentijs. Rurſus ergo patet, abſtruſas facultates vel ad formam, vel ad temperamentum reduci.

12. Quanquam non inficior quaſdam inueniri, quæ ad neutrum genus rectè videantur referri: (inter quas magnetis virtus mihi aliquando viſa eſt numeranda) docent tamen rationes modò poſitæ, aut naturales non eſſe, aut ſub his comprehendi. Omnes enim naturales vires neceſſariò vel à forma, vel à materia, vel ab vtriſq; pronaſcuntur. Quæ ab vtriſq; his principijs originem ducunt ambiguæ facilè videri poterunt.

13. Iam quod magnũ ſit inter vtrunq; genus diſcrimen, certũ eſt. Priores enim cùm ſint formarum veluti partes, neceſſariò in cunctis ſuæ ſpeciei indiuiduis inſunt, & cum formis adſunt pariter & abſunt. Poſteriores, etſi abſq; formarũ efficientia non omnes oriuntur in ſubiectis ſuis: poſt formarum receſſum tamen in eiſdem perſeueranter inhærent, cùm ſint qualitates materiæ certo modo miſtæ, Rhabarbari ſanè radix, amiſſa vita, non ſegnius purgat, quàm recenta. Tria enim vim pullulandi (non autem purgandi) manifeſtè perdidit. Ratio par eſt aliorum.

14. Fruſtra hic aliquis ad formam cadaueris (ſic liceat nominare) confugerit, quaſi huius ſit potentia virtus illa purgatrix. Eſt enim prorſus ἀδέσποτον, vt virtus, quæ in materia pluribus ſibi ordine ſuccedentibus formis informata perſeuerauit, alicuius ex illis formis proprietas fuerit. Non enim ſecundæ, aut tertiæ, aut vltimæ attribuetur, quia ante earum aduentum inerat. Nec primæ, quia ipſa recedente non receßit. Succus Scammoniæ viuæ & mortuæ in chylum mutatus, in ſanguinem conuerſus, in lac tandem tranſmutatus, purgandi vim adhuc retinet.

15. Differunt præterea, quòd formales in cunctis ſpeciei cuiuslibet indiuiduis neceſſariò inſunt: cum materiales in paucis duntaxat ineſſe poßint. Forma nanq; vna, ſimplex, immutabilis, in omnibus euſdem ſpeciei indiuiduis ineſt, & nec magis nec minus recipit. Materia

teria autem mutabilis eſt, atq; ita varia, vt nunquam in duobus prorſus ſimilis reperiatur: (Hinc indiuiduorum diſcrimina oriuntur) licet hæc eius varietas & mutabilitas certo nihilominus ambitu circumſcripta teneatur.

16. Hinc fit, vt ſæpenumero vni alicui exitioſum ſit, quod alijs omnibus vel plerisq; gratum eſt ac familiare: & è contra. Iacobus Foroliuius inſignis ætate ſua medicus & Philoſophus, ſic ab allio affectus, ſi fortè ediſſet, fuiſſe ſcribitur, vt à veneno. Ipſe aliquos vidi ab ouillarum carnium eſu, cùm inſcientes comediſſent, ſic purgari, vt in graue periculum vitæ inciderent, cùm infiniti alij ſuauiter & probè eis alantur. Noui medicum (inquit Puteanus) inſignem et egregium, qui ſi ventrem fluidum obdurare velit, catapotia ex aloë deglutit, à quibus ei ſiſtitur aluus. Franc. Picus Mirand. Princeps lib. de vanit. doctrinæ gen. 2. cap. 22. ſic ſcribit: Noui qui aloës ſuccum exſiccatum comedant vt panem. Albertus filiolus trimulus nutricem extimulauit ad propinandum potionem Rhab. ſolo ſenſu blando ductus: quæ vermium cauſa primùm data fuerat. Author quoq; lib. ad Piſonem cap. 4. aſſerit, aliquos à purgantibus non commoueri.

17. Differunt tertiò, quod materiales potentiæ tunc etiam à ſubiecto ſeparari poſſint, dum forma ipſum adhuc informat & poſſidet. Equidem inter priuationem & habitum formæ, partium materiæ diminutiones, auctiones, alterationes, deprauationes plurimæ interueniunt. Etſi enim temperamentum cuiuslibet rei certam habet circumſcriptionem, vt nuper diximus, ſatis magnam tamen habet latitudinem formæ permanſioni conuenientem, vt minimè neceſſariũ ſit, ipſo quouis modo mutato, rem forma ſua ſpoliari. Quare vel gradu temperamenti, vel parte materiæ (in qua inſidebat ea virtus) mutatis, remitti aut deperdi poteſt aliqua eius proprietas, forma in ſubiecto perdurante. Hinc eædem plantæ ſpecie, non eaſdem in locis omnibus vires conſeruant.

18. Intereſt hoc etiam, quod eſſentiales potentiæ actu ſunt, alienaque opera non egent, vt ſecundos actus promant, cùm ſecundùm naturam affectæ ſunt. At materiales, niſi alieno beneficio de potentia ad actũ reducantur, agere nunquã poſſunt: licet res ſubiectæ naturaliter ſint affectæ. In pharmacis manifeſtum hoc eſt, quæ ad hoc, vt vires

actuſq́ ſuos exſerant,congenito calore indigent,quia ea ad agendum velut excitet,habiliaq́ efficiat.

19. *Hanc ob cauſam illæ tantò agunt illuſtrius,quantò ſubiectum, cuius ſunt proprietates,eſt integrius & perfectius,hæ autem vix agunt,niſi res,in quibus inhærent,corruptæ prius ſint,tritæ,coctæ,exſuccatæ,&c.quod itidem in pharmacis quæ deuorantur,patet. Tardè namq́ agunt,ſi integra deglutiantur:nec niſi à calore noſtro ſolutæ agunt.*

20. *Accedit aliud, quod materiales non omnes,vt ſubſtantiales neceſſarium eſt ab ortu rebus adeſſe. Nam aliquæ conſuetudine, victu,ſtudiorum mutatione,vel acquiruntur,vel deponuntur. Sic Rex Mithridates pharmacorum frequente vſurpatione,corporis ſui temperationem eouſque mutaſſe ſcribitur , vt venena amplius ei nocere non poſſent. Has,niſi fallor,nullus arbitrabitur ad formam pertinere,cùm ex materiæ ac temperamenti mutatione , ſubſtantiali forma permanente,manifeſtè oriantur.*

21. *Deniq́ permagna eſt in eo diſcrepantia,quod ſubſtantiales potentiæ non magis à nobis cognoſci poſſunt,quàm ipſæ formæ: quarum ſunt (vt iam ſæpius diximus) ceu partes quædam. Materiales autem tanto ſunt nobis notiores , quanto temperamentum forma nobis eſt notius. Etſi enim exactum miſtionis ac temperationis modum ſeu gradum præciſè intelligentia non aſſequimur:tamen aliquouſque hac in parte accedimus.*

22. *Obſeruandum hoc loco eſt,primi generis ſiue ſubſtantiales potentias vnius modi non eſſe. Quædam enim ſic agunt vt nullo pacto videantur in agendo vti qualitate temperamenti, (ſed actionem edunt prorſus ſpiritalem & inſenſibilem) qualis eſt Magnetis. Equidem neq́ calefaciendo,neq́ frigefaciendo,&c. ferrum trahit. Quæ ſic agunt,non etiam patiuntur ab eo,in quod agunt. Aliæ non ſine temperamento ſeu calore agunt : licet præcipua cauſa admirabilium operum non ſit temperatio,ſed ſubſtantialis formæ potentia,temperamento ſubiecti vt inſtrumento vtens (quod inſtrumentum viciſſim ab eo in quod agit,patitur) vt malleus per ſe nil aliud poteſt, quàm tundere,ſed artificis manu efficit poculum : ita calor hepatis per ſe caloris*

opera

opera duntaxat peragit, ſed ſub rectione animæ ſanguinem gignit. Huc pertinet virtus Struthiocameli, quæ ferrum conficit, atque potentiæ animatorum ſeu viuentium ferè omnes.

23. *Ex quibus apertè liquet, harum potentiarum alias ſimpliciter & omninò inperſcrutabiles eſſe, dum nec ipſam facultatem, nec inſtrumentum quale ſit, animo comprehendimus: aliâs hac ſaltem in parte notiores eſſe, quod inſtrumenta eorum, qualia ſint, nouimus, non exactè quidem, attamen ex parte aliqua. Non enim perfectè miſtionis gradum ſeu ſpeciem, qua ab alijs diſtinguitur, percipimus. De Materialibus, quatenus occultæ ſint, aut non ſint, poſtea videbitur.*

24. *Ad Gal. quod attinet (quæ promiſſi pars altera eſt) certum eſt, eum operationes occultas illas ſtatuere cauſam habere totam ſubſtantiam. Quæcunque enim agunt* κατὰ τινα θαυμαστὴν ἀντιπάθειαν ἄγνωστον ἀνθρώπῳ *ſubſtantiæ familiaritate, vel ſimilitudine, vel tota ſubſtantia agere ſcribit. Idem ergo dicunt alij, cùm ab occulta aliqua virtute actionem aliquam edi affirmant, quod Gal. dicit, cùm actionem aliquam à virtute latente manare aſſerit.*

25. *At conſtat, Galenum præter temperamentum, formam in rebus nullam agnouiſſe. Quare ſequitur, eum nullas indicauiſſe facultates à forma ſubſtantiæ, quæ à temperamento differret prodire. Solas igitur materiales facultates agnouit. Conſtat non minus, fieri non poſſe, vt temperamenti ſint qualitates, quæ cum formis præſentibus adſunt, cum accedentibus accedunt, cum recedentibus recedunt.*

26. *Si neges, illud ſaltem, velis nolis, dabis, diuerſas eſſe eas potentias, quæ cum anima vegetatrice (exempli gratia) accedunt, adſunt, abſcedunt ab illis, quæ eadem illa anima exſtincta (peto vt mihi nunc liceat dicere, Animam accedere, recedere, exſtingui) in ſubiecto permanent.*

27. *At Galenus, dicet aliquis fortaſſe, etiam formales illas potentias cognouit, cùm libro 2. de compoſ.* κατὰ τόπους *de paluſtris ſanguine teſtudinis loquens, ita ſcripſit:* οὕτω γὰρ αὐτῷ καὶ ἡμεῖς ἀντιπάθειαν μαρτυρήσομεν, οὐκ ἐνέργειαν ἧς ἔχει κράσεως. *Videtur ſanè hoc loco Galenum occultam antipathiam à temperamento ſe-*

iungere, dum ſe dicit teſtificaturum ſanguinem teſtudinis dolori capitis mederi, non à temperamento, ſi dolorem capitis omnem & ſemper ſanet.

28. Reſponſio eſt, Galenum temperamenti nomine bifariam vti. Aliquando enim pro qualitate ponit manifeſta ex primarum qualitatum miſtione orta, in qua vna vel duæ qualitates cæteris ſuperiores præcipuè agunt. Interdum ei ſignificat qualitatem, qua ex diuerſis diuerſarum partium miſti temperationibus orta agit. Primo acceptum modo temperamentum nullius occultæ operationis cauſa exſiſtit: At ſecundo ſignificato poſitū, idem ei denotat, quod tota ſubſtantia. Hoc diſcrimen (ne à me confictum aliquis arbitretur) clarè expreſſit lib. 3. de Temp. in fine cap. 1.

29. Et quid aliud fingere nobis liceret, ſi nunquam ipſe dixiſſet? Præter formam & temperamentum, id eſt, materiam miſtam, nihil concedit ſub his ſublunaribus: nec aliam tribuit eis formam, quàm temperamenti proprietatem, quam cuiuſq; rei cenſuit ſubſtantiam. De qua re, qui volet, legere poterit locum nuper citatum Item 4. de locis affect. 15. Item 5. eiuſdem operis cap. 7. Item 1. de vſu part. 9. Item 1. de præſag. ex pulſ. 4. & ſecundo eiuſdem operis cap. 8. alijſq; locis pluribus.

30. Cōſequens iam eſt, vt quē vſum in medendo habeant, (quod tertium promiſſi noſtri caput erat) inſpiciamus. Et quia duo eorum genera conſtituimus, de Formalibus primum, poſteà de Materialibus ſeparatim agemus. Plurimum enim intereſt, de veris loquâre,

31. Morborum, quod ad præſens inſtitutum attinet, alij ſunt externi, alij interni. Nos hoc tempore de internis potiſſimùm quærimus. Morborum porrò internorum (etiam externorum) alij facti ſunt, hoc eſt, à cauſis ſuis non dependent: alij adhuc fiunt, non quidem ſimpliciter, ſic enim non eſſent, & per conſequentiam, lædere actionem nullam poſſent) ſed quatenus ita ferè ſuis cauſis ſubſiſtunt, ſicut quæ verè ac propriè fiunt.

32. Etſi autem in omnibus tribus morbi generibus ſummis tum facti, tum fientes reperiuntur: tamen in ſimilaribus morbis clarioris doctrinæ gratia generatim primùm, deinde ſpeciatim quoq; rem aptius declarari poſſe arbitramur.

33. Cùm

33. *Cùm quæritur, an intemperies interna corporis facta ſanari poſſit à pharmacis occultis primæ ſpeciei, conſiderandum eſt, quid nam indicet intemperies: Certum verò eſt, eam poſtulare, vt per alterationem à contrarijs qualitatibus inductam ad temperationem priſtinam reuocetur. Semper enim verum fuit, eſt atque erit, contraria contrarijs curari. Ergo quod calefactum eſt refrigerari, quod refrigeratum vltra modum eſt, calefieri poſtulat.*

34. *Quæ cum à ſolis primis qualitatibus effici poſſint, nulla res aut virtus naturalis, quæ neque calefacere, neque frigefacere aliquo modo poteſt, factam intemperiem curabit. Aut enim temperamentum non eſt ex mutua primarum qualitatum actione & paſſione ortum, aut neceſſarium eſt, vt, quod emendare corruptum debet, earundem opera per ſe, vel per accidens, corrigat. Qui ſecus ſentit, vel rerum omnium inſcientiſſimus, vel demens eſt ac fatuus.*

35. *Quare nulla vnquam ſanabitur intemperies potentijs abditis ſubſtantialibus, ſiue intra corpus ſumantur, ſiue extrinſecus admoueantur. Etenim quæ in hoc genere nullis vtuntur temperamenti qualitatibus in agendo, nec calefacere nec frigefacere, &c. poſſunt, vt ex prædictis patet. Secundum locum mouere aliquid res tali poteſtate donatæ poſſunt, at realem alterationem inducere non poſſunt. Quæ temperamento in agendo vtuntur, corruptæ & extinctæ iam ſunt, cùm intra corpus ſumuntur. Etenim cum ſuis formis eas adeſſe & abeſſe poſitum eſt. Quis porrò neſcit nulla nos bibere pharmaca viua? Non ante haurimus quàm ſint contuſa, trita, in puluerem redacta, exſuccata, cocta, elixa, toſta, vſta, varieque mixta & compoſita. Cadauer igitur ſine abſtruſa illa virtute, quam vna cum forma amiſerunt, ſumimus. Quare ſolis temperamenti qualitatibus tum agunt.*

36. *Ad externa quod attinet, alligantur varia, quæ Græci* φυσικὰ περίαπτα, περιάμματα, ἀποτρόπαια, *Latini Amuleta vocant. Etenim & barbara & nota nomina, & characteres, & ſigilla, & imagines, & laminæ ſeu annuli ex diuerſis metallis conflati, item ex cornu bubuli, aut vngue alcis exciſi, gemmæ rudes & figuratæ, radices, herbæ, animalcula viua, ranæ, piſciculi, aranei, aliaque, vulgò appendi collo, vel partibus alijs ſolent: quorũ aliqua formis ſuis nequaquam ſpoliata ſunt.*

37. *Verum qui talibus nugis fidem habuerunt, pro ſuperſtitioſis & imprudentibus habiti ſemper fuerunt. Etenim Plutarchus in vita Periclis ſcribit, Theophraſtum indicauiſſe Periclem mente grauiſſimè affectum, quod tantam in ſe ſtultitiam (ἀβελτηρίας) admiſiſſet, vt amuletum ſibi alligari paſſus fuiſſet. Idem Theophraſt. de hiſtoria plant. 10. cap. 21. multa eiuſmodi recenſet περίαπτα καὶ ἀλεξιφάρμακα, (quæ ſcilicet appendebant ad auertenda mala, cùm à corporibus, tum à domibus) quæ omnia deridens εὐηθέςερα καὶ πιθανότερα vocat: & tandem ab improbis ad conciliandam fidem ſuis artibus conficta concludit. Sed & Caracalla Imp. edicto prohibuit contra febres amuleta appendere. Indigniſſima certè res eſt homine Chriſtiano, naturalibus remedijs ſpretis, contra ordinem à Deo præſcriptum ſuperſtitioſa & impia conquirere. Veriſſimè certè ſcripſit Nazianzenus, οὐδὲν δεῖ σοὶ περιαμμάτων καὶ ἐπασαράτων, οἷς ὁ πονηρὸς συνεισέρχεται.*

38. *Quod ſpeciatim ad verba, characteres, &c. attinet, notum eſt, ea nihil poſſe. Gal. certè qui ſubſtantijs appenſis nonnunquam aliquid tribuere videtur, præſtigias, impoſturas, ſuperſtitiones, incantationes, aniles fabulas vocat, præfat. in lib. 6. & 10. de ſimpl. facult. Item in cap. de ſtercore lupi, de ſero lactis, de ijs quæ in corpore proueniunt, de murium ſtercore & Iaſpide, &c.*

39. *Conſentit ratio. Etenim verba, figuræ, characteres, &c. nec ſunt rerum formæ, nec formarũ poteſtates, nec primæ qualitates, nec temperamenta, nec omnino principia effectricia. Quid enim eſt aliud figura quam ordo & compoſitio? At hæc intemperiem non mutant. Deinde in ſola ſuperficie talia hærent: potentiæ autem naturales per corporis profundum diffuſæ ſunt. Deniq; impoſſibile eſt, vt forma artificialis per ſe pellat naturalem temperiem, vel intemperiem. Etenim genere differunt naturalia ab artificialibus. Quare contraria non ſunt: ac proinde ſeſe inuicem non oppugnant.*

40. *Perſpicuè igitur demonſtratum eſt, amuleta ratione figurarum vires naturales, (quas vel à forma, vel à materia, vel ab vtriſq; pronaſci oportet) nullas nanciſci. Quare ſi iuuant aliquando, dæmonum virtute proſunt. Ad Deum enim bonoſq; angelos referre*

vtilitatem non licet. Pugnat enim hic curandi modus cum ordinatione diuina: quæ naturalibus vti pharmacis imperat. Quare non adhibentur vt ſanationis cauſa, ſed vt ſigna. Cuius rei? Pactionis diaboli cum certis aliquando initæ: quod nimirum talibus appenſis præſto velit eſſe ſuis viribus.

41. *Non me mouet, (nec mouere quenquam alium debet) quod Trallianus lib. 9. cap. 4. aſſeuerat, Galenum tandem vſu edoctum ſuſpicere talia cœpiſſe. Non enim quod Galen. citra rationem affirmat, mox credere nos decet. Deinde non amuletis fidem, ſe tandem præſtitiſſe ſcripſit, ſed carminibus. Longiſſimè aliud ſentit, qui carminibus vel incantationibus fidem habendam arbitratur, & qui res certas alligatas naturali ac inſita ſibi virtute morbos fugare cenſet. Nos enim nunquam negauimus, aliquas poſt incantationes & amuletorum appenſiones ſanatos fuiſſe: ſed naturali virtute verborum, aut figurarum, aut appenſorum, de quibus loquimur, ſanatos, conſtanter negamus.*

42. *Loqui autem Galenum de carminibus ſeu incantationibus perſpicuè probant eius verba, quæ tranſcripſit Alexander ex tractatu, quem de ſententijs Medicis ex Homero collectis edidit: quæ ſic ſonant,* ἔνιοι γοῦν οἴονται τοῖς τῶν γραῶν μύθοις ἐοικέναι τὰς ἐπῳδάς. ὥσπερ κἀγὼ μέχρι πολλοῦ. τῷ χρόνῳ δ' ὑπὸ τῶν ἐναργῶς φαινομένων ἐπείσθην εἶναι δύναμιν ἐν αὐταῖς. ἐπί τε γὰρ τῶν ὑπὸ σκορπίου πληγέντων ἐπειράθην ὠφελείας. οὐδὲν δ' ἧττον, κἀπὶ τῶν ἐμπαγέντων ὀστῶν ἐν τῇ φάρυγγι, δι' ἐπῳδῆς εὐθὺς ἀναπτυομένων, καὶ πολλὰ γενναῖα καθ' ἕκαστόν εἰσι καὶ ἐπῳδαὶ τυγχάνουσαι τοῦ σκοποῦ.

43. *Manifeſtè loquitur Gal. de carminum efficacia, quã conſtat ea non ex ſe habere. Verba enim nihil aliud ſunt, quã ſigna conceptionũ: nec aliud poſſunt, quã cogitationes noſtras repræſentare: vt alibi clarè probauimus. Quod ſi ergo quis velit eadẽ ratione amuleta efficacia eſſe, is ſe à me nõ diſſentire ſciat. Sed idẽ ille, ſi Chriſtianus eſt ac intelligens, nec alios ſanare, nec ſeipſum ſanari talibus remedijs volet. An nõ n. extrema eſt inſania, genuinis adulterina, falſis vera, diuinis diabolica remedia magno ſalutis æternæ periculo anteponere? Magnam*

certè ſpiritui Nequam feneſtram aperit, quiſquis talibus vtitur.

44. Si aliquis reſpondeat, ſe, quæ iam dicto modo agunt, neutiquã probare, ſed ſubſtantias inſitis à Natura viribus cum Gal. commendare, ne has quidem prodeſſe appenſas, reponam. Etenim quæ ſpirituali qualitate agunt, nihil hic commodabunt, cùm alterandi virtute, ſicut declaratum ſupra fuit, careant. Contra hæc & nuper dicta (quæ ſcilicet figurarum aut characterum nomine efficacia putantur) valet Tatiani Aſſyrij ſententia, dicentis, Occultas vires naturalem diſpoſitionem nullam mutare: nec iuuari morbos appenſis pelliculis, aut rebus quibuſuis alijs.

45. Reliquæ huius generis facultates, quæ ſcilicet non ſine temperamento mirificas & occultas actiones edunt, ſi internas intemperies mutaturæ ſunt, cutem prius mutent, neceſſarium eſt. Quippe fieri non poteſt vlla vi naturali, vt res aliqua cuti admota ſenſibiliter per ſe calefaciat, aut frigefaciat interiora, cute non prius eadem qualitate mutata. Quod cùm fieri in his pharmacis nemo vnquam obſeruarit, certum eſt, notas hic qualitates occultis plus prodeſſe.

46. In facta intemperie interna, ſine fructu vel admoueri, vel deglutiri occulta pharmaca, quæcunque virtute primi generis agunt, firmiſſimè demonſtrauimus. Supereſt nunc, vt, quantum in fiente adhuc proſint, diſpiciamus. Non iam diſputo, vtrum curet an præſeruet, an vtrunque faciat, qui talem intemperiem tollit, ſed curationem, vt mihi nominare liceat, peto.

47. Intemperies, quæ cauſa ſua efficiente aut conſeruante adhuc nititur, cauſæ ablatione, aut eiuſdem alteratione (Aliquando enim non tàm copia, quàm qualitate vehementiore intemperiem humor aliquis generat) tollitur. Ergo ſi occultæ poteſtates talem curant, cauſæ vacuatione ſenſibili vel inſenſibili curant: & vel aſſumta, vel admota id præſtant.

48. De alteratione dictum eſt: de vacuatione ſenſibili dicendum. Hæc fit per alui deiectionem, per vomitum, per vrinas, per ſudores, per ſanguinis fluxum ex vtero, hæmorrhoidibus, naribus, auribus, etc. Conſtat verò nullum adhuc cognitum eſſe pharmacum occultum primi generis vno ex his modo purgans. Quæ namq; illis modis vacuant, ſecundi generis facultatibus, (nec ignota prorſus ratione) vacuant.

Quare

Quare inter ea, quæ ſumuntur, nullus eſt vſus potentiarum occultarum primi generis.

49. *Quæ appenduntur, vel ſenſibiliter vacuant, vel inſenſibiliter. Illud nunquam factum nouimus. Reperiuntur ſanè plurima, quæ ex profundo humores ad cutem trahunt, ſed occulta primi generis virtute quæ id faciant, nulla dum inuenta ſcimus. Si qua inſenſibiliter hoc faciunt, non niſi longo tempore quantulumcunq; humorum copiam diſſoluent. Quippe extenuari prius & inhalitum flatusque verti oportet. Quod an ſine calore fieri poſſit, iudicet qui volet.*

50. *Sed multa ſunt, inquies, quæ ſpinas, telorum cuſpides, venena, &c. extraxerunt. Eſſe virtutem tractricem primi generis in Magnete, ſcimus. At in pharmacis tela vel alia talia ex corpore extrahentibus vim talem inueniri, nego: nec veritatis ſtudioſus & intelligens quiſquam affirmabit. De ſecundi generis pharmacis poſtea videndum erit.*

51. *Subſtantialis* συμπάθεια (*vel* ἀντιπάθεια) *nullo modo poteſt inter res multas natura & ſpecie diſtinctas exſiſtere. Quomodo enim imaginabile fuerit, rem aliquã vnam ratione ſubſtantialis formæ ſimilem (aut diſſimilẽ) eſſe pluribus rebus ſpecie differentibus, & ſæpè contrarijs? In altero genere, quod temperamenti et materiæ proprietates continet, nihil fortaſſe prohibet, cum remitti ac intendi poſſit: quod de formis vel fingere abſurdum foret.*

52. *At quæ ex corpore ſpicula trahere noſcuntur, pari felicitate ligna, ferrũ, æs, oſſa, ſpinas piſcium, & deniq; res prorſus diuerſiſſimas extrahunt. (Talis eſt & ſuccini tractio) Ex quo certè ſequitur, pharmaca proprietate ſubſtantiali prædicta omnia non educere. Et vt maximè conſtaret rem aliter habere, non tamen idonea eſſent remedia pro extractione humorum intemperiem creantium. Talia enim (vt nuper dixi) nulla adhuc reperta ſunt.*

53. *Perſpicuè oſtendi, primi generis occultas potentias in curatione morborum ſimilarium, præſertim internorũ, nihil commodare poſſe, ſiue bibenda dentur, ſiue appendi alligariue iubeantur. Attamen vt dilucidior res fiat, peſtis exemplo idẽ rurſus ſpeciatim monſtrabo. Cæterum ſcire oportet, nos in præſentia peſtis nomine non intelligere morbũ quemlibet exitioſum, ſed pernitioſam illam febrem putridam,*

quæ contagione multos ſimul inuadit ac perimit.

54. Febris hæc quatenus eſt calida ſiccaq́ intemperies, ablationem ſui per qualitates contrarias frigiditatem & humiditatē indicat. Sed quoniam fit, hoc eſt, à ſua cauſa integrè pendet, vel vacuanda erit cauſa faciens, uel ne porrò calefaciat, alteranda.

55. Sed enim ſimplex intemperies non eſt, verùm cauſæ ſuæ reſpondet, qui eſt humor putridus. (Nunc enim de ea, quæ à putredine humorum accenditur, loquimur..) Quare duplex oritur indicatio, vt, quod putrefactum eſt, expurgetur, & quod corruptum non eſt, ei, ne corrumpatur, prouideatur. Fit hoc poſterius frigefacientibus & ſiccantibus. (Putredo enim calida & humida eſt intemperies): deobſtruentibus, & perſpirabile corpus reddentibus. Promptè namq́ putreſcunt concluſi humores, cùm non perſpirant.

56. Iam quia ne putredo quidem eſt ſimplex, ſed maligna & venenata, (ſic vocatur, quæ à natura & medicamentis vel nullo pacto, vel difficulter ſuperari, & quo minus vicina ſemper contaminet, inhiberi poteſt) celerrimè corpora vicina corrumpens, pugnandum nobis eſt ijs remedijs, quæ citiſſimè putrefacta vacuent, ac tum contaminata, vel ad putredinem inclinantia, vehementer & feſtinanter alterent, totumq́ corpus perſpirabile reddant. Quòd verò non omnis putredo talem malignitatem habeat coniunctam, docet ſcabies, lumbricorum in nobis ortus, vlcerum aliquorum putredines, febres quædam intermittentes, alijq́ morbi nonnulli ſalubres.

57. Differentiam hanc efficiunt, tum rerum putreſcentium variæ temperationes, tum putredinis modi ſeu gradus, tum in primis cauſarum putrefacientiū diuerſitas. Etenim ſi calor alienus putrefaciens, ipſe quoq́ putridus ſit. (Poteſt enim calor non putridus, vt ignis, aut rei alterius, putrefacere) pro gradu & ſpecie putredinis ſuæ alia quoque inficit: ſi agat, non vt ſimplex calor, ſed vt putridus calor. Nam putridus calor interdum generat & concoquit potius quàm putrefaciat, cum ſimplici caliditate agit. Qui intelligit, quomodo ventriculus cibos alterare ſolitus ſit, tū ſimplici caliditate, tū tota ſua ſubſtantia, id eſt tota ſua temperie, is facilè intelliget, quomodo calor putridus nonnunquā vt calor eſt, alids verò vt putridus calor eſt, agat. Declarabo nihilominus exemplo aliquo, vt etiā rudiores aſſequantur.

58. Sæpenumerò accidit, vt à putrido fimi ſtercoríue calore, ova

ſunt excluſa, non ſecus ac ſi auis incubaſſet. Hic fimus egit in oua ſimplici caliditate, non putrida. In cauſa eſt, quòd ſubſtantia nulla putrida, (nulla ſcilicet pars putridi vaporis) per teſtam penetrare ac interiora inquinare potuit. Teſta igitur calefacta, cùm non apta eſſet tam citò putreſcere, internis partibus ſimplicem calorem duntaxat impertiuit.

59. *Ratio eadē eſt, ſi rē putridā aut venenatā vaſi alicui incluſam cogites, per quod caliditatē ſimplicē tranſmittere quidē poſſit, nullam verò ſubſtantiæ ſuæ partē cōmunicare valeat. Alterabit enim hic calor rem, quam tangit, ſimplici caliditate, ſicut ignis, aut res alia citra putredinem calida. Et ſi res tacta putredini obnoxia ſit, putredinem in ea generabit ſimplicem, non malignam.*

60. *Si aūt ſubſtantia ſeu vapor putridus, rem, quæ apta ſit putrefieri, attingat, eiq́ ſe inſinuet, nō iam cōcoquet, aut ſimplicē duntaxat putredinē inducet, ſed pro naturæ ſuæ modo eandē, quā in ſe habet, putredinem, cōmunicabit: aut ſi hoc perficere non poſſit, quantā poterit malignitatē ingenerabit. Itaq; ſi putrida res vicinū corpus caliditate ſola alteret, nota qualitate agere dicitur. Si putrida caliditate, quoad eſt putrida, alteret, tota ſubſtātia agere Gal. cenſetur: quia nō caliditate ſola, ſed putrida ſeu venenata, id eſt, hoc certo modo miſta caliditate agit.*

61. *Ex dictis perſpicitur, quòd in peſte non ſit ſimplex putredo, qualem ferè obſtructiones in benè affectis humoribus parere ſolent, ſed exitioſa, & properè quæ tangit corrumpens. Eſt enim inducta vel ab aëris qualitate nobis inimica, vel ab exhalatione putrida hominis peſte affecti. Quocirca eget pharmacis putrefacta celeriter exigentibus, & ne reliqua putreſcant, efficaciter prohibentibus: quod refrigerantia, ſiccantia, deobſtruentia, liberamq́ perſpirationē procurantia præſtant.*

62. *Optima proinde peſtis remedia ſunt, quæ modò dicta celerius ac tutius efficiunt. In hoc enim morbo vires ſtatim labuntur, & putredo opinione ocyus ſerpit. Quare ſi exſtant remedia, quæ latente virtute putridos humores tutiùs & citiùs vacuare poſſunt, quàm quæ notis nobis facultatibus hoc præſtant, omninò illa hiſce præferenda iudicamus. Idem iudicium eſt alterantium & deobſtruentium.*

63. *Quantum purgantibus efficitur, ſatis eſt notum. Res & euen-*

tus docet, rarò in peſte propriam morbi cauſam hîc educi. Parum quoq; tutas eſſe vehementiores purgationes, certum eſt. Quocirca neque his licet vti, neq; leuibus (quæ circa ventriculum hærentia duntaxat vacuant, virtutem ad cor vſq;, vbi putrida materia præcipuè lædit, non extendunt) aliquid proficimus.

64. Taceo iam, quòd non abſurda modò, verum etiam impoßibilis eſt ea ſententia, quæ purgantia ad Magnetis modum certos ſolùm ſtatuit humores ad ſe attrahendo vacuare. Quod cùm alibi ſit demonſtratum, paucula hîc adijciemus. Non purgant hæc facultate tractrice primi generis, (cùm quando exhibentur, forma ſubſtantiali orbata ſint) ſed proprietate temperamenti expultricem vim corporis exſtimulando purgant. Quare id ſolùm vacuare poſſunt, quod irritata virtus expultrix pellere poteſt. Pellit autem hæc ſemper primò, & cum vehementius incitata non eſt, ſola illa, quæ in loco, vbi pharmacum conſiſtit, continentur. Purgat etiam Scammonia (exempli gratia) non homines tantùm, ſed etiam canes, equos, alia bruta: quorum humores animalium, non minus ſpecie differunt à noſtris, quàm ipſa à nobis differunt.

65. Quid quod cholagoga vocata (ratio eadem eſt aliorum) nulla exſiſtunt, quæ putridam bilem duntaxat vacuent, præterita non putrida? At id fieri oportebat, ſi quæ reperirentur, quæ inſtar Magnetis poſſent peſtis cauſam educere. Iam cùm non tam putridam, quàm non putridam vacuent, nullus ex eis fructus poterit exſpectari. Semper enim circa ventriculum tantum bilis inuenitur, quantum vna pharmaci vſitata doſis vix detrahat. At ex huius detractione, dum putrida relinquitur intacta ſeu immota, nihil morbo decedit.

66. Si aliquod inueniretur cholagogum, quod proprietate latente non bilem incorruptam, ſed putridam, imò malignè putridam, ex qua uis corporis parte ad ſe pertrahere & euacuare poſſet, nihil hoc præſtabilius & diuinius Naturam feciſſe affirmarem. Qui exſtare contendit, & veteres omnes inertiæ damnat, &, quod factum eſt nunquam ſubinde fieri imprudenter affirmat.

67. Plus illa profuiſſe omnibus ſeculis compertum eſt, quæ per ſudores vacuant, cauſa eſt duplex. Prima, quòd hæc non ſolùm in primis venis contenta, ſed in toto corporis habitu cōprehenſa vacuant.

Altera

Altera, quod vaporoſum corporis noſtri ſubſtantiā, quam venenū peſtiferum præcipuè inuadit (plerunq; enim primò ſpiritus aut ſanguinis vapores contaminat, aut ſaltem maximè corrumpit) vacuant: cùm purgantia ferè humores, & craſsiorem ſubſtantiam duntaxat educant.

68. Verùm hîc etiam nulla ſunt reperta, quæ peſtiferum potius humorem aut vaporem exigerent quàm alium quemlibet. Argumento eſt primum, quod eadem pharmaca, quæ peſtis tempore ſudores ægris mouerunt temporibus quibuſuis alijs exhibita, non minus eoſdem prouocarunt. Deinde quod valdè multæ res ſpecie & natura diſsimillimæ, adeoq; contrariæ, peſte affectos ſudoribus motis liberarunt. Alij enim alijs ad hoc vtuntur, quæ ſimiliter proſunt omnes. Quippe nulla vna plus alijs contuliſſe deprehenſa eſt, niſi copioſius æger ex vna, quàm ex alia ſudauiſſet.

69. Quare ſicut hæc commodant, quia vaporoſa vacuant, non autem quia ſolos peſtiferos halitus excludunt: ita & purgantia aliquando contuliſſe non inficiamur, quando ſcilicet venenum illis in locis & in ea ſubſtantia hæſit: vnde et quam natura à pharmaco exiccata per ſeceſſum aut vomitum exturbare potuit. Sed infrequens hoc eſſe, ex ante dictis liquet.

70. Quod ſi, quæ hac ratione curant, incognita nobis vel συμπαθείᾳ *vel* ἀντιπαθείᾳ *peſtiferos humores pellerent, vnam & eandem hanc proprietatem in diuerſiſsimis rebus ponere cogeremur: quod fieri nullo modo poſſe certum eſt. Vt enim diuerſorum vna non eſt forma & eſſentia, (formæ enim ceu in puncto conſiſtunt, & numeris ſimiles dicuntur, quibus ſiue addas ſiue detrahas aliquid, ſpeciem mutari oportet) ita nec vna eademq; ſubſtantialis proprietas.*

71. Deniq; ſicut imprudentia eſt, occulta pharmaca quærere, quoties manifeſtè iuuantia adſunt: ita inſignis eſt inſcitia, latentem comminiſci virtutem, vbi nota ſæpè nobis conſpiciendum ſe offert. At ipſa nos res docet, ſudores in peſte affectis non minore ſucceſſu motos fuiſſe notis qualitatibus quàm ignotis. Stultè igitur quærimus occulta, inuentu difficilia & pretioſa, dum vſitata & familiaria in promptu habemus.

72. Quæ de euacuatione per ſudores diximus, in alijs quoq; vacua-

tionum generibus locum habent: vt minimè opus videatur de eis ſigillatim agere. Sed nec obſtructionem reſerantia quærenda putamus alia, quàm quæ ratio inuenit aut probauit, niſi ſi aliquis pharmacum nobis monſtret ſic obſtructa aperiens, quomodo fabulantur aliqui, Picum martium, ſi cuneo adacto ad cauitatem arboris in qua nidificauit, impeditum ingreſſum reperiat, radice admota cuneum excutere: & hanc qui deinde inuenerit, omnia clauſtra eâdem recludere poſſe.

73. De alteratione iam diximus (& probauimus) impoſſibile eſſe, vt temperamentũ vllius rei alteretur & permutetur virtute alia, quàm primarum qualitatum. Nam quæ neq; calefacere, neq; frigefacere poſſunt, contraria temperamentis non ſunt. At curatio fit à contrario. Quæcunq; igitur neq; per ſe frigefaciunt, neq; per accidens, (quæ calidos tum ſpiritus, tum humores quocunq; modo vacuant, per accidens frigefaciunt) intemperiem calidam non fugant. Fruſtra igitur nobis ſpecifica illa remedia in peſtis curatione tantoperè commendãt, cùm prædictorum aliquid eſt faciendum.

74. In roborando corde, (hoc enim viſcus præcipuè in hoc morbo laborat (vti debemus ijs, quæ præterquam quod nutrire cor poſſunt, etiam refrigerandi & ſiccandi potentia donata ſunt. Quod ſi experientia monſtrauiſſet alimenta his prædita facultatibus, quæ præ alijs cor nutrire poſſent, nõ dubitarem iubere talibus ſolis maximeq; vti. Quia nullum tale profertur, notis vſitatisq; contenti eſſe cogimur.

75. Eſſentiales facultates in caſſum vſurpari ad curandas intemperies clarè ac ſolidè probauimus. Nec eſt viſu difficile, quod in alijs quoq; morbis valeant expoſitæ rationes. (Si inſtrumentales morbos ſanant, ſitum, figuram, magnitudinem, numerum, &c. mutant: quæ omnia cauſarum ablationem requirunt) Quare tranſeundum eſt ad ſecundi generis, ſiue materiales poteſtates, vt, quis harum ſit in curationibus vſus cognoſcamus.

76. Dari huius generis occultas poteſtates, confeſſum eſt. Demonſtrant id clarè cùm alimenta, cùm nonnulla purgantia. (Non enim quæ purgant, omnia latente vi purgant) Deinde venena, poſtmodum ſtuporem inducentia. Denique vt ne ſigillatim omnia proſequar, peſtiferæ putredines.

77 Scien-

77. *Sciendum eſt interim, actus ſecundos harum potentiarum non eſſe ſpiritales & ſenſibiles. ſed notos & manifeſtos, ſcilicet alterationes ſenſibiles, inciſiones, exterſiones, citæ penetrationes, eroſiones, putrefactiones, purgationes, vrinarum & ſudorum prouocationes, &c. Quippe cùm ſint temperamenti & materiæ proprietates, non alijs, quàm primis qualitatibus, & ex his ortis agunt: ſupra vires harum aſcendere nequeunt.*

78. *Nec pugnat ſecum, qui has facultates affirmat occultas eſſe, & notis nihilominus qualitatibus agere contendit. Quæ pharmaca latente proprietate purgant, non ſine caliditatis ſuæ propriæ & peculiaris opera id peragunt. Venena quoq; manifeſtè calefaciunt, aut frigefaciunt. Retrò dictum eſt, etiam animæ poteſtates in agendo vti loco inſtrumenti temperamento. Declarat hoc ſcitè Gal. vt ſupra audiuimus lib. 3. de Temp. in fine cap. 1.*

79. *Notandum eſt præterea, Materiales haſce potentias non eſſe inſtar eſſentialium ἀῤῥήτως, aut cognitu æquè impoßibiles. Sicut enim gradum temperamenti, & ex quot & qualibus materiæ partibus totum miſtum conſtet, præciſe non aſſequimur: non tamen quid ſit, & ex quibus conſtetur prorſus neſcire dicimur: (Gradum & partium materiæ diuerſitatem ὑπονοίᾳ πιθανῇ colligimus) ita materiales proprietates, ſi non exactè, ſaltem obſcurè certis ex ſignis ratiocinando attingimus: cùm formarum eſſentiam & earum poteſtates nec methodo, nec artificiali coniectura vlla ſcrutari aut inuenire conceſſum ſit.*

80. *An etiam alimenta, quæ à totis ſubſtantijs habent, vt alimenta ſint, ſimpliciter ignota aſſeuerabimus? Haud puto. Vt enim experientia multum hîc poßit, non tamen nullum vſum habet ratio ex ſapore, odore, alijsq; accidentibus indicans. Vnde Galenus 2. de aliment. facult. cap. 61. contra Meneſitheum rectè ſcribit:* ἐπισκοπεῖσθαι τοίνυν, ἀσφαλέστερόν ἐστιν, ἕκαστον τῶν ἐν τοῖς φυτοῖς μορίων, αὐτὸ καθ' αὑτὸ γευόμενον μὲν καὶ ὀσμώμενον πρότερον, εἶτα καὶ διὰ τῆς ἐδωδῆς πειρώμενον. ἡ μὲν γὰρ ὄσφρησίς τε καὶ ἡ γεῦσις ὁποῖόν τινα τὸν χυμόν τε καὶ ἀτμὸν ἔχει τὸ μόριον τοῦ φυτοῦ διδάσκουσαι συνενδείκνυνται τούτοις εὐθέως καὶ τὴν ὅλην κρᾶσιν αὐτοῦ. διὰ δὲ τῆς πείρας, ἐάν γέ τις αὐτὴν ποιεῖσαι μετὰ τῶν οἰκείων διορισμῶν, ἀκριβὲς ἡ δύναμις εὑρίσκεται.

81. *Idem de medicamentis affirmat in fine libri 4. de locis aff. his verbis:* κάλλιστον μὲν ὡς εἴρηταί τε καὶ λέλεκται πολλάκις, ἐκ τῆς διωρισμένης πείρας ἐξευρίσκειν τὰς δυνάμεις. οὐ γὰρ ἂν σφαλείης οὐδ' ἐν τῇδε, πρὶν μὲν τοι τῇ πείρᾳ διαγνῶναι τὴν δύναμιν, ἡ γεῦσις ἐνδείκνυται τὰ πολλὰ συνεπιμαρτυρούσης, ὡς εἴρηται, βραχεῖα, καὶ τῆς ὀσμῆς.

82. *Qui bruta animalia obſeruauit exactè alimentorum differentias ſolo guſtu & odore interſtinguere, haud ægrè nobis aſſentietur. Non enim eſt noſtra, quàm brutorum conditio deterior. Etſi enim aliqua certorum ſenſuum* ἀκριβείᾳ *nos vincunt: cumulatè tamen ratione hunc defectum in prudentioribus ſarciri certum eſt. Non enim quod mihi aut tibi comprehenſibile non eſt, mox aliorum omnium captum fugit.*

83. *Occultæ igitur ſunt Materiales, quia priuſquam experientia monſtraſſet Scammoniam (exempli gratia) tali quadam potentia do natam eſſe, methodo deprehendi fortaßis certò non potuit. Prorſus occultæ non ſunt, quia poſtquam vſus docuit virtute tali præditam eſſe, cœperunt homines ſagaces exercitatosq́; ſenſus habentes cauſam rimari. Quam ſi plenè non cognouerunt, non tamen prorſus ignorarunt: & ex ſimili in alijs ſapore atq; odore ſimilem ſubeſſe vim, non quidem certa ratione, attamẽ* τεχνικῷ στοχασμῷ *collegerunt. Vix enim eſt aliquis, ſi modo hac in parte ſe exercuit, qui non cognoſcat ex dictis qualitatibus ſenſibilibus, quæ abdita vi purgent.*

84. *Deniq; tenere oportet, non omnia pharmaca, quæ à ſola experientia inuenta & cognita ſunt certis quibuſdam morbis profuiſſe, occulta virtute potius, quàm manifeſta contuliſſe. Multa certè vſus docuit in aliquibus morbis auxilio fuiſſe, priuſquam vtilitatis ratio intelligeretur, quia eruditi ea vel non nouerant, vel non examinauerant. Poſtquam vtilia eſſe experientia declarauit, & cauſa efficientiæ inueſtigata eſt, ſine labore ſæpè inuenta eſt.*

85. *In quibus nam igitur, quærat aliquis, latet* ὑπερβάλλουσα δύναμις ἐκείνη ἡ θαυμαστὴ ἀντιπάθεια, *vt Galenus loquitur? Poſita eſt ferè in mirabili partium tenuitate, qua celerrimè in partes omnes diffunditur medicamentum ſeu bonum ſeu malum: in vehemente acrimonia aut frigiditate ſenſus noſtros propter aliarum partium*

magis

magis ſenſibilium miſtionem fugiente: in varietate non facilè explicabili partium miſti. Hæc tria faciunt, vt plurimarum actionum cauſas vel non perſpicere, vel obſcurè tantū videre poſſimus, priuſquam vſu eas adeſſe cognouerimus.

86. Si æquè ſenſibiles eſſent omnes miſti partes, non minus dignoſceremus inimica ab amicis quàm bruta, quæ odore & ſapore ſolis celerrimè internoſcunt familiaria à noxijs. Sed vt à pauci vini rubri colore multi vini albi color tegitur, et paucula amaritudo alios quoſdam ſapores in materia maiore inhærentes ita obſcurat, vt vel nullo modo, vel obſcurè admodum guſtu percipiantur: ita in pharmacis ſæpè tum ſapor tum odor partiū miſti, quæ virtute agendi & copia vincunt, à ſapore vehementiore partium pauciorum, & in agendo ignauiorum abſconduntur & occultantur.

87. Summatim ſi dicere oportet, cauſa princeps, cur pharmacorum poteſtates materiales non ſemper dignoſcantur, in hoc ſita eſt, quod ex partibus multis & diuerſis (vti Gal. lib. de ſimpl. pharm. cap. 7. et lib. 1. de aliment. facul. circa finē cap. 1. atq; alibi expoſuit. Ego ferè lactis exemplo aut muſti declarare ſoleo) coaluerunt: nec omnes diſtinctè & perſpicuè ſentiuntur, ſed cum alijs confuſe, vel nullo modo, vel adeo tenuiter & obſcurè à nobis percipiuntur, vt iudicium ſic turbent & impediant, vt rationi abſq; experientia credere audeat nemo.

88. His declaratis, non eſt neceſſe, vt quem in medendo vſum habeant, pluribus explicem. Si enim actiones edunt notas, certum eſt, à morbi eſſentia eiuſq; cauſis, metu, vehementia, partis ſitu & natura omnia indicari. Itaq; vbi calidis (exempli gratia) celerrimè per totum corpus peruadentibus eſt opus, ijs vti licet, quæ vſus talia eſſe docuit ac ratio comprobauit. Quæ quia cognita nunc ſunt, non amplius verè occulta ſunt prudentibus & intelligentibus, ſed rudibus tantùm & ignorantibus.

89. Foris admota ſi naturaliter iuuant, vel quia alterant, vel quia vacuant, conducunt. Appenſa internos morbos alterando pellere, cute prius ſenſibiliter non alterata, vnum eſt ἐκ τῶν ἀδυνάτων: niſi per accidens tale quiddam aliquando contigiſſe putes. At hæc rarius eueniunt quàm vt regulā conſtituant in plurimis obſeruandā. Quan

to morbus erit calidior, (exempli cauſa) tantò euidentius cutē frigefieri oportebit. Notū eſt medicorū præceptū, tantò efficaciora remedia eſſe oportere, quantò longius ab affecto loco abſunt: ne viribus in itinere amiſsis, cùm ad patientē locū peruenerūt, morbo inferiora exſiſtāt.

90. Si expellere morbi cauſam debent, neceſſariū prorſus eſt, vt vel ſenſibilis ea ſit excretio, vel inſenſibilis. Manifeſtè vacuantia (illis exceptis purgantibus, quæ ventri impoſita vel aluū cient, vel vrinas mouēt) nulla hucuſq; noui, aut vidi. Quæ inſenſibiliter vitioſos humores vacuant, longo admodum tempore opus habent. Quū enim per inſenſibilem tranſpirationem tantus breui tempore humor diſcutiatur, quantus grauem morbum efficere ſolet? Prius ergo, ſi morbus ſit pernicioſus, æger morietur, quàm morbi cauſa vacuetur.

91. In externis morbis, ſi ex his pharmacis, de quibus agimus, aliquis contendas plus alijs cōferre, nihil tamē hic etiā fuerit lucri: cùm ſemper & vbiq; ad manū ſint, quæ idē nota virtute aptius efficere poſſunt. Nā vtraq; eiſdē viribus agunt, & in hoc ſolo diſcrimē eſt, quòd hic ſunt nota, illic ignota. Taceo quòd occulta iſta vel ſunt δυσπόριστα, vel certè plus iuſto πολυτελῆ & δαπανηρὰ quæ Gal. fugere iubet in cap. de ſtercore ciconiæ ſic ſcribens, ἀλλὰ καὶ τὸ δυσπόριστον ἀπάσης τῆς τοιαύτης ὕλης φαύλιστον, ἐξ οὗ καὶ μᾶλλον ὁρμώμενοι τινὲς ἰσχυρὰς δυνάμεις μαρτυροῦσι ταῖς τοιαύταις ὕλαις, ὡς οὐ ῥᾳδίως ἐλεγχθησόμενοι.

92. Vaniſsima igitur ſi nō ſunt omnia, quæ de his remedijs extrinſecus adhibitis nugantur recentiores quidā, inutilia ſaltē ſunt in curationibus morborū internorū. Si enim morbus eſt acutus, peribit æger, priuſquā vis pharmaci per tot interiecta corpora ad patientē vſq; locū perueniat. Si longus eſt, tantā copiā humoris craſsi nunquā diſsipabit.

93. Tantundē ferè iuuant, cùm bibenda propinantur quæ inſenſibiliter antedicta virtute ponuntur vacuare. At quæ ſenſibiliter vacuant, prodeſſe omninò poſſunt. Attamen in peſte, in qua putredo eſt maligna, ocyſsimè per omnes partes penetrans, omniaq; cōtactu & ſubtilitate partiū cōtaminans, ſola illa cōmodant, quæ vſus docuit citiſsimè & efficaciſsimè vacuare putrefacta. Quia etiā hæc putredo primùm partes vaporoſas inuadit, & per has ſpiritus cordis corrūpit, aptiſsima ſunt, quæ ſtatim per ſudores exigere corruptos vapores ac ſpiritus poſſunt. (Magis proſunt hoc etiā nomine, quia ſimul corpus perſpira-

bile reddunt) Mox deinde exhibẽda ſunt, quæ citra obſtructionẽ validè tùm ſiccant, tùm frigefaciunt. Sed & hic eligi debent, quæ vſus præſtantiſſima eſſe docuit, etſi cauſa eorũ nunc nõ prorſus neſciatur.

94. Si quæratur, cur talibus nihil operæpretij peſtis tempore efficiatur, in medio eſt certa reſponſio. Putredo eſt ſubtilis, profundè ſe in ſinuans & tenuẽ vaporoſamq́; ſubſtantiã cũ ſpiritibus præcipuè occupans. Quo fit, vt prius mortẽ (corruptis ac diſsipatis ſpiritibus) inferat, quàm ſiſti putredo poſſit. Quanta difficultate, quamq́; longo tempore ſimplex putredo febriũ intermittentiũ ſalubriũ omni remediorum genere vix tandẽ inhibeatur, quotidie cernimus. Quid igitur miri eſt, ſi priuſquã cõtagioſa & maligna putredo extinguatur, ægri occidat?

95. Cùm ad experientiã reſpicimus, pudefacti ſunt ſpecificorũ laudatores. Primũ enim certũ eſt, veteres magis vſos fuiſſe methodo inuentis: & longè felicius omnis generis morbos curaſſe, quàm illi curẽt, qui tantopere abdita iſta iactitãt. Etſi.n. aliqui ex veteribus nonnunquã videtur occulta pbare; ſemp tamẽ pferũt & primo loco vſurpãt, quæ ratio mõſtrauit. Quæ ſi nõ proſint, vt alia periclitemur, cõcedunt.

96. Si horũ facultates remediorũ cognitas habuiſſe, ac ſubinde in curãdo vſurpauiſſe cõtendas, fateri cogẽris, eos artẽ nobis valdè mutilam & mancã tradidiſſe, dum frequentiorẽ eorũ mentionẽ nõ faciũt, atq; ad nota remedia omnẽ curationis methodũ reuocant. At nec tam inuidi fuêre, vt nollent, nec tam obliuioſi, vt nõ meminiſſent, nec tam inertes, vt non poſſent nobis hac in parte, vt in illa, prodeſſe.

97. Ad noſtri ſeculi experientiã ſi deſcendamus minus cõmodare intelligemus. Quos enim morbos eiuſcemodi remedijs ſanatos vidimus? Nullos. Ego ſanè per annos circiter 30. diligenter obſeruaui, hac in re quid fieret: ac neq; à præceptoribus meis, neq; ab alijs vllis deprehendere veri aliquid potui. Per impietatẽ & ſuperſtitionẽ, arteſq́; illicitas, vel caſu, vel dæmonum operatione quoſdam liberatos vidi, ſed infinitè ſæpius fruſtratos artifices cum ægris ſpe ſua perſpexi.

98. Non enim ſi pharmaco epoto æger conualuit, aut melius habuit, putandum eſt ſtatim, pharmacũ ſalutis cauſam attuliſſe. Quod enim vera & perfecta experientia prodeſſe cognitũ eſt, ſæpe accidiſſe oportet: cũ experientia ſit obſeruatio & memoria rei eiuſdem eodem modo ſæpius factæ: ſicut teſtatur Gal. lib. de ijs, qui introducuntur, cap. 2. de ſubfig. empirica, cap. 3. de opt. ſecta, cap. 11.

99. *Vt hoc rectius intelligatur, ſciendum eſt, experientiam eſſe* κατάληψιν ἢ τήρησιν, ἢ μνήμην, *vt Galenus ait,* τῶν πλειστάκις καὶ κατὰ τὸ αὐτὸ ἑωραμένων. *Idem Ariſtoteles initio Metaphyſicorum ſenſit, cùm ſcripſit,* αἱ πολλαὶ μνῆμαι τοῦ αὐτοῦ πράγματος μιᾶς ἐμπειρίας δύναμιν ἀποτελοῦσι. *Quare certum eſt, pro experientia haberi non debere, quod ſemel aut bis, aut ter duntaxat viſum eſt: quod Gal. itidem affirmat 3. aphor. 11. Hac de cauſa in fine 5. lib. de loc. aff. aſſerit, omnes illos qui experientia ἄνευ λογισμοῦ nitantur, rarò euenientium ἀπείρως ἔχειν.*

100. *Duplex igitur eſt experientia, cùm minus accuratè loquimur, vna confuſa, imperfecta, particularis, quæ impropriè ita vocatur. Altera perfecta, diſtincta & definita, quæ propriè ſic appellatur. Prior eſt fallax & lubrica* (σφαλερὴ, *imò* σφαλερωτάτη) *nec vllam meretur fidem. Poſterior conſtans eſt, certa & nunquam fallit. Hæc remedia ſine errore aliquo inueniuntur, Gal. cùm alibi, tùm in fine lib. 4. de ſimp. facult. teſte, vbi* διωρισμένην πεῖραν *vocat.*

101. *Cauſa erroris in priore eſt* τὸ ἀδιόριστον, *vt ex 2. cap. lib. 2. de pulſ. dignotione patet,* κινδυνεύει, *inquit,* ἐν πᾶσι πεῖρα σφαλῆναι παρὰ τὸ ἀδιόριστον. Διχῶς δὲ τοῦτ' αὐτὸ ἀδιόριστον γίγνεται. τὸ μὲν τῷ μὴ τεμεῖν τὸ κοινὸν εἰς τὰς ἐν αὐτῷ πάσας διαφοράς. τὸ δὲ τῷ μὴ σκέψασθαι τοῖς ἑπομένοις αἰτίοις, τίνα μὲν πρώτως, τινὰ δὲ κατὰ συμβεβηκὸς ἠκολούθησε. *Hinc libro 1. de vict. rat. in acut. text. 16. apertè oſtendit,* συμφωνίαν καὶ διαφωνίαν *in artibus, quarum theoremata experientia iudicantur, euenire* διὰ τὸ διωρισμένον τε καὶ τὸ ἀδιόριστον.

102. *Manifeſtè hinc patet, perperam iactare illos experientiam, qui cùm duos vel tres vel quatuor ægros hauſto certo pharmaco viderunt conualuiſſe, eiuſdem illius pharmaci occulta virtute (longiſſimè alia eſt ratio, ſi de nota vi diſputetur) eos perſanatos dictitant. Confuſa eſt & fallax experientia quæ* λογισμῷ *caret, non* διωρισμένη καὶ ἀσφαλής.

103. *Vt tuta & certa ſit, tria præcipuè adeſſe oportet. Primum eſt, vt medicamentum in certo morbo iiſdem ferè circumſtantijs præſentibus ſæpius cũ ſucceſſu vſurpatũ ſit. (In ijs quæ notis viribus agunt, ac methodicè imperantur, ſi vel ſemel experientia rationẽ comprobet,*

ſufficit:

ſufficit: at in occultis ſæpius repetita memoria eſt opus). Alterum eſt, vt ne per accidens vtilitas conſequuta ſit, & nihil aliud exhibitum fuerit, cui ſanatio attribui meritò debuerit aut potuerit. (Nam ſæpè natura fecit, vt cauſa quæpiam alia, quod pharmaco perperam aſcribitur). Tertium eſt, vt ne repugnet naturæ, talem effectum à tali re produci: quod propter ſuperſtitioſa remedia dicitur. Pugnat enim cum omni natura & veritate à charactere, figura, ſculptura, verbis ſiue barbaris ſiue alijs, affectum naturalem naturali efficatia tolli. Quare vt ſæpius talia contulerint, diabolica poteſtate contuliſſe citra dubitationem tenendum eſt.

104. *Niſi vehementer fallor, certiſſimis rationibus demonſtraui, occulta primi generis pharmaca in morborum internorum curationibus, ſiue extrinſecus adhibeantur, ſiue bibenda dentur, efficatiam nullam habere, aut minus multò prodeſſe quàm quæ ratione ſunt inuenta. Quocirca his potius quàm illis (quæ Gal.* οὐδ' ἕνα λόγον ἰατρικὸν ἔχειν *affirmat) confidere in morborum curatione decet.*

105. *Secundi generis quæ ſunt, prodeſſe certum eſt. At occulta propriè dici neq; poſſe, neq; debere oſtendi. Nam nec ſine qualitatibus notis, primis & ſecundis, nec vltra virtutem earundem, quicquam agunt, agere'ue poſſunt. Quocirca nec ſimpliciter incognitæ, nec ratione prorſus inſcrutabiles exſiſtunt. Etſi enim ante vſurpationem deprehendi in ſubiecto non potuerunt: poſtea tamen quàm operatione ſua ſe prodiderunt, rationis ductu indagatæ, inuentæ, & cognitæ ſunt, licet obſcurè, & ceu per vmbram nebulámue viſæ ſint.*

106. *At plurimum differt obſcura notitia ab ignoratione perfecta, nec omnino rem neſcire dicitur, qui non nouit perfectè: quod pulchrè Galen. lib. 3.* κατὰ γένη *cap. 2. his verbis monuit.* τὸ δ' ἀκριβῶς ἐπίστασθαι τὰς δυνάμεις, τοῦ μὲν ἐπίστασθαι διαφέρει παμπολύ. τὸ μὲν γὰρ μόνον ἐπίστασθαι, γινώσκειν ἐστὶν ἢ ξηραίνειν τὸ φαρμακὸν, ἢ ὑγραίνειν, ἢ ψύχει, ἢ θερμαίνειν ἡμᾶς πέφυκε. τὸ δ' ἀκριβῶς ἐπίστασθαι πρὸς τούτῳ καὶ τὸ ποσὸν τῆς δυνάμεως ἐστὶν ἐγνωκέναι.

107. *Præclariſſimè à Gal. dicta hæc ſunt. Si enim nullam facultatem nouimus, cuius gradum præciſè non percepimus, in ſumma omnium rerum ignoratione verſamur. An enim vllius plantæ aut partis*

corporis noſtri temperamentum exactè intelleximus? Quis negare audet, plurima, imò omnia compoſita pharmaca, & arte compoſita eſſe, & arte à nobis indicari? At nullus aut vixit, aut porrò viuet homo qui cuiuſlibet gradum præciſè nouerit, aut cogniturus deinceps ſit. Non tamen quiſquam cenſet, nos ob id efficientiæ eorum cauſas ignorare. Quare has quoq; potentias non prorſus neſcimus, etſi materiæ partium ac totius temperamenta non perfectè comprehendamus. Ergo occulta & ἄγνωστοι ſunt, non ſimpliciter, aut ἁπλῶς, ſed κατά τὴν comparatione ſcilicet magis notorum.

108. De morbis externis idem ferè iudicium eſt. Etenim Materiales potentiæ quæ certò iuuant, haud incognita prorſus facultate proſunt. Eſſentiales cùm alterandi virtute careant, quid conferant, vix dici poteſt. Nunquam enim ſenſibiliter vacuare viſa ſunt. Taceo quod nemo prudens precioſa & δυσπόριστα quærere volet, vbi viliora & certius conducentia abundant. Huc pertinent Gal. verba de Muſtelæ ſanguine, quem ad parotidas quidam laudabant. περίεργα δ' ἡγούμενος εἶναι τὰ τοιαῦτα, καὶ πενιχρὸν ἀποφαίνοντα τὴν ἰατρικὴν, εἰ διὰ τῶν ἄλλων βοηθημάτων ἄνευ γαλῆς αἵματος ἀδυνατεῖ θεραπεῦσαι παρωτίδας. οὔτ' ἐχρησάμην αὐτοῖς, οὔτε πεῖραν ἔσχον, ἀλλ' οὐδὲ ἄλλος τις τῶν φίλων ἐπεχείρησε χρῆσθαι.

109. Cæterùm, vt tota diſputatio ſit clarior, & minor dubitandi relinquatur occaſio, pauca quædam obiecta difficiliora ex ante poſitis diſſoluere tentabimus. Prima ergo de purgantibus occurrit quæſtio, quali ſcilicet virtute humores è corpore educant? Vt enim non omnia virtute incognita purgent (nam lubricando, abſtergendo, cogendo, mordicando & irritando, plurima aluum mouent) aliqua tamen ſic purgare, nullus puto, inficiabitur.

110. Nego autem horum virtutem ſeu qualitatem purgatricem adeò eſſe abditã, vt ex ſapore & odore nullo modo deprehendi queat. Etenim ſapor, & multò magis odor eam hactenus produnt, vt ab exercitatis coniectura non prorſus experte artis inueſtigetur & percipiatur. Quis credat hac in re brutis nos eſſe inferiores? Quis etiam neſcit ſic purgantia ſapore horribili, & odore quodã abominando eſſe prædita? Si non ſemper inſtar brutorũ animaduertimus, in cauſa tum illud eſt, quod ſupra de admirabili partiũ varietate diximus, tùm quod mens aliò conuerſa, adhuc non reſpicit. 111. Qua

111. *Quæ verò eſt in venenis nota qualitas, inquies celeriter adeò interimens? Negari non poteſt, quin omnia venena celerem interitum adferentia vel alterando, vel diſſipando, vel ſuffocando, &c. ſpiritus cordis interficiant. Et ex calidis illa celerius occidunt, quæ tenuiora ſunt, ocyusq; penetrant; (quæ namque craſſiora ſunt, tardè ad cor perueniunt) quod præclarè demonſtrat hiſtoria Locuſtæ veneficæ apud Sueton. in vita Neron. cap. 33. Omnium celerrimè necant, quæ in ſpiritum ſeu vaporem mox ſoluuntur, aut in aërea ſeu ſpirituoſa ſubſtantia inſident. Nam & ſpiritus ſtatim contaminant, & cum eiſdem per corporis ſubſtantiam diffuſis miſta, facilè ad cor perueniunt. Celeris ergo interitus cauſa eſt veneni tenuitas, propter quam ſubito in vaporem vertitur, ac ſpiritibus permiſcetur. Hi cùm perpetuò ferè à corde ad membra moueantur, & ab his rurſus ad cor recurrant, facilè venenatus vapor eôdem rapitur.*

112. *Quod ſi venena exſtarent, quæ abſque alteratione ſpiritus cordis diſperdendo necarent, (De ſuffocantibus hic nihil attinet diſputare) prorſus ignota & ſubſtantiali virtute occidere dicerem. At cùm omnis ſenſibiles & magnas alterationes in corpus humores & ſpiritus inducere videamus, conſiteri cogimur, effectritium qualitatum vi, hoc eſt, non mouendo ſolùm, ſed agendo (Quo differant κινεῖν & ποιεῖν ex 1. lib. de orth. & inter. cap. 6. diſcendum eſt) interficere. Nec ſunt inſtar primorum efficientium, quæ in agendo non re patiuntur, ſed vltima, quæ in agendo etiam patiuntur.*

113. *Cùm qualitatibus primis agere venena dicimus, non hoc volumus, ea ſimpliciter calefacere, frigefacere, &c. ſed certo quodam, & ſibi peculiari modo, hoc eſt, totius ſui temperamenti calore: quod alij totis ſubſtantijs agere dicunt. Exemplo caloris putridi perſpicuè declarare licet. Hic enim non vt ſimplex tantùm calor, nempe ignis vel aëris calefacit, ſed vt putridus calor calefacit ſimul ac putrefacit. Sicut ergo non abſolutè neſcimus, qua qualitate agat res putris, quia putredo qualitas eſt totius ſubſtantiæ, & ob id occulta: ita non omnino ignoramus, qua venena qualitate agant, quia totis ſuis ſubſtantijs agunt.*

114. *Deinde non ſtatim ſi venenum exſtet ſpiritus latente poteſtate ſubitò ferè diſijciens, neceſſarium ſit etiam pharmacum inue-*

uiri, quod eoſdem æquè cito regeneret. Quis neſcit ferro infligi vno ferè momento vulnus, quod nullo deinde pharmaco tàm facilè conglutinari queat. Quis non aduertit putredinem quauis occaſione in corpore excitatam tardè admodum inhiberi medicamentis? Facilius eſt, quod rectè vereq́ue vulgo dicitur, deſtruere, quàm conſtruere. Ad hoc enim valdè multis eſt opus, quorum ſi vnum duntaxat vel abſit, vel non rectè habeat, rem vel corrumpi, vel vitioſam reddi oportet.

115. Notior eſt cauſa horum euentuum apud Medicos, qui Naturam & vulnera glutinare, & ſemiputrida corrigere, & ſpiritus regenerare ſciunt. Quomodo autem regenerabit tàm breui ſpacio, cordis calore vel exſtincto, vel plurimum fracto? Vegetus & viuidus calor ad hoc requiritur, vt ſpirituum vtilium copia celeriter generetur. Quare nullus hic vel alimentorum vel remediorum occultorum vſus eſt, vt quæ materiam cordi ſolummodo ſuppeditent, ipſum, niſi prius alterata & concocta ſint, non roborent.

116. Quæ vſq; ad hanc ætatem certa & diſtincta experientia (qualis in 100. theſi deſcribitur) comperta ſunt contra venena profuiſſe, notis omnia qualitatibus iuuerunt. Etenim vel acrimoniam eorum retuderunt, vel qualitate oppoſita alterarunt, vel ſubſtantiam diſcuſſerunt, vel ſenſibili vacuatione extra corpus excluſerunt. Nullum adhuc eſt inuentum, quod latente ſimpliciter facultate reipſa commodarit.

117. Falſum eſſe ac nugatorium, quod aliqui aiunt, Remedia inueniri, quæ occulta virtute venenis ſic aduerſentur, vt ea vel ſudore, vel coloris mutatione, vel alio modo conſimili prodant, eorumq́; vim vel geſtata & appenſa, vel cibis admota, hebetent & exſtinguant, ex prædictis clarè perſpicitur. Multa quidem huius generis audiui ac legi, ſed qui animaduertere volet, nihil aliud quàm meras & putidas fabulas eſſe cognoſcet, præſertim ſi periculum fecerit.

118. Quod alia ſoli homini, alia alijs animalibus nocent, id propter diuerſitatem miſtionis & temperamenti accidit. Sicut alimenta non ſunt omnibus eadem, ita nec venena. Sicut etiam alimenta non ſola experientia cognoſcimus, verumetiam coniectura artificioſa diiudicamus, ita et venena ςοχαςικῷ τεχνικῷ deprehenduntur ab exercitatis, quemadmodum ante dictum eſt.

119. Quid

119. *Quid verò Galen. reſpondebimus libro 1. de potent. nat. cap. 14. explicatiſſimis verbis affirmanti pharmaca inueniri, quæ venena certa, non quælibet, ad Magnetis modum ad ſe attrahant, eaque ſuper ipſis pharmacis (ne dubitare poſſis) reperta ac viſa.*

120. *Idem filis, quibus vipera ſtrangulata fuit, Iaſpidi viridi, Hieraciti Lupino ſtercori atque alijs nonnullis vires ineſſe tradidit, quibus alligata certos morbos ſanent. Nec audita refert, ſed propriam experientiam iactat. Quorum ratio cùm ſit inexplicabilis, occulta virtute merito talia præſtare dicimus.*

121. *Ego verò vehementer miror, cur nullo ſuorum librorum loco pharmaca illa, vi adeo ſalutari prædita, nobis nominarit, cùm beare nos abſque incommodo ſuo potuerit. Sæpè meminit pharmacorum venena attrahentium, ſed omnia non abſtruſa illa antipathia, ſed qualitate non prorſus incognita nobis id præſtant. Deinde ſi ita res habet, quî factum putabimus, quod ipſi atq; alij vetuſtiores non ſolùm eadem remedia diuerſiſſimis ſpecie venenis, verùm etiam eidem veneno diuerſiſſima remedia extrahentia præſcribant? Non poteſt virtus talis, quæ certæ formæ, certiúe temperamenti proprietas eſt, in differentibus rebus ſpecie vel fingi.*

122. *Laudandus ob id Dioſcorides, qui lib. 6. cap. de communi τῶν ἰοβόλων curatione talia cum Eraſiſtrato ridet:* οὐκ ἀλόγως δὲ ὁ Ἐρασίστρατος ἐπιμέμφεται τοῖς ἀγνώστους δυνάμεις πρὸς τὴν χρείαν ἀναγράφουσιν, ὡς χολὴν ἐλέφαντος, καὶ αἷμα κροκοδείλη καὶ ὠὰ χελώνης, καὶ τὰ παραπλήσια. δοκοῦσι μὲν γὰρ τινα πεποιῆσθαι παράδοσιν ὠφιλοῦντων: ἐξηπατήκασι δὲ αὐτὰ μόνα τοὺς ἐντυγχάνοντας. ὅθεν τὰ μὲν τοιαῦτα παραιτητέον, μήτε ῥαδίως εὑρεθῆναι δυνάμενα, εἰ μὴ ὑπὸ ἐξουσίας βασιλικῆς, μήτε διὰ τῆς πλείστης τηρήσεως ὅσιαν εἰς τὸ πιστωθῆναι τὴν πεῖραν παρεσχημένα.

123. *Ad reliqua æquè facilis eſt reſponſio: nec vna ſola. Primum enim diſsidet à ſe hic Gal. qui eiuſmodi aliàs ridet. Quare optimo iure eum tunc ſequimur, cum veritati & rebus conſentanea dixit. Deinde patet ex ijs locis, in quibus talium meminit, eam non ſæpè talia vſurpauiſſe: & proinde regulam conſtituere non potuiſſe. Non enim quia vel à Natura, vel ab alia cauſa ſanatus eſt, cui admotum huiuſmodi quid fuit, ipſum morbū depulit. Quam multa ad definitam*

experientiam requirantur; ſuprà diximus. Tertiò, ſi virtute formali pollent, non ingenerabunt nouam corpori formam: quod ſine alteratione fieri nequit. Si materiali opitulantur, calefaciendo, frigefaciendo, &c. iuuant. Nota igitur, non ignota vi conferunt. Quartò vel nunquam, vel raro & frigidè leuiterq́, nobis talia commendat, vbi morborum curationes docet.

124. *Damnat hac etiam de cauſa quod ferè omnia difficillima ſunt inuentu. Equidem in 3. de loc. aff. 2. Deos atteſtatur; ſe diu multumq́ in eo laboraſſe, vt cognoſceret verum Methodo, an experientia inuentis vti præſtet, cùm vel morbus infrequens eſt, vel pharmacum ægrè nanciſci poſſumus: ac tandem ſic concludit:* εὗρον οὖν ἐπὶ τῶν ἔργων, τὴν διὰ τῆς ἀληθοῦς ἐνδείξεως εὕρεσιν τῶν βοηθημάτων ἐν τοῖς σπανίως ἀποβαίνουσι πλεονεκτοῦσαν τῆς ἐμπειρικῆς γνώσεως.

125. *Summa negocij eſt, Remediorum alia inueniri ſola ratione, ſicut Gal. ſe reperiſſe ſcribit pharmacum* διαχαρύων, *& quæ punctis neruis conducunt) alia ſola experientia, (In hac claſſe numerantur, quæ latente vi agere putantur) alia vtroq́, modo: quibus ſolis maximè confidimus. Nam ratione inuentis tunc plenam fidem adhibemus, cùm ſubſequens experientia ratiocinationem comprobauerit. Experientiam quoq́ tantiſper pro ſuſpecta & fallace merito habemus, dum vel ſubſequens ratiocinatio eam confirmauerit, vel neceſſarijs adhibitis diſtinctionibus ſæpius idem ab eodem pharmaco effectum perſpexerimus. Sanè vt in alijs partibus artis noſtræ, ita in remediorum quoq́ inuentione claudicat Medicus, ſi altero ſolùm crure incedat.*

Coronidis vice libet his ſubijcere verba ſummi viri D. Conradi Geſneri ex lib. Epiſt. 1. Epiſt. 3.

Video ferè indoctiſſimos quoſq́, & maximè ſuperſtitioſos homines, cùm olim, tùm nunc, lapidibus, alijsq́, apotropæis, amuletis, & rebus eiuſmodi, quarum ratio nulla ferè conſtat, & experientia plerunq́ fallit, plurimum tribuiſſe. Credulitas fortè & perſuaſio (Addo ego & pactum cum Dæmonibus ab aliquo initum) in nonnullis aliquid faciunt: nec mirum in paucis aliquando ſuccedere, quod in plurims tentatur:

εαται: φύσιες νόσων ἰατροί: κατὰ συμβεβηκὸς δὲ πολλάκις ἰᾶσθαι τὰ ἰάματα. σοφῶ δὲ τὰ κατὰ συμβεβηκὸς τῶν καθ᾽ αὑτὰ διακρίνειν.

DISPVTATIO XXIII.

De Stupore, medicamentorumq́ Stupefacientium Natura & viribus.

MVlta eſt ac crebra mentio apud medicos Narcoticorum, ſeu ſtupefacientium medicamentorum: nec tamen omnibus conſtat, quæ nam ſint illa, quæ propriè ſic vocentur. Nam non frigida tantùm, ſed & calida quædam ſic nominata reperimus. Quare non ſine iuſta cauſa quæri poteſt, primùm quidem, quæ propriè & quæ impropriè narcotica ſint ac dicantur? Secundò verum aperta an latente vi ſtupefaciant?

2. Eſt autem difficile ad hæc apertè reſpondere, priuſquam declaratum ſit, quis & qualis affectus ſit ſtupor: quæ eius cauſæ, quiſue generationis modus, quibus partibus accidat, & quomodo à finitimis ac ſimilibus affectibus differat. Non enim vni ſoli affectui medici nomen ſtuporis attribuunt.

3. Sed horum quoq́ explanatio facilis non eſt, antequam nomina ritè diſtinguantur: eoq́ modo ambiguitas vitetur. Quippe non Græci ſolùm, verumetiam Latini, pluribus nominibus eundem affectum efferunt, eodemq́ nomine aliquando diuerſos affectus complectuntur. Vnde fit, vt facilè homonymia vocabulorum falli poßit, qui hac in re negligens fuerit.

4. Græci affectum, de quo præſens inſtituta eſt diſquiſitio, ſenſus videlicet ac motus diminutionem, propriè νάρκην & νάρκωσιν vocant. Impropriè locuti ſunt, quando imbecillitatē ventriculi ac mentis νάρκωσιν τῆς κοιλίας καὶ τῆς διανοίας appellarunt. Membrorum quoque debilitatem, ignauiam & ſegnitiem, quam aliàs ἀτονίαν, ἀργίαν, νωθρότητα, ἀῤῥωςίαν, ferè nominare ſolent, ἔκπληξιν, item & ἀποπληξίαν inuenimus νάρκωσιν nuncupatam. At non minus impropriæ ſunt hæ nominationes, quàm nuper dictæ.

5. Etſi autem nomina hæc, νάρκη & νάρκωσις ſeu νάρκυσις aliquando confunduntur, vt alterum pro altero ponatur, propriè

tamen primum diſpoſitionem ſeu affectum, reliqua læſam actionem ſeu ſymptoma ſignificant.

6. *Maior ob id apud Latinos eſt confuſio. Non enim alia voce morbum, & alia rurſus ſymptoma efferunt, ſed vna & eadem vtrumq́ exprimunt. Deinde omnes illas Græcorum voces, ſtuporem aut torporem aliquando interpretantur. Quinimò* ἔκπληξιν & κάρον *ſtuporem vocant:* ἀπόπληκτον *membrum etiam ſtupidum exponunt, vt Aphoriſmos legentibus liquere poteſt. Sæpius tamen* νάρκην & νάρκωσιν *ſtuporem aut torporem reddiderunt.*

7. *Cæterùm in eo vtrique conueniunt, quod ſymptoma illud partium ſentientium (quæ motu arbitrario mouentur) in quo non ſenſus tantum, ſed & motus præter naturam debilitatus eſt, Græci* νάρκωσιν & νάρκην, *Latini ſtuporem & torporem nominant. Etenim ſtupor ſeu* νάρκη *non eſt* ἀναισθησία & ἀκινησία, *ſed* δυσαισθησία *quædam &* δυσκινησία.

8. *Nec ſymptoma tantum, ſed & huius cauſam (quam Galenus continentem ſeu proximam vocat, nos diſpoſitionem ſeu morbum appellamus) nomine* τῆς νάρκης *illi, ſtuporis autem & torporis hi comprehenderunt. Quò Galeni verba hæc pertinent,* ἡ γὰρ τοι νάρκη ψύξίς τις ἐστὶν οὐκ ἀγεννὴς, & ὀνομάζεται δ᾽ ὡς ἔφην, ἡ τοιαύτη ψύξις, νάρκη. *Item,* ὅτι δὲ διαθέσεως ὄνομα ἐστὶν ἡ νάρκη, καὶ οὐκ αἰσθήσεως ἢ πόνου, δεδήλωται καὶ πρὸς Ἱπποκράτους εἰπόντος, νάρκη δὲ μετρίη ὀδύνης λυτική. *Idem Auicenna ſenſit, cum inſtrumentalem morbum eſſe dixit.*

9. *Ergo* νάρκωσις *vel ſtupor, quoad ſymptoma eſt, nihil aliud eſt, quàm diminutus ſenſus ac motus partium, quæ motu voluntario mouentur. Equidem* προαιρετικῆς ἐνεργείας βλάβην *nominat Galen. lib. de ſympt. cauſis 2. cap. 2.*

10. *Quando pro morbo ſumitur* νάρκη, *nihil aliud eſt, quàm diſpoſitio partium ſenſu ac motu arbitrario præditarum, quæ prima ſenſionis ac motionis in eiſdem debilitatæ cauſa exſiſtit, vt ex prædictis patet, ac dicendis magis patebit.*

11. *Sequitur ex his neceſſario, Stuporem (cum pro ſymptomate ſumitur) nec inter abolitas, nec inter deprauatas functiones numerari, ſed inter debilitatas collocari debere. Hinc Gal. lib. de ſympt. cauſis 1. c. 5.*

1.cap.5.& vltimo,non genere,ſed magnitudine ſolùm à paralyſi differre, adeoque nihil aliud eſſe ſcripſit, quàm leuem quandam paralyſin.

12.Quo illud etiam pertinet,quod locis citatis ait,miſtum affectum eſſe ex morbo & facultate.Idem voluit in libro 2.de loc.affect.cap.2. cùm mediam affectionem eſſe affirmauit inter Paralyſin (in qua ſenſus & motus ablatus eſt) & in integram ſeu perfectam ſanitatem.

13.Sequitur ex eiſdem,nec ventriculi aut iecinoris,aut cerebri aut aliorum viſcerum ἀτονίαν vel ἀῤῥωςίαν propriè νάρκωσιν vocari poſſe. Quoniam nominata iam viſcera,non ſunt motus arbitrarij inſtrumenta,quibus ſolis ſtupor propriè ſic vocatus,accidit.

14. Impropriè quoq; ſtupor nominatur, ſenſus illa amiſsio,quæ in apoplecticis,paralyticis,cathoche correptis, comate aut caro oppreſſis,cernitur. Clarè nanq; affirmat Galenus, ſtuporem accidere partibus ſentientibus,quæ reſoluuntur,dum reſoluuntur:non autem cùm reſolutæ iam ſunt.

15.Deprauati quinetiam motus Epilepticorum,conuulſioneq; laborantium,malè ad ſtuporem referuntur. Etſi enim ſenſus in Epilepticis deperditur,non tamen ob eandem cauſam in his & ſtupore affectis amittitur. In ſtupore quoq; actionem non deprauari,ſed debilitari dictum fuit.

16. Nec profundus ſomnus rectè appellatur ſtupor. Gal. enim in com.2.lib.prorhet.1.aph.29.disertè ſcribit, ὅταν ἐκ οἴνου πόσει πλείονι κεκαρωμένον τινὰ λέγομεν, οὐδεμίαν ἐνδεικνύμεθα νοσώδη διάθεσιν. *Si nulla eſt in eo,qui ex liberaliore vini potu ſoporatus iacet,morboſa affectio,qui poterit eiuſmodi ſomnus ſtupor vocari? Etenim ſtupor cùm pro* διαθέσει *ſumitur,morbus eſt.*

17. Quis etiam probatus Medicus profundum ſomnum putauit eſſe paralyſin vel perfectam vel imperfectam? At ſtupor eſt quædam veluti dimidiata paralyſis,vt ex Galeno monſtrauimus. Impropriè igitur ſtupidi vocantur,qui ob ebrietatem ſomno ſepulti,ægrè tùm ſentiunt tùm mouentur.

18.At Gal.inquies,in expoſ.aphor.5.lib.5.cum Hipp.affirmat ex ebrietate ſoporatos graui morbo detineri. Reſpondeo. Hippoc. de illis loqui,qui ob ebrietatem muti fiunt,ſenſuq; ac motu tantùm,non pror-

ſus orbati ſunt: quem affectum Gal. propriè κῶμα nominari monet.

19. Quid verò ſi Hipp. ἀφώνους ἐξαίφνης factos vocarit non eos, qui profundè dormiunt, ſed qui citra ſomnum repentè collabuntur & obmuteſcunt inſtar Apoplecticorũ? Quî enim ſciri poteſt, verum, qui dormire prius cœpit, ſubitò ἄφωνος ſit factus, an poſtea aliquot horis ſenſim ſit reſolutus? Qui ita affecti ſunt, non δυσαισθησίᾳ, & δυσκινησίᾳ laborant inſtar ſtupidorum, ſed propter cerebri facultatem propè exſtinctam ἀναίσθητοι καὶ ἀκίνητοι potius ſunt nominandi.

20. Ex dictis efficitur, neq; cum profundo ſomno ſemper ſtuporem coniungi, nec omnium membrorum ſtuporem habere ſomnolentiam comitem: licet ambo hi affectus aliquando ſimul compareant. Non enim quæcunq; aliquo tempore ac loco ſociata reperiuntur, ſeorſum & ſeparata eſſe nunquam poſſunt.

21. Par ratio eſt delirantium. Etſi enim multi ſtupore laborantes amentia ſimul laborant, non tamen perpetuum hoc eſt. Quis enim prudens putet phreneticos, maniacos, melancholicos, in febribus deſipientes neceſſariò artus habere ſtupidos? Res ipſa teſtatur, tales ſæpenumerò tum acutiſſimè ſentire, tum validiſſimè moueri.

22. Clarè ſatis oſtenſum eſt, nec m[illegible] b[illegible]m attonitum nec comitialem, nec catalepſin, nec carum, nec profundũ ex ebrietate ſomnum, nec paralyſin, aliosq; conſimiles morbos rectè ad ſtuporem referri. Etenim in talibus auferitur potius, quàm diminuitur ſenſus & motus.

23. Ad hoc accedit, quod prædicti morbi cerebri magis, quàm partium ſenſu motuq; præditarum, morbi ſunt: quod Gal. his verbis teſtatur: ἔστι δ' ὡς εἰπεῖν, οὐ μορίου τινὸς ἴδιον ἡ νάρκη πάθος, ἀλλὰ διαθέσεως ἅπασι μὲν ἐγγινομένης τοῖς σώμασιν, οὐκ ἐν ἅπασι δ' αἰσθητῶς φαινομένης, ἀλλ' ἐκείνοις μόνοις, ὅσα πέφυκεν αἰσθάνεσθαι τῶν ἐν αὐτοῖς παθῶν, καὶ κινεῖσθαι κατὰ προαίρεσιν. Idem alibi quoq; affirmauit, cùm neruoſarum partium affectum eſſe ſcripſit.

24. Conſequens nunc eſt, vt diſpiciamus, à quot qualibuſq; cauſis, & quomodo generetur ſtupor. Quando igitur pro ſymptomate accipitur, cauſam aliã nullã habet, quam morbũ, quem Gal. continentẽ ſeu propinquiſſimam et coniunctã cauſam vocat lib. de ſympt. cauſ. c. 5.

25. Quando autem pro diſpoſitione ſeu morbo ſumitur, nihil eſt aliud, ſi Galeno in loco iam citato credimus, quàm talis quidam in

neruis

neruis affectus, cuius gratia vis è cerebro ad membra dimanans, tranſire per eos prohibetur. Quare non eſt καθόλου definitio illa ſtuporis, quam ex eodẽ ſuprà in theſi 8. attulimus.

26. Hanc ſi finitionem ſeu deſcriptionem recipimus, concedere pariter cogimur, ſtuporem neruorũ proprium affectũ, morbũ inſtrumentalem eſſe, quod Auic. quoq; placuiſſe video, lib. 3. Fen. 2. ca. 13. Nã diſertè hic ſcribit, morbum eſſe inſtrumentalẽ: licet parum ſibi conſtare in ijs, quæ mox ſubtexit, atq; alibi etiam tradit, cenſeri poßit.

27. Equidem neruus, quatenus eſt delator ſpirituum aut facultatum animalium, operationem habet non ſimilarem ſed inſtrumentalem. Si ergo hac duntaxat ratione ſenſus ac motus partium hebetatur: quia per neruum vis è cerebro in eas influere prohibetur, omnino certum eſt, propter inſtrumentale vitium in eo pronatum partes ſtupidas reddi.

28. Vt huius rei veritatem rectè inueſtigemus; ordiendũ nobis erit à principio omnibus confeſſo, ſcilicet ſtuporem ſiue νάρκωσιν partium, quæ ſentiunt ac mouentur, ſenſus ac motus earum eſſe diminutionem, hoc eſt, actionem eſſe diminutam, non ablatam aut deprauatam. Quo poſito, neceſſarium, vt vel ipſa pars ſtupens in cauſa ſit, vel facultas per neruos influens. Fieri enim nõ poteſt, vt pars, quæ nihil eſt paſſa, et facultatem à cerebro profluentem habet, nunc, quàm antea, obtuſius ſentiat, ægriuſq; moueatur.

29. Facultate aũt priuantur partes, quoties ea vel nõ diffunditur ſeu emittitur, vt emitti ſolebat, vel per neruos tranſire prohibetur. Prius fit, cũ vis cerebri ſeu animalis in ipſo cerebro vehementer eſt, vel debilitata vel obruta.

30. Debilitantur autem vel à qualitatibus notis (vt frigiditate natiuum calorem exſtinguente, & caliditate vires exſoluente, quod cum Hipp. Gal, affirmat aph. 16. lib. 5.) vel ignotis ac nomine carentib⁹. Obruitur ac velut ſtrãgulatur eadẽ à ſuccorũ aut vaporũ copia.

31. Tranſitus facultati per neruos negatur, quia vel obſtruuntur, vel cõdenſantur. Obſtructionẽ pariũt ſucci vel lenti & craßi, vel multi. Denſantur aũt ab eiſdẽ, ſi fortè in eos ſe inſinuauerint: & à cõpreſſione, inſuper, quacunq; ex cauſa orta fuerit. Deniq; etiã à frigiditate, vt Gal. lib. 1. de ſympt. cauſ. c. 5. & 8. & lib. 2. c. 1. & 2. & lib. de locis aff. 2. c. 2. alibiq; docuit.

32. *Quoties autem facultas liberè quidem influit in partes, nec tamen hæ, ſicut antea, tum ſentiunt, tum mouentur, tunc ſtuporis cauſa in ipſa parte affecta quæri debet. Conſiſtit autem vel in neruo vel in cæteris partibus à neruis ſenſum motumq́ recipientibus. Non enim nunquam accidit, vt neruus extra locum affectum vitij ſit expers, in ipſo autem loco vitium contraxerit.*

33. *Poteſt enim in parte qualibet obſtrui, conſtringi, diſſolui ac laxari, alióue modo inutilis reddi. Obſtructionis cauſæ iam antè dictæ ſunt, ſicut & conſtructionis ac diſſolutionis, quæ à manifeſtis ac notis qualitatibus naſcuntur. Nec dubium eſt, quin hic etiam à vi latente & incognita oblædi queat.*

34. *Sic & aliæ partes poſſunt tum à frigiditate (quod experientia demonſtrat) tum à virtute abdita certarum rerum ita alterari ac immutari, vt tametſi eis à neruo vis mouendi ac ſentiendi communicetur, non tamen ita vt prius, moueantur & ſentiant: quod ex ſequentibus clarius fortaſſe perſpicietur.*

35. *Tot ſunt cauſæ ac modi, quibus ſenſus ac motus membris vel ex toto vel ex parte eripitur. Stupor autem propriè dictus non eſt cerebri affectus, ſed neruorum & partium neruos ad ſenſum motumq́ exercendum, excipientium, vt ex eis, quæ retro dicta ſunt, perſpicuè patet. Accidit quidem affectio eadem alijs quoq; partibus ſenſu & motu carentibus, vt ex Gal. didicimus: at ſtupor non dicitur: quia ſenſus ac motus in eis non oblæditur.*

36. *Certum eſt, membra quædam interdum reſolui aut ſtupeſcere, nullo in cerebro vitio exiſtente. Quæ res in ſtupore quàm in paralyſi, aptior eſt, propterea quod hæc abſq; neruorũ affectu euenire non poſſit: ſtupor autem in parte aliqua naſci poßit citra nerui offenſam: vt in theſi 34. dictum eſt. Nam vt partes aliquæ, licet nerui ad eas accedant, propter inſitam temperiem non ſentiunt, ita nihil puto, vetat carnes propter mutatam temperationem ſiue morbum tales euadere, vt à neruo non ita afficiantur, ſicut per ſanitatem afficiebantur.*

37. *Ad quod probandum minimè opus eſt multa adferre alia, cùm vel vnicum exemplum calculoſi illius nobis ſufficiat, quem Gal. ſe ſanauiſſe ſcribit lib. 6. de tuenda ſanitate, cap. 11. (Aëtius tetra lib. 3. ſerm. 3. cap. 8. à philagrio curatum ait) cui propter attenuantem vi-*

tus rationem digiti exſiccati adeo fuerunt, vt motus & ſenſus immi nuti ſeu ſtupidi redditi fuerint.

38. Manifeſtè ergo patet, propriè dictum ſtuporem nõ eſſe cerebri affectum, ſed partiũ ſenſu ac motu præditarum. Sicut enim ſtupor non nullis cerebri morbis accidit, ita viciſſim accidunt ſtupori aliquando ſomnolentia & deliria quædam: de quibus paulò poſt aliquid dicetur.

39. Reſtat iam vt videamus, quæ nam aut qualia pharmaca pro priè ναρκωτικὰ vocentur. Veteres eadem hæc remedia interdũ ὑπνω τικὰ, et καρωτικὰ etiã nuncuparũt, quod videlicet nõ ſtupefaciendi ſo lùm, verumetiam ſomnũ aut ſtuporẽ inducendi pleraq; vim nacta ſint.

40. Conſtat aũt eos ita nominaſſe, quæ refrigerando tum ſtupefa cere, tum ſopire animalia ſolent: ad quod probandum pauca ex multis teſtimonia citabo. Videat qui vult Gal. lib. 3. de temp. 4. de loc. aff. 2. c. 2. de cõ. pharm. κατὰ τόπους lib. 7, c. 5. & lib. 9. c. 4. Libro itẽ Meth. therap. 12. c. 1. & 4. & lib. 5. de ſimp. facult. c. 19. Huic tum Græci alij, tum Arabes conſentiunt.

41. Etſi verò Gal. in 6. Epid. cõ. 5. aph. 13. Lib. itẽ Meth. therap. 12. c. 8. inter verè narcotica ſeu vehemẽter refrigerantia (qualia ſunt opium, mandragora, cicuta, hyoſciamus, ſolani quædam ſpecies) ſtyracem numerare videtur, nunquã tamen hoc eũ voluiſſe (ſcilicet ſtyracem per ſe frigefacere) credere potui. Etenim vbiq; aliàs, calefacere, emollire, concoquere, diſcutere, affirmat.

42. Quare vel ob id cum frigidis recenſuit, quia veteres eum nar coticis antidotis cõmiſcere ſoliti ſunt (quod in loco Epid. nunc citato innuere videtur) vel quia liberaliùs hauſtus inſtar refrigerantium de mentare, adeoq; interficere poteſt. Colligi hoc videtur poſſe ex lib. 5. de ſimp. pharm. poteſt. c. 19.

43. Styracem inimici aliquid naturæ noſtræ in ſe habere, probat id primùm, quod ſubducendi ventris vim poßidet: deinde quod ſuffitus capitis dolorem inducit, vt non in hoc ſolùm loco, ſed etiam 3. de loc. aff. 9. Gal. affirmat. Liber etiã 2. de cõ. κατὰ τόπους in fine cap. 1. hæc habet: ςύραξ ὀλίγος μὲν ποθεὶς λύει σκοθεροπότητα, πολὺς δὲ σκοτάζει ταραχώδεις ὕπνους.

44. Quanquã Dioſc. nõ ſtyraci, ſed eius oleo vim caput grauanti & ſomnũ inducendi adſcribere videtur: quod minus eſt mirandum.

Cæterum hæc facit ex Gal. ſententia, quatenus odore ſuo graui caput prauis exhalationibus replet: quod ei cũ alijs multis cõmune eſt. Nã & myrrha, cui opocalpaſum admiſtum eſt 1. de antid. c. 11. & crocus, ſimilia faciunt, teſte Gal. lib. 5. de ſimp. pharm. poteſt.

45. *Impropriè porrò narcotica dici, quæ calefaciendo ſoporẽ aut amentiã inducunt, eaq́; ratione ſtupefaciunt, his probatur argumentis. Idẽ effectus à contrarijs cauſis per ſe nulla ratione produci poteſt. At medicamenta calida & frigida cum ſint cõtraria, ſi vtraq́; ſtuporẽ progenerant, neceſſariũ eſt, vt ab alteris per ſe, ab alteris per accidens efficiãtur. Cæterũ ex omniũ conſenſione per ſe ſtuporẽ ingenerant membris frigida. Quare impropriè ita nominantur, quæcunq; calefaciunt.*

46. *Deinde narcotica propriè dicta ſentiẽtibus membris impoſita, ea ſtupefaciunt: quod nõ tantum medici cum Gal. omnes, Græci, Latini, Arabes, affirmãt, ſed ipſa etiã quotidiana experientia euidenter demonſtrat. Oculis, dentibus, pedibus ex podagra dolentibus, quis non aliquando vtiliter imponi vidit? Ego ex foliorum & ſeminis hyoſciami vſu podagricos (qui tempeſtiuè eis ſunt vſi) incredibiliter iuuatos re ipſa cõperi. Sed fruſtra probamus tentare, quod nemo negauit. Iam verò calida nulla hoc præſtare poſſe, æquè certum eſt. Impropriè ergo narcotica vocantur.*

47. *Fruſtra obiecerit nobis hoc loco aliquis authoritatẽ Hipp. & Gal. lib. 5. aph. 16. quem locũ ſupra in theſi 30. produximus. Nam ibi agitur de diuturno & frequenti calidorum vſu, neruorũ ſubſtantiam diſſoluente. Hic ſermo nobis eſt de medicamento, quod ſemel tantùm aut bis impoſitum plerunq; non multis poſt admonitionem horis, egregiè vim ſuam exſerit.*

48. *Sequitur hinc, omnia illa pharmaca, quæ ob id ſolùm ſtuporem membris adferunt, quia ſoporem inferunt, ὑπνωτικὰ & καρωτικὰ rectius appellari quã ναρκωτικά. Et quæ vtrũq; efficiũt, nõ propriè narcotica dicuntur, quia ſoporẽ ſimul generãt, ſed quia ſine ſopore ſenſum motumq; hebetare poſſunt. Etenim quæ per ſoporem duntaxat ſtupefaciunt, non per ſe id faciunt.*

49. *Similis eſt eorũ cõditio, quæ amentiã inuehũt, et ad interitũ ducunt. Cũ enim ſtupor eſſe in membris poſſit abſq; deſipientia virtutiſque animalis extinctione, & è cõtra oblædi poſſit ratio citra artuum ſtuporẽ (vt in theſi 21. oſtenſũ eſt) manifeſtũ quoq; eſt, aliud eſſe ſtupe-*

facere, & aliud rurſus dementare aut occidere, quantumuis vnum aliquando pharmacum vtrumq; perficiat.

50. *Meritò igitur collandabimus illorũ ſententiã, qui tria narcoticorũ conſtituunt genera. Vnũ eorum, quæ per ſe ſtupefaciunt, & ob eã cauſam propriè ita nominantur. Alterũ eorum, quæ per accidens videntur idẽ efficere. Hæc in duas ſpecies diſtrahuntur. Quædam enim, quia ſoporẽ progenerant, membris motũ & ſenſũ auferũt. Quædam quatenus occidunt, animalibus ſenſum ac motum eripiunt: quo referri omnes pernicioſi morbi poſſunt.*

51. *Vinum etiã (quo tamen nihil inuenitur naturæ noſtræ familiarius & vtilius) ea copia hauſtũ, vt κάρον faciat, natiuũq; cerebri calorẽ ſuffocet, quemadmodũ in theſi 18. diximus, huc reuocari debet. Si enim profundũ ſomnum duntaxat efficiat, inter morbos ea affectio non poterit reponi: quod itidem ſupra theſi 16, ex Gal. probaui.*

52. *Supereſt vltimũ caput, vt videamus, qua vi ſtupefaciant, quæ verè narcotica eſſe oſtendimus. Nã quæ per accidens ſenſum ac motũ debilitant, quatenus videlicet vel cõſopiunt, vel perimunt, eatenus ſolùm ſtupefacere monſtrauimus, quatenus inſitã cerebri facultatem vel degrauant vel corrumpunt.*

53. *Pleriq; veterũ hanc iſtorum medicamentorũ efficientiã notæ poteſtati, ſcil. excellẽti frigiditati nõ ſine pbabilitate adſcribũt. Quia.n. ab externo frigore ſtuporẽ effici certũ eſt, ac medicamẽta iſta frigefacere cuncti cõceſſerunt, nõ dubitarũt, quin eadẽ hac vi ſtupefacerent.*

54. *Auic. tamen dubitauiſſe videtur, cũ lib. 1. cã. Fen. 4. c. 30. ſcribit. Et ſtupefaciens quidẽ remouet dolorẽ, quia deſtruit membri ſenſum. Eius verò ſenſũ nõ aufert, niſi propter vnã duarũ cauſarũ, aut propter multã frigiditatẽ, aut propter multã venenoſitatẽ, quæ in ipſo eſt virtuti membri illius cõtraria. Manifeſtũ eſt, eũ per venenatã hanc qualitatẽ intellexiſſe vim occultã & ἄῤῥητον: quali nimirum viua torpedo ſtupefacere dicitur.*

55. *Dubitationis cauſa hæc fortaſſe fuit, quod, licet iſta medicamẽta frigidos affectus inducere videret, nõ tamẽ adeò excellenter aſpereq; frigefacere animaduerteret, vt effectus tãtos ſimplici ac notæ frigiditati rectè attribui poſſe putaret. Equidẽ frigus externũ tũc ferè ſolùm ſtupefacit, cũ vehementer et cũ inſigni dolore frigefacit: quæ illã Narcotica mẽbris impoſita moleſtiã nõ pariũt.*

56. Oppugnari ergo recepta ab omnibus ferè ſententia, hoc primum euidenti argumento poteſt, quo Gal. 1. de ſimp. phar. facul. 20. acetum inſtar cauterij calefacere affirmantes confutat (ſi loco vocis θερμότης, ponamus ψυχρότης) cùm ait: οὐκ ἂν ἐλάνθανε τὴν αἴσθησιν ἡμῶν ἡ τοσαύτη ψυχρότης. Etenim ſi vehementia frigoris tactilis & elementalis ſtupefacerent, non minus ſentiremus, quàm aëris, aquæ, glaciei, &c. frigus tactu percipimus.

57. Deinde certum eſt, res frigidas externas, de quibus modò dixi, nunquam ſtupefacere, cùm vel præcalefacta corporibus admouentur, vel à nobis calefiunt actumq́ frigefaciendi ſecundum amittunt. At narcotica ſiue calefacta prius adhibeantur, ſiue à nobis calefiant, nihilominus ſtrenuè ſtupefaciunt. Quare non tactili omnibusq́ nota frigiditate, ſed occulta potius ſtuporem inuehunt.

58. Nec obſtant, quæ de reductione pharmacorum ad actum à Medicis traduntur, quodq́ Gal. 3. de temp. c. 4. ſcribit, celeriter perire adſciticiam eorum caliditatem. Etenim de illis loquor, quæ cuti imponuntur, & nunquam ſenſibiliter ad aquæ, glaciei, aëris hyemalis, &c. morbum frigefiunt, ac deinde eadem illa frigiditate in nobis ſtuporem pariant. Adde quod Gal. in deductione frigidorum ad actum duo tantùm requirit lib. 3. de ſimp. phar. fac. 20. vt comminuantur, & in corpus deducantur.

59. Probat idem hæc etiam ratio, quod Ariſt. 1. prob. 47. ait, ὅσα δὲ κἂν σμικρὰ δοθῇ, διαφθαρτικά, ταῦτα οὐ φάρμακα λέγεται εἶναι ἀλλὰ θανατοφόρα. Eadem ferè in 3. de temp. 2. aſſerit, Si ergo amara & fœtida, quæ in parua quantitate necant, venena ſunt, negari non poterit, quin Narcotica pro venenis & deleterijs haberi debeant. Conſtat porrò, venena talia, non qualitatibus notis & tactilibus, ſed latentibus in nos agere.

60. Etſi verò medici ex venenis alia qualitate, alia tota ſubſtantia nobis inimica eſſe aiunt, non contradicunt tamen noſtræ iam dictæ ſententiæ. Quorum enim effectus veriſimili aliqua ratione ad qualitates notas referri poſſunt, qualitate manifeſta interficere dicunt, licet abdita virtute id efficiant: vt ſcilicet ab illis diſtinguant, quorum effectus notis tribui qualitatibus nullo modo poſſunt.

61. Hinc Auerrh. lib. 1. 1. de venenis dicit, talia caliditate & frigiditate

ditate mirabili occidere. Auicennas autem caliditatem vocat erodentem, putrefatientem, corrumpentem, & frigiditatem ſtupefacientem. Vnde in tractatu de venenis, etiam Lactucam & Tithymalos virtute ſpecifica perdere non dubitauit aſſerere.

62. Dementia quoq, quam nonnulla ex Narcoticis inducunt, non videtur progenies eſſe ſolius tactilis vulgoq cognitæ frigiditatis. Nã externum ſeu elementale frigus torporem, ignauiam & ſegnitiam actionum omnium ingenerat, quatenus animales ſpiritus denſat, cogit, ægreq mobiles reddit. Sed quæ à Narcoticis quibuſdam procreatur amentia, vehementes turbulentoſq motus ciet.

63. De cicuta qui legere vult, legat quæ Matthiolus in cap. 11. lib. 6. Dioſcor. annotauit. Idem ferè ex Gal. quoq colliges, in cap. 3. libri, quo probat, animi mores temperationem corporis ſequi. Nam peculiarem ab eius potu amentiam cum corporis circumactione excitari ait: quæ ob id κώνειον dicta ſit. Quippe à κωνάω, quod circumago ſignificat, deriuatum nomen videtur.

64. Iulius quoq Cæſar Scaliger refert, Cicutæ folia in iuſculum loco petroſelini iniecta, interfeciſſe Franciſcum Trapolinum amentem, at ſine ſopore. Idem in Liguribus Taurinis radices pro delitijs haberi in acetarijs, & ſe quoq ſæpè eſitaſſe, Siſari ſapore. Addit, radicem pro petroſelino in prandium receptam in valle Bolyzela, amentem feciſſe Nazarium Baſſanum, equitem fortiſſimum. Alios multos vertigine & obliuione ex ea affectos. At qui ſopore exſtinctus fuerit, ex hominum numero, nondum ſibi viſum vllum ſcribit,

65. Huc etiam Socratis hiſtoria, quam Plato apud Phædonem deſcribit, pertinet: in qua nulla ſoporis, ſed natiui caloris exſtinctionis, mentio habetur. Plinius quoq lib. 14. c. 22. vim ei non ſoporandi, ſed ſitim excitandi adſcribere videtur, cùm ſic ait. Ac bibendi cauſa etiam venena conficiuntur, alijs cicutam præſumentibus, vt bibere mors cogat.

66. Quæ de opio cùm ab alijs, tùm à D. Garcia ab Horto, Indiæ Proregis Medico ſcribuntur, noſtram ſententiã maximè confirmant. Quod ſi ijs, qui ipſum guſtarunt, os inceditur, caput tentatur, turbulenta eueniunt ſomnia, quæ vt plana & confeſſa Scaliger Exercit. 154. & 175. affirmat, minus adhuc dubitare licet. Si etiam Venerem

excitat (quod Scaliger aſſeuerat, Garzias negat) & ad laſsitudines ex laboribus, animiq́; faſtidia tollenda ſumitur ab Aſianis, Africanis, Turcis & Indis (quod ambo concedunt) tanta in eo frigiditas ſenſibilis non eſt, quanta ineſſe putatur.

67. Idem de Solano, quod, quia maniæ ſeu furori ſimilem inſaniam efficit, manicum vocatur, dici poteſt. Iam ſi puluis, ex quo Turcæ prælium inituri aliquantum vorant, quo alacriores & periculorum contemtores fiant, ex Strychno manico confit (quod nonnullis viſum eſt) omnis dubitandi cauſa ſublata eſt.

68. Haud aliter de Hyoſcyamo ſentiendum cenſeo. Nam hic quoque vel negligentia, vel alia quauis ratione deuoratus, ebrioſorum delirio ſimilem amentiam generat. Inquietos quoq́;, & voce nunc acuta, nunc graui, &c. loquaces, aut velut altercantes (vnde Latini Altercum nominarunt) reddit eos, qui ipſum hauſerunt: quod poſt experientiam D. Matthiolus in cap. 64. lib. 4. Dioſcoridis, teſtatur.

69. Etſi autem quædam ex Narcoticis non furibundam & inquietam, ſed torpidam potiùs ignauamq́; deſipientiam gignunt: veriſimile tamen, ne dicam, prorſus neceſſarium eſt, hæc quoq; non tactili frigiditate, quæ nulla ſentitur, ſed occulta à tota miſti ſubſtantia prouenientе, mentem percellere. Equidem ſi nihil aliud, abominabilis eorum odor ac ſapor ſatis probat, præter qualitates notas, occultiorem vim in eis abditam latere.

70. Conſentanea his ſunt & illa, quæ de Mandragora legimus. Nam ſuccus duorum duntaxat obolorum pondere hauſtus, atram bilem ac pituitam inſtar veratri purgat, menſes quoque partumq́; excludit, ardoremq́; intolerabilem totam cutis ſuperficiem adurentem excitat. Quæ, quia à ſimplici & elementari frigiditate non oriuntur, ab occultiore cauſa neceſſariò proficiſcuntur.

71. Deniq; ad ſententiæ confirmationem addatur, quod de Torpedine piſce (ſi modò verum eſt) ſcribitur, eum per retium funes, & piſcatorum tridentes ſtuporem manibus inducere. Certum enim eſt, eam ſimplici & tactili frigiditate id non facere. Occulta igitur poteſtate facit. Cur igitur non ſimili facultate Narcotica quoq; ſtupefacere potiùs putemus, quàm elementari & tactili frigiditate, quæ in eis plerunq; tactu non percipitur?

DISPV-

DISPVTATIONVM SIVE *Theſium Index.*

DE Conſtitutione hyemis præteritæ anni 1559. pag. 1
2. De Tumoribus præter naturam. 1.b
3. De Humoribus. 2
4. De Saporibus. 2.b
5. An occultæ medicamentorum, in quorum numero & cibos ponimus, poteſtates, methodo inueſtigari poſſint, vel per ſolam experientiam in ſubiectis rebus deprehendere & obſeruare neceſſe habeamus. 3
6. De Purgantibus medicamentis. 4
7. De Dentibus. 5
8. De Renum calculis. 7
9. De Febrium definitione. 8.b
10. De Reuulſione. 10.b
11. De Hydrope. 12.b
12. De Natura & cauſis Epilepſiæ. 16
13. De Contagio. 18
14. De ſingultu. 20.b
15. De Morbis totius ſubſtantiæ. 25.b
16. De Putredine. 36
17. De Melancholia. 43 b
18. De Somno. 51
19. Vtrum Humores alij à ſanguine ſcilicet Pituita, Bilis flaua & ſuccus Melancholicus, corporis integrè ſani partes aliquas nutriant? 58.b
20. De Pinguedinis in animalibus generatione & concretione. 67
21. De Conuulſione. 78
22. De Amuletis. 95

FINIS.

THOMAE ERASTI MEDICI ET PHILOSOPHI CELEBERRIMI EPISTOLARVM LIBER.

Epiſtola I.

QVAE EST RESPONSIO PHYSICA ET *Theologica ad Quæſtionem.*

Vtrum artis Medicæ aliqua ſit neceſsitas: quandoquidem ſuę cuiq; vitę terminus ita præfinitus, vt vlla arte ea, neq; prolongari, neq; ante tempus abrumpi poſsit.

QVAESTIONEM *mihi proponis diſcutiendam, an Medicina ſit opus: videri enim inutilem eam eſſe, ſi præfiniti ſint ſui cuiq; dies, vt nec temporiùs, nec ſerius quiſquam occumbere valeat. Miror vehementer inueniri aliquem potuiſſe, qui de hac re quæreret. Ad valde pauca reſpicit, quiſquis hîc dubitat. Sed quando ſaxum hoc voluere cœpimus, age verſemus diligentiùs. Reſpondetur, non vtilem modò, verum etiam neceſſariam eſſe: quod primùm phyſicè, deinde Theologicè probabo apertè ac firmè, breuiter tamen. Res nulla perit naturaliter, quantiſper calor eius congenitus ſupereſt. Hic enim author & effector & conſeruator eſt temperationis, qua incolumi permanente, res nulla interire poteſt. Manet autem calor inſitus in re qualibet tantiſper, dum alimentum ei ſuppetit conueniens. Calor enim natiuus inſtar ignis, aut flammæ in ellychnio accenſæ, perpetuò indiget alimento. Continuè namq; generatur & occidit, ſicut in flumine ſemper aquæ præterlapſæ noua ſuccedit. Alimentum porrò natiui caloris, quod rationem lucernarum olei habet, eſt humidum congenitum: quod cùm in re aliqua copioſum & lentum ineſt, difficiliùs, ac longiori tempore abſumitur: cùm verò paucum eſt & aquoſum, breui admodum tempore diſsipatur. Vt vno verbo dicam omnia, quanto magis aut minus humidum iſtud calori natiuo, cuius eſt pa-*

bulum,reſiſtit,tanto rei cuiuſq; vita ſeu duratio longior eſt aut breuior. Hoc ſpatium temporis, quo rei cuiuſq; calor inſitus proprium humidum depaſcitur naturaliter,id eſt, abſq; vi & morbo, Fatum nominant Peripatetici. His poſitis certum eſt,apud Ariſtotelis ſectatores vitam produci arte ad hunc terminum vſq; poſſe. Quis enim dubitet artem hoc præſtare poſſe, vt ſeriùs aut temporiùs humidum à calore conſumatur? Etenim dum hoc agimus, vt præter naturæ modum calor non augeatur, & humidum propter aduentitiam cauſam non minuatur, ab interitu celeriore rem præſeruamus. Qui cibis mali ſucci veſcitur,& ob id corpus vitioſis humoribus replet:nec idoneam materiam pro repoſitione humidi,quod diſſipatum eſt,habet,nec cauere poteſt, quin per febres aliósue morbos caloris proportio ad humidum mutetur. An non quotidie videmus herbas, quæ frigoris aut hyemis aſperitatem ferre nequeunt,multis annis conſeruari, cùm vel integuntur,vel in cella calidóue loco ad ver vſq; ponuntur? Fructuũ nonnulli arte, qui vix menſem vnum integri manſiſſent,per totũ annum recentes ſeruarunt. Norunt Agricolæ certas arbores in aprico & calido loco plantatas longè felicius, quàm in opaco & frigido ſolo conſitas,naſci, fructuſq; ſuos temporiùs & copioſius procreare. Hic eſt cereuiſiarum coctor, qui vitem habet ad parietem , iuxta quem ignis ſubinde accendi ſolet, plantatam,quæ botros & folia longè ante protulit, quàm aliæ omnes gemmas oſtendere cœperint. Vidi Bononiæ quoq; aliam, quæ ſimilem ob cauſam in mediam vſque hyemem & folia ſeruabat,& per æſtatem multò ante alias fructus ferret maturos, ſemimaturos,& nuper enatos & florentes. Non minus certum eſt, propter contrarias cauſas tardiùs à nonnullis arboribus & plantis fructus & ſemina produci. Ex quibus euidentiſſimè probatur natiuum calorem arte augeri & minui poſſe, vt eius operationes & maturentur,& impediantur. Cæterum ars,quæ natiuum hominum calorem auctum reprimit,&,ne pabulũ ſuum iuſto celeriùs abſumat,præcauere docet,quæq; congenitum humidum,quoad eius fieri poteſt,auget,Medicina eſt. Quocirca non vtilis tantùm eſt,verùm etiam neceſſaria: niſi quis inſcitè affirmare auſit profligationem morborũ, qui humidum congenitum diſſipare feſtinanter poſſunt neceſſariã non eſſe. Apud Chriſtianos facilior eſt huius quæſtionis explicatio. Chriſtus

enim

enim ægrotos Medicis indigere affirmat. In Dei populo & Repub. ſemper Medicos fuiſſe, manifeſtè patet ex 50. Gen. Exodi 21. 2. Paral. 16. Eccleſiaſt. 38. Et hoc quidem loco poſtremo palàm iubemur poſt nominis diuini inuocationem Medico locum dare. Probatur ibidem Deum voluiſſe Medicam artē exerceri, hoc argumento, quod ob eam cauſam tot & tàm varia terram iuſſerit pharmaca proferre. An Chirurgiam inutilem minimeq́ neceſſaria aliquis opinabitur? Haud puto. Si de hac parte mihi concedent, illā quibus argumentis minus neceſſariam monſtrabunt? Argumentū certè de præfinito mortis die ac tempore vtrobiq́ locū æquè habet. An quia mortis horam definiuit nobis Deus, neceſſe etiā non habemus edere ac bibere? Argumentabitur hîc etiā aliquis, fruſtra cibū aſſumi, quia nec detrahere nec addere tempori nobis præſcripto poſſumus. Si cibum potumq́ neceſſariū confitemur quo argumēto alio remedia inutilia monſtrabimus? Prouidentia Dei falli non poteſt: atq; ob id neceſſariò eueniunt omnia, quæcunq; fiunt, ſi ad Dei præſcientiam referantur. At ſi ad nos reſpiciamus, contingentia ſunt plurima. Quoniam igitur & hoc Deus prouidit ac voluit, vt aliqui beneficio medicamentorū ſanentur, (ſicut vitā nos vult cibo ac potu producere) minimè inſtrumenta & dona hæc diuinæ clementiæ aſpernari debemus. Quia etiam ſcire non poſſumus, vtrum Deus per pharmaca nos liberare ſtatuerit, prorſus officium noſtrum facere, ac euentum iuſtæ ac bonæ Dei voluntati permittere tenemur. An non inſanus iudicaretur, qui de loco alto præcipitem ſe dare, quàm aptè per ſcalas deſcendere mallet? An non tentaret Deum, qui, cùm ex aqua enatare poſſet, enatare nollet, quia Deus etiam in aquis ſeruare, quos vult, poteſt? Iubet Deus, ne ſoliciti ſimus, quid edamus, bibamus, induamus: addita cauſa, quòd & paſſerum & liliorum agri curam gerat, prætereà eius voluntatē capillus de capitibus noſtris deſluere nullus poſſit. Idem interim miſericors Deus, arare terrā, ſulcis committere ſemina, metere, triturare, vites colere, vuas colligere, fructus reponere præcipit. An quia nemo ad Chriſtum peruenit, niſi quem pater traxerit, Miniſterium hominis neceſſarium non eſt? Summa eſt, Deus miraculoſè vitam noſtram nunc non regit, ſed per media & inſtrumenta ab ipſo ordinata agit: in quibus nihilominus ſuam nobis potentiam, maieſtatē, gloriam, & clementiam, liquidiſsimè patefacit.

Quia igitur neſcimus conſilium Dei de vitæ noſtræ termino, deq́, ægrotationis & ſanationis euentu, faciendum id nobis ſedulò eſt, quod mandauit ac ordinauit, ſiue mori ſiue viuere nos velit. Cauendum inſuper nobis eſt maximè, ne eum tentauiſſe deprehendamur, ſed vt ſucceſſum ab ipſo præcipuè & ſolo exſpectemus, dum, quod noſtrum eſt, facimus. Ergo ſiue Philoſophos conſulamus, ſiue Dei verbum audiamus, neceſſariam eſſe Medicam artem concedere cogimur. Syracides affirmat Medicum à Deo creatum, et ſtipendium ei dari præcipit: deinde ſubijcit, Medicinam à Deo mortalibus donatam eſſe, ac in precio apud Reges fore huius profeſſorem: poſtremò addit (quod in primis obſeruandum eſt) Deum ex artis Medicæ miraculis & ſanationibus laudari & prædicari velle. Ipſe namq, per medicamina, inquit, ſanat, & doloribus homines liberat. Non igitur tollit artis exercitium Dei præſcientia. Nec ob id nos iuxta præſcriptum Dei non agere debemus, quia Deum ſcimus ab æterno præuidiſſe, vtrum profutura ſint nec ne pharmaca, quibus vtimur. Qui hæc media negligit, non ſine culpa ſua moritur, nec poterit non vulnerari ob hanc rem conſcientia. Qui Dei ordinationi paret, ac moritur nihilominus, bona conſcientia coram Deo conſiſtet, dum nulla ſua culpa ſe mortuum intelligat. Ad argumentum fruſtra aliquid præterea reſpondero. Non enim quia meta nobis eſt poſita, ideò officium noſtrum, qui, qualis & quanta ſit, neſcimus, deſerere nos conuenit: ſed in Dei ſapientia & bonitate, à qua omnia prouenire nobis, ſcimus, ſic nos acquieſcere decet, vt, quod imperatum nobis eſt, neutiquam negligamus, quicquid tandem Deo facere ſit viſum. In Chriſto Ieſu Domino noſtro, Vale. Heidelbergæ die 26. Mart. 77.

Epiſtola II.

AD D. ANTONIVM FRANCISCVM PIGAfettam: *qua reſpondetur ad Quæſtionem.*

Quomodo per eaſdem vias humores diuerſi, ad diuerſas partes, non modò temporibus diuerſis, ſed iiſdem etiam, moueri poſsint. Et quod non neceſſariò, trahentibus alijs partibus, alijs verò per eaſdem vias expellentibus humores, ij confundantur.

DOMINVS *Doct. Zacharias Vrſinus heri mihi quæſtionem tuam propoſuit: ad quam ſtatim ei reſpondi. Reſponſionis ſummam repetere hîc libet. Si fæx melancholica, inquis, ex hepate per venam illam expurgatur, quæ à portæ vena oritur, inq́ liene inſeritur, quomodo non fient in vena portæ ante ipſius diuiſionem contrarij motus, dum fæx extrorſum, chylus autem introrſum mouetur? Præterea vt hoc poſſit fieri, non tamen video quî non oporteat miſceri ſuccum Melancholicum cum chylo: cùm intra eandē venam contrarijs motibus ferantur, & ſibi mutuò occurſent. Reſponderi primū poſſet, diuerſis temporibus fieri hos motus: atq́ ob id nullam relinqui difficultatem. Sicut enim nullus miratur aërem per eandem viam per inſpirationem attrahi, per quam in exſpiratione fuligo cordis & arteriarum expellitur: ita ne hic quidem admirationis cauſa ſupereſſet. Sæpè comeſtos cibos per eandem viam, per quam ingreſſi fuerant, reijci vidimus. Aliquando cibos ingeſtos retineri, & humores alios eijci cernimus. Hæc quia diuerſis temporibus accidunt, admirabilitatis nihil habent. Iam cùm ſuccus Melancholicus poſt peractam in Iecinore coctionē ſecernatur, & à liene attrahatur, quis non videt multò ante chylum per venam portæ ex ventriculo & inteſtinis attractū fuiſſe? Hæc ita euenire in valentibus et naturæ conuenienter viuentibus nullus poteſt ambigere. Ergò ſoluta in his fuerit quæſtio. Qui plura de hac re audire cupit, legat Gal. 13. lib. 3. de facult. nat. quo in loco hanc rem verboſè diſputat, multisq́ exemplis declarat. Si porrò mihi obijcias (quod D. Zacharias obijciebat) helluones, horis omnibus edentes ac bibentes, aliter fuerit reſpondēdum. Quippe nullo non tempore videntur in his duo prædicti motus contingere, in vena portæ, vbi diuiſa nondum eſt. An nihil prohibet mobilia diuerſa contrarijs ferri motibus in diuerſis locis? Vena portæ ante diuiſionem vna quidem eſt: at ita ampla exiſtit et capax, vt nihil impediat in ea humores aliquos prorſum, alios retrorſum ferri eodem tempore. Exempla ſi quæras, vbiq́ ſunt obuia. Primū enim conſtat, ventriculum ſæpenumero vehementi impetu ſuccos aliquos vitioſos per vomitum reijcere, atque cibos paulò ante ſumtos retinere. Apertè hoc videmus fieri, cùm cibi aut potus colorati, vt vinum rubrum, ingeſti ſunt. Planius idem perſpicitur in febribus atque alijs*

morbis, quos Natura tentata criſi depellit. Etenim humorem putridum, vt pituitam vel bilem in venis cum bono ſanguine contentam, per longos venatur ductus ad inteſtina vſq; per iecur extrudit ſinceros: nec prohibetur hæc Naturæ actio ab vtili ſanguine in venis reperto. Similis eſt Naturæ motus & operatio in diarrhœis: dum à noxijs humoribus in totius corporis venis acceruatis corpus liberat. Nec aliter expurgantur humores vitioſi, qui ex venis iam exierunt, & carnes cutemúe occupârunt: ſiue ſponte expellantur à Natura, ſiue à pharmaco euocentur. Quoniam in venas extremas rurſus ingrediuntur, & per eas in maiores ſemper deferuntur, donec per cauam in iecur, & per hoc in inteſtina effundantur. Accidit frequenter, vt, qui pedes aut alias corporis partes tumidas habent, humorem illum per aluum eijciant, tumoremq́ inter purgandum manifeſtè imminui videant. Par ratio eſt humorum illorum, qui non extra corpus eijciuntur, ſed de membro vno ad aliud remotum propelluntur, quo peruenire nequeunt, niſi per venas eò deferantur: quod in multis ægrotantibus vſuuenire quotidie cernimus. Patet igitur liquidò, humores in vaſis comprehenſos non obſtare, quò minus per eadem vaſa alius quiſpiam vel prorſum propellatur, vel retrorſum retrahatur. Hoc ſi in venis minoribus fit, quis dubitet, quin in maioribus faciliùs accidere poſsit? Si denuò quærat aliquis à nobis exempla diſsimilia adferri, quòd ſcilicet nullum protulerimus, in quo duplex ſimul fiat motus, nihil profecerit. Quoniam negari non poteſt, quin ille quoque humor, qui in venis remanet, aliquando moueatur non eodem modo, quo is mouetur, quem Natura extrudere cœpit. Si moueri aliter negetur, ſaltem moueri aliter poſſe concedetur, præſertim ſi ab aliqua parte in oppoſitam regionem trahi cogitetur: quemadmodum in caſu noſtro contingit. Etenim ſuccus melancholicus ex hepate non abit ſponte ſua verſus lienem, ſed ab hoc attrahitur, ab illo vel expellitur, vel trahi permittitur. Iecur autem, detruſum ex ventriculo ad inteſtina chylum, ad ſe attrahit. Quid igitur miri eſt, ſi in amplo & capace vaſe contentus humor à liene attrahatur eodem illo tempore, quo hepar ſuccum ſibi familiarem in parte alia vaſis eiuſdem ad ſe allicit? Deinde vt maximè demus in prioribus exemplis alterum humorem ſolum moueri, alterum autem quieſcere, nihilominus quod

propoſitum

propoſitum erat confecimus. Etenim difficilius forſitan mouetur humor aliquis, vbi alius quieſcit, ac per eum penetrare tamen cogitur medium, quàm cùm duo in ſpacioſo vaſe ſinguli locum ſuum ſeruantes in oppoſitas regiones pertrabuntur. At miſceri & confundi eos oportet, inquies. Ne hoc quidem eſt neceſſarium. Etenim in criſibus alijsq́ ſponte factis euacuationibus, nec non medicamento excitatis purgationibus, humores ex venis, etiam remotis admodum ab inteſtinis, ſinceros nulloq́ cum ſanguine miſtos expurgari videmus. Quod quia tunc fit, cùm ſanguis retinetur ſolùm, bilis autẽ, exempli gratia, pellitur, multò facilius poterit fieri cũ vterq́ trahitur. Quippe ſic trahunt membra conuenientes ſibi ſuccos, quomodo Magnes ferrum ad ſe pertrahit. Attrahit ergò iecur ſincerum chylum: nec repetit ſuccum melancholicum, quem, vt inutilem ſibi, repudiauit. Hunc lien minimè aſpernatur, ſed vt familiarem amicumq́ expetit: chylum nequaquam deſiderans. Quanquam verò ſic res habet, ac plerunq́ dicto iam modo tractio hæc perficitur, non tamen negauerim & cum ſucco melancholico aliquid chyli ad lienem venire, & cum chylo illius aliquid adiecur redire. Quæ fortaſſe res in cauſa eſt, vt prauam illam victus rationem ſeruantes, magna ex parte lienis obſtructionibus prehendantur: & morbis à craſſo ſanguine genitis affligantur. Satis, puto, declaratum eſt, quomodo per eaſdem vias humores diuerſi ad diuerſa loca moueri poſſint, non modò temporibus diuerſis, verum etiam eiſdem. Oſtenſum quoq́ eſt, eos non neceſſariò confundi. Satisfactum ergò eſt vtriq́ rationi. Has meas cogitationes temporis aliquid ſuffuratus, raptim tibi petenti chartis illinere placuit: tu pro tua humanitate æqui boniq́, vt facias, oro. Negotia non ſiuerunt accuratiùs tractare. Vale, Heidelb. 3. Non. Martij, anno 72.

Epiſtola III.

AD D. PETRVM MONAVIVM.

Metalla & his cognata Miſy, Sory, Hydrargyrum, Stimmi, &c. intra corpus non eſſe admittenda, quouis licet modo ſint, & maximè ignis vi, præparata: eademq́ nullo pacto corpus alere.

EX libellis noſtris hanc te ὑπόθεσιν excerpſiſſe ais, Metallica omnia in vniuerſum, quouis modo parata, nec tutò, nec commodè intra corpus ſumi. Non dixi ego, metallica omnia noxia eſſe. An enim & ſalem inter Metallica numerari non nouimus? Sed & Chalcanthum non adeò noxium eſſe affirmaui pag. 139. lib. de auro poculento. Monui etiam plurimum malitia differre inter ſe tùm Metalla tùm Metallica. Hæc ὑπόθεσις noſtra eſt, Metalla & his cognata, Miſij, Sorij, Hydrargyrum, Stimmi, etc. temerè non eſſe deuoranda, quouis modò ſint præparata, præſertim verò ſi ignis vi ſint concinnata. Si libelli principium attentè conſideraſſes, de Metallis me præcipuè agere animaduertiſſes. Nec ignoras, puto, authores à Metallis Metallica diſtinguere. Cùm deinde nobis das Metallica non ita alere, vt pro cibo quotidiano vti liceat, idem mox nobis rurſus eripis. An enim, quod alere non poteſt, corroborare, refocillare, in ſtatu ſuo partes principes conſeruare poteſt? Dico tibi, hoc eſſe vnum ἐκ τῶν ἀδυνάτων. Quot modis corroborari & inſtaurari vires poßint pag. 91. & deinceps expoſitum inuenies. Quæ ſi expendere voles, vltrò in partes noſtras deſcendes. Iterum repeto, impoßibile eſt ſine alitione talia effici, qualia quintis metallorum eſſentijs ac ſimilibus adſcribi audis ab horum pharmacorum fabris. Quare non rectè credis experientiã te producere poſſe teſtem. Sed, inquies fortè, non alere ciborum inſtar, ſed nonnihil tamen alere. Ego verò nullo pacto alere demonſtraui, ſed ſyncera eſſe pharmaca probaui. Quî igitur conſtare oſtendes, in vſu medico illa ſæpe, quo ad has intentiones, vtiliter adhiberi, maximè in animi deliquijs? Quid enim? An quæ animo defectos reuocant alere omnia poſſunt? Ergò & frigidæ aſperſio, & naſi compreßio, & pilorum euulſio, & auricularum vellicatio, & oris ventriculi confricatio, & artuum contortio ligaturæq; alunt. Aliud eſt ſpiritus euocare, qui ad cor confugerunt, atque aliud eoſdem nutrire. Infundimus eis etiam vinum ad celerem ſpirituum perditorum inſtaurationem, ſed id nutrit. At metallica non nutriunt. Non igitur vini modo iuuant. Vis te tuomet gladio iugulem? Haud multò poſt ita ſcribis Purgandi vires pleraq; obtinere, ſatis notum eſt. Item, Neq; e[illegible] ſpicias iuerim, quin venenatâ & malignâ aliquâ qualitate participent. Si vera hæc

ſunt,

ſunt, vt certè ſunt, quomodo alere, corroborare, refocillare dicis? aut quî credemus animo defectis per ſe prodeſſe? per accidens aliquando iuuare, nil fortè vetat. Sed rationes expendamus. Summam miſtionis perfectionem in auro præſertim elucentem, ac gemmarum præſtantiam lux & ſplendor ille præfulgidus, ſatis patefaciunt, ſpiritibus noſtris lucidiſſimis maximeq; temperatis cognatas eſſe. Horum ratione facilè adducor, vt credam ob illam συμπάθειαν & ſymbolicam conuenientiam ſpiritus etiam conſeruare, augere, ac velut ignauos ac deperditos ſpecificâ proprietate reſtituere. Aurum perfectè miſtum concedo, quando perfectè miſtum vocas, cuius partes humidæ cum ſiccis ita ſunt temperatæ, vt alteræ ab alteris ſeiungi nequeant. Hæc perfectio, quid ad temperationem corporum noſtrorum attinet? Miſtio perfecta alio modo dicitur, quæ ad plurimarum & præſtantiſſimarum actionum vſum requiritur. Hac perfectione metallis nihil imperfectius, hominis corpore nihil perfectius in tota rerum natura inuenitur: de qua re pag. 46. & deinceps multa diſſerui. Repeti ſuperiora hic etiam poſſunt, eſt enim impoſſibile, vt quæ alere non poſſunt, ſpiritus augeant, ac deperditos reſtituant. Quare verba ſunt inania. Specifica proprietas, per quam inſtaurantur ſpiritus, eſt proprietas temperamenti talis, cuius ratione alimentum aliquid eſt, ac fieri id poteſt, quod nos ſumus. Quod cùm metallis ſit negatum, nullum hîc locum habet de occulta alia proprietate commentum vllum. Quid verò lux & fulgor gemmarum ad ſpirituum alitionem? fortè putas ſpiritus oculos habere, & ex ſplendore ingeſtarum gemmarum voluptatem capere. At dico tibi tritas gemmas omnem fulgorem amiſiſſe. Si lux indicaret ſpirituum cum lucidis rebus cognationem, quàm multa, quæſo te, forent eorum alimenta? Iam ſi venenatam qualitatem participârunt, ſi tanta corpus violentia purgant, quî ſpiritus reſtituant, augeant, conſeruent? In his quia nihil animaduertiſti firmitatis, ad talia tranſis.

Si metallica pharmaca, inquis, repudias, quia corpus vehementer purgant (pleraq; purgare vltro nobis concedis) nulla purgantia intra corpus ſumi oportebit. Quod cùm ſit abſurdum, iſtud tantùm ſequetur. Non cruda, & ita vt è terra eruuntur, ingerenda eſſe, ſed quemadmodum & reliqua purgatoria præparata prius, & alijs ad-

ctis correcta. Non ſequitur,ſi metallicis purgatorijs vtendum negem,vt etiam alijs interdicam. An ſi prohibuero Ellebori vſum, tibi videbor etiam Rhabarbari repudiare? Quia nocentiora ſunt metallica,ignium vi parata alijs purgatorijs,fugienda dicimus. At hæc, reſpondebis,non minus illis corrigi poterunt. Si ita ſit, quæro ex te, cur tot ſumtibus & laboribus metallica conquiras vſu non ſatis comprobata,dum idem longè vilioribus,& multo vſu probatis obtinere potes? Annon ſumma fuerit dementia,ignota,precioſa,multo labore & induſtria comparata anteferre,minus precioſis, notis, obuijs,dum non plus ex illis,quàm ex his commodi expectes? At validiùs agunt,inquies,& in parua quantitate. Audio:ſed hoc tibi repono:ob id eſſe nocentiora,quia minima eorũ quantitas plus exagitat corpus, quàm maior aliorum quantitas. Si alijs adiectis retundi virtutem eorum dicas, vt non magis infeſtent, rurſus parum prudenter ignota pro notis eligi affirmabo, cùm præſertim certus eſſe nequeas, vtrum mali aliquid latenter corpori imprimant,maioreq́; precio veneant. Et cruda quidem corrigi poſſe haud nego,ignium vi concinnata,an ſic temperari queant, vehementer admodum ambigo. Dixi aliâs crudi Antimonij drachmam minus mouere,quatuor vel quinque granis præparati. Veteres quoq; nonnunquam purgationis cauſa metallica propinârunt, Chemico artificio igniũ maximorũ vi apparata nulli vnquã exhibuerunt. Auget,nõ minuit eorũ malitiã præparatio per ignes. Hoc tu negas. Quibus id rationib^9 fretus neges,videamus.

Multæ res ſunt,quæ cùm ante crudæ & ineptæ forent,ignis poſtea beneficio coctæ,aptæ efficiuntur ad corpus alendum. Teſtantur id carnes,imprimis verò aſſæ, in quibus nemo ἐμπύρευμα refugit. Si toto genere hæc differre dicas,vel vnam ceruſſam tibi proferam, quam & refrigerare,& ideò repellere,emplaſticamq́; eſſe ipſa experientia euidenter demonſtrat. Cur hîc ἐμπύρευμα non vrgemus,cùm tamen à plumbo vſto aut parum,aut nihil differat? Plurima etiam ex metallis vi igne liquatis, & puris ab impuris partibus ſecretis comparantur pharmaca, (vt olea,liquores,vocati ſpiritus) quæ ad refrigerandum & humectandum intra & extra corpus vtiliter exhibentur; vt liquor vitrioli & oleũ ſulfuris,in quibus guſtu etiam ipſo nulla acredo deprehenditur. Taceo nunc aquas diſtillatas.

Ad hæc ita reſpondeo: Nunquam ego dixi,omnia ab igne cocta

vel vſta ἐμπύρευμα noxium acquirere: imò ex Gal. et Dioſcor. authoritate, vt ipſam rerum inſpectionem nudam, rem aliter habere oſtendi pag. 134. Rectè igitur tu toto genere differre dicis, cibos & metalla. Cæterum cur metalla ἐμπύρευμα noxium retineant pag. 112. abundè expoſui. Ceruſſæ exemplum, quæ res eſt factitia, & abſq; igne paratur, tantundem ad rem facit. Si te Sandijcem intellexiſſe dicas, hanc ex ceruſſa leuiter vſta fieri reſpondeo. Differt autem à plumbo vſto plurimum ceruſſa, cùm illud manifeſtè calidum, hæc frigida ſit. Sed cui tu perſuadebis liquorem ſeu oleum Chalcanthi ac ſulfuris ἐμπύρευμα nullum obtinere? Guſtus, inquis, acredinem non ſentit. Ferreus eſt ergo guſtatus tuus, ſi mordicationẽ non deprehendit. Admoue guttam integrã linguæ aut gingiuis, aut carni cute nudatæ, & vtrum erodant videbis: Non omnia, quæ guſtus non percipit calida vel frigida, talia nõ ſunt. Sæpe enim ſapor vnus offuſcat alium, vt nõ ſentiatur, tametſi plurimus adſit, vt in Opio amaritas saporẽ tegit refrigerantiũ partiũ. Ita parũ vini rubri vini albi multo copioſioris colorẽ obtundit, vt nõ videatur. Quoties operatio ſeu effectus adeſt caloris, nemo calorẽ adeſſe dubitabit, modò ab accidente nullo fallamur. Deinde lingua laxa cùm ſit citò penetrãt per eam tantopere extenuata, vt minus eorum actio hîc, quàm in denſiore parte animaduertatur. Miror verò quorſum dicas te non concedere, quæ in dura corpora ſæuiũt, mollioribus magis infeſta eſſe. Ego namq; fuſè docui ſatis, maximè calida, ſi exquiſitè ſint extenuata, ꝑpter celerẽ penetrationẽ minus laxis quàm denſis corporibus nocere, p. 114. Sed & Gal. hac de re multa cùm alibi, tum vbi rubificãtia, veſicatoria, & eſcharotica diſtinguit. Per accidẽs hoc fit, quia nõ inhærẽt. Si æquè diu in his atq; in illis inhærerẽt, dubio procul plus nocerẽt mollibus quàm duris. Quæ igitur de lanarũ ſaccis cõtra tormentorũ ictus protenſis adfers, cõtra nos nõ faciũt. Aquã fortem ferrũ corrodentem dicis ſine noxa manu caua excipi. Si vel tertia temporis parte, quo ferrum erodit, in manu ſerues, ſenties quid poßit. Vidi inſeri in dentẽ cauũ, vt leuiter gingiua ſimul attingeretur, quoſq; mox cruciatus cũ carnis exeſione gigneret, itidẽ vidi ac memini. Hoc exemplum aliâs magis quadrat, quàm id, quod de lanarũ ſaccis adfers, quia nõ de impulſu violẽto, ſed alteratione violenta diſputamus. Quod ad extremum metallica (de quibus non pugno, ſed de Metallis & cognatis quibuſdam

diſputo) ſcribis, nō prorſus numero eorum, quæ intra corpus aſſumuntur, eximenda eſſe, ſi in eorum vſu tria hæc obſeruentur, vt rectè præparentur, alijs additis aptè corrigantur, deniq; debita quantitate exhibeantur, ſatis eſt declaratum. Metalla enim præparari non ſic ſunſſodignibus, vt non ſemper noceant. Quia verò & nocentibus aliquando vti cogimur, non dico ea nunquam vſurpanda, ſed cùm aliter ægrum ſanitati reſtituere non poſſumus, minus malum maiore permutandum aliquando fuerit. De hac re pag. 106. & 118. & 122. & 141. egi. Habes reſponſum ad omnia tua breue & longum ſimul: Breue eſt, ſi hanc chartam intuearis. Longum ſatis erit, ſi loca citata examinare attenteq́; relegere velis. Citaui ob id ipſum, vt labore te leuarem inquirendi & ipſe mihi conſulerem, cùm præſertim occupationes fuſiorem reſponſionem inſtituere me non paterentur. Dominus Ieſus tibi benedicat. Amen. Die 23. Aug. Anno 78.

Epiſtola IV.

AD D. PETRVM MONAVIVM.

De gemmarum & Chalcanthi facultatibus. 2. Metallorum tranſmutationem impoſsibilem 3 Purgatricem medicamentorum facultatem ad materię qualitates, non ad formam pertinere. 4. De morbis totius ſubſtantiæ. 5. Quomodo inter ſanitatem & morbum ſtatuatur medium, & quæ ἄμεσα & ἔμμεσα.

DE gemmarum viribus non indoctos addubitare, inquis, video, qui tamen aliâs abditis illis proprietatibus tribuunt plurimum. Idem ipſe quoque omnibus temporibus animaduerti, illos ſcilicet ſolos (de doctis loquor) magnas & admirabiles ineſſe gemmis vires exiſtimauiſſe, qui perpetuò latentes illas poteſtates creparēt. Sed ſatis nō eſt, doctū eſſe, niſi quis in hac ipſa re, de qua quæſtio eſt, doctus ſit. Fieri certè poteſt, (ac ſæpiſsimè fit) vt excellentibus viris & in præcipuis artibus noſtræ partis exercitatiſsimis, nunquam in mentem venerit de huius rei veritate inquirere. Solent enim plerięq; fidem habere illis, qui ſe periculum feciſſe

affirmāunt,

affirmârunt, quaſi non & ſe & alios fallere potuerint. In horum ordine ipſe quoq; permanſiſſem, ſi non obſeruauiſſem, omnes ferè, qui talia præcipuè nobis commendârunt ſuperſtitioſiſſimos alijsq; vanis artibus deditos fuiſſe. Credat, qui vult gemmas mirabilia efficere, mihi, qui & ratione & experientia didici aliter rem habere, nullus facilè perſuadebit, falſum eſſe verum.

Chalcanthi liquorem, vt & ipſum Chalcanthum minore periculo vſurpari poſſe in ipſo libello faſſus ſum. Nec ego in certis caſibus, vbi nihil videatur obſtare poſſe, vereor eo rebus alijs conuenienter temperato vti. Quid verò de Pharmacopæo dicam, equidem non habeo aliud, quàm neſcire me, vtrum contulerit ægris, an non contulerit. Suſpicor eum, ſi vtilitatem attulit, alijs rebus, diſtributionis aut deductionis aliorum gratia potiùs miſcuiſſe, quàm ſanationis. Vix enim arbitror quenquam crediturum, inſita ſua virtute vas ruptum ſanare ipſum poſſe. Hoc certè comperi, omnes pulmonis vlcere quantumuis obſcuro laborantes (ſunt enim aliqui ad eas aquas ablegati à medicis, de quibus dubitabatur, an vlceratos pulmones haberent) qui aquas Chalcanthum continentes biberunt, celerem ſibi mortem accerſiuiſſe. Quod, niſi in diuerſis ſæpiùs euenire vidiſſem aſſeueratè apud te affirmare non vellem. Venerunt enim deinde ad me conſilium petentes (& hoc ipſo anno duo adhuc robuſti iuuenes) cùm conſilio locus non ſupereſſet. Quæ ideò refero, vt me diligenter omnes circumſtantias examinauiſſe intelligas. Ego Pharmacopæum facultate huius liquoris, vlcera hæc tum ſanauiſſe credam, vbi rem certiùs cognouero, & quibus præterea ſit vſus vnà cum alijs circumſtantijs perſpexero. Qui ſapit, temerè non credit iactatoribus illis, quoties ea exhibent, quæ nocere poſſunt. Audiui ſexcenties mandatum quoddam Elidæi Medici Bononienſis, ad cælum tollere, quaſi ſputum ſanguinis admirabili efficacia curaret. Sed multis ab ipſomet fruſtra exhibitum partim vidi, partim ſcio: Sicut ne ipſe quidem fructum ex eius vſu deprehendi. Vſus enim ſæpiùs ſum, quòd periculoſum non ſit, & rationem habeat ſuffragantem. Sæpenumerò vbi multa ſunt adhibita, quæ ſimul affectum percurarunt, laus tota vni perperam adſcribitur. Sed de hoc ſatis, imò nimis multa.

De aqua forti nihil dicam, cùm neminem ſperem adeò inſanire,

qui eam bibendam aut degluetiendam conſulat.

De metallorum tranſmutatione ſi diſputare hic velim: actum agero. Prius enim quàm mihi perſuadeatur, hanc artem eſſe veram, confutari oportet rationes meas, vel alijs melioribus vel ipſo facto. Hoc autem aliquot iam ſeculis à multis millibus fruſtra tentatum eſt, nec cuiquam impune fuit. Omnes enim, ſi non ſanitatis, auri tamen iacturam fecerunt, pars maxima ad egeſtatem redacta eſt. Noli putare, mi D. Petre, non poſſe me veris rationibus refellere falſam artem, quā nō exercuerim. Qui verum & quod fieri poteſt, rectè percipit, is falſum, & quod fieri nō poteſt, ſimul cognoſcit. Quid enim? an & Magiam exercuiſſe me ac didiciſſe oportet, ſi refutare eam rectè velim? Non arbitror. At ratio ſimilis eſt falſarum artium omnium. Quomodo enim à me poſtules, vt præſtem, quod ratio fieri non poſſe docet, ac nullus vnquam præſtare potuit? Non verſatus es, inquies, ἐν ἐγχειρήσει τῇ χημικῇ, quæ arcana plurima prodit. Fateor. Sed nec reprehendi ego vnquam Chemicam, quatenus τὰ δυνατὰ perſequitur, ſed laudo eam & celebro. Quatenus tranſmutationem viliorum metallorum in aurum argentumq́; promittit, & ἀδύνατα tentat, hactenus eandem damno. Nec oportet me, arbitror, prius impoſsibilia conari facere, quàm conantem bonis & veris argumentis deterream. Poſſumus enim ſcire de multis rebus, quòd effici humanis viribus nequeant. Licet ipſi nunquam facere aggreſſi fuerimus. Cur igitur non poſsim ſcire, verum hominibus conceſſa ſit facultas ſpecies rerum tranſmutandi? Ars, aiunt, non habet hoſtem niſi ignorantem. Hoc cùm de veris & vtilibus artibus dicitur, probroſum eſt: cùm de falſis, impijs & ſuperſtitioſis ac noxijs ſermo eſt, laudem meretur, qui eas damnat, & confutat priuſquam didicerit.

ἰδιοσυγκρισίας, quæ in certis duntaxat indiuiduis reperiuntur, tertij cuiuſdam ordinis eſſe cùm dicis, vix quid velis intelligo. Cùm enim tales proprietates formæ οὐσιώδει tribui nequeant (quippe in omnibus ſpeciei indiuiduis inuenirentur, ſi propter formam ſubſtantialem ineſſent) cui alij rei, quàm temperamento ſeu materiæ qualitatibus acceptas feremus?

Proprietates formæ οὐσιώδης vſum vix habere in medendo cogitatè ſcripſi, nec video, cur me pœnitere debeat. Ex hoc, inquis, ſequetur, nos ferè ſola vſurpare, quæ formis ſuis orbata ſunt. Quo conceſſo,

alterutrum abſurdorum horum colligis, aut nullis formis mandata illa prædita eſſe, aut, quod eſſe creduntur, reuera non eſſe. Reſpondeo prius nullo pacto ſequi. An enim, quod hac certa forma priuatum eſt, omni forma ſpoliatum eſſe oportet? Alterum rectè ſequi dicis, ſi modò rectè intelligas. Etſi enim Rhabarbarum nominatur (hoc enim exemplo tu vteris) radix arida, Rhabarbarum tamen verè non eſt, ſed Rhabarbari cadauer. Tum verè eſt Rhabarbarum, cùm terræ adhuc infixum eius ad ſe ſuccum, quo nutritur & viuit, attrahit: quod tibi abſurdum videtur. An tu es oblitus, opere & potentia omnia talia definiri? Ariſt. verba lib. 4. Meteorol. cap. vltimo hæc ſunt. τὰ μὲν γὰρ δυνάμενα ποιεῖν τὸ αὑτῶν ἔργον ἀληθῶς ἐστιν ἕκαστα, οἷον ὁ ὀφθαλμὸς εἰ ὁρᾷ. τὸ δὲ μὴ δυνάμενον, ὁμωνύμως, οἷον ὁ τεθνεὼς, ἢ ὁ λίθινος. οὐδὲ γὰρ πρίων ὁ ξύλινος, ἀλλ' ἢ ὡς ὁ εἰκών. *His addam quæ 2. de generatione animal. 1. ſcripſit:* οὐ γὰρ ἐστι πρόσωπον μὴ ἔχον ψυχὴν, οὐδὲ σαρξ, ἀλλὰ φθαρέντα ὁμωνύμως λεχθήσεται, τὸ μὲν εἶναι πρόσωπον, τὸ δὲ σὰρξ, ὥσπερ κἂν εἰ ἐγίγνετο ξύλινα, ἢ λίθινα. *Ab hac ſententia non diſſentit Galenus. Nam 1. lib. de placit. Hipp. & Plat. cap. 8. de Ariſtotele loquens, ait, ipſe eſt, qui nos docuit, vt ad operationem & vſum vniuſcuiuſque inſtrumenti, non ad fabricam reſpiciamus, cùm quæ nam ſit eius eſſentia ſcire volumus. Idem repetiuit in fine lib. 2. iam dicta repetens* ἐπ' αὐτοῖς δ' ἐστὶ καὶ τὸ τοῦ Ἀριστοτέλους λῆμμα, περὶ οὗ κατὰ τὴν τελευτὴν τοῦ πρώτου βιβλίου διῆλθον *(addo hæc, vt quæ de primo libro latinè extant, genuina eſſe videas.) Quod nam hoc eſt* λῆμμα? οὐ προσήκειν κρίνεσθαι τὴν ἐν τοῖς ὀργάνοις ἑτερότητα καὶ ταυτότητα ταῖς ἐνεργείαις καὶ ταῖς χρείαις αὐτῶν. *Si ergo non amplius nutritur ac viuit arida radix,* ὁμωνύμως *Rhabarbarum dici quis inficiabitur? At de viribus nouis, quæ vnà cum noua forma acceſſerunt, idem quæremus. Fruſtra hîc quæres. Non enim acceſſit vis purgandi, à forma cadaueris, vt ſic nominem; ſed prius inerat, vt in lib. de occult. Phar. poteſtatibus oſtendi. Hinc inſolubili argumento probaui, purgatricem eius vim ad materiæ qualitates pertinere, nō ad formā. Quæ nanque virtus in aliqua materia inhæret, quæ multas diuerſas formas ſibi inuicē ſuccedentes recepit, non poteſt vllius ex his eſſe propria qualitas. Si eni n vnius eſſet, ea abolita ipſa quoque extincta fuiſſet. Video te non obſeruaſſe hæc, quæ tamen verboſe ibi tractaui.*

Quaeris, num in anima carentibus temperies formae vicem ſuppleat? Reſpondeo, non ſupplere, ſi de ſubſtantiali forma intelligas. Quid verò in animatis, inquis, temperies? Cui annumeranda? Formae ne? Ita duae erunt formae vnius ſimplicis rei, ſubſtantialis vna, accidentalis altera. Ergo ne materiae? Atqui de huius ratione eſt, non agere, ſed pati. Haec tua ſunt. Ego non tantùm non iudico abſurdum eſſe in rebus phyſicis ſeu materiatis duas formas ponere, ſubſtantialem vnam, & accidentalem alteram, ſed neceſſarium eſſe aio, non vnam tantùm, ſed plures accidentales ponere. Quippe formae οὐσιώδεις phyſicae, nihil agunt ſine inſtrumento corporeo, αὐτὸ τῷ τυγχάνειν: quia non ſunt actu efficaces, ſed potentia, reſpectu actus ſecundi. Pro diuerſitate ergo temperamentorum, diuerſas edit formae ſubſtantialis actiones. Idem hoc ipſe tu cùm affirmes his verbis (qualitates verò, ex quibus temperies conſtat, omnes vno ore Philoſophi fatentur, actionum eſſe cauſam proximam, & per illas ſubſtantias efficaces eſſe) nihil opus eſt, vt plura addam. Poſt haec pro morborum totius ſubſtantiae aſſcitione hoc adfers argumentum. Reperitur in compoſitis tertium quiddam praeter materiam & formam, ſcilicet forma totius: in quo fortaſſe horum morborum authores ſedem ipſis conſtituunt. Eſt autem forma haec totius alia, non tantùm ab ipſomet compoſito, ſed etiam à forma partis, quae vnà cum materia compoſitum conſtituit. Compoſitum ſit homo. Forma partis hic erit anima, cum corporis temperie totum conſtituens. At totius forma, erit ipſa humanitas. Ad haec ita reſpondeo. Certum eſt praeter materiam et formam tertium eſſe in toto naturali, ſeu in compoſito. De ſubſtantijs ſi loquamur, dubitabit nemo eorum, qui principium lib. 2. Ariſt. de anima cum attentione perlegit ac intellexit. Manifeſtè ibi diſtinguit compoſitum à materia & forma. In compoſito ſeu vno accidentali aequè clarũ eſt. Habes igitur me tibi conſentientẽ hac quidẽ in parte. Cùm deinde exemplo hominis declaras tuam ſententiam, quatuor videris res ponere, ſcilicet compoſitum, hominem videlicet. Deinde animam, quam formam vocas partis. Tertiò materiam congruenter temperatam. Poſtremò formam totius, nempe humanitatem. Quaero hîc primùm ex te, quid differat ab homine humanitas? Deinde cur à compoſito, nimirum homine, tanquam partem quartam ponas, cùm

Ariſt.

Ariſt. tres tantùm res in ſubſtantia tali agnoſcat? Materia enim cuiuſq; rei propria, προσεχὴς, & vltima, non poteſt ſine peculiari temperatione materiæ nomen retinere. Haud dices, puto, quartum hoc materiam cum forma vnire, atq; vnitis iam, id eſt, ipſi compoſito ſuperuenire, tanquam vltima & perfecta forma. Quippe, quod ex materia & forma coaluit, ὑπόστασιν & ὑφιστάμενον, & τὸ δὲ τὶ Græci vocant (Latini barbarè ſuppoſitum, aliquando indiuiduum, & ſubſiſtens nominant) nec alio aliquo egere putant. Sunt enim hoc modo compoſita primæ ſubſtantiæ ſeipſis ſubſiſtentes. Huc Ariſtotelis verba pertinent, quæ in 1. cap. lib. 2. de anima legimus, διὸ καὶ οὐ δεῖ ζητεῖν, εἰ ἓν ἡ ψυχὴ καὶ τό σῶμα, ὥσπερ οὐδὶ τὸν κηρὸν καὶ τὸ σχῆμα οὐδ᾽ ὅλως τὴν ἑκάστου ὕλην, καὶ τὸ οὗ ὕλη. Nulla ergo natura ſeu ſubſtantia in homine, præter materiam, formam, & compoſitum quod eſt homo. Quid ergo, inquies, de humanitate dicemus, num ab homine non differt? Differt certè, ſed non tanquam natura ſeu ſubſtantia quædam quarta. Sic ergo differunt, vt caro, & τὸ εἶναι carnis, quo exemplo frequenter vtitur Philoſophus. Eſt enim humanitas τὸ εἶναι hominis, hoc eſt, perfecta hominis definitio ab omni concretione materiæ & patibilitatis ſecreta in mente noſtra conſiſtens. Homo enim mortalis & patibilis eſt, at non humanitas, quæ eſt intellectus noſtri νόημα, omnis materiæ contagionis & mutabilitatis expers, ac velut idea quædam hominis. In ipſo autem homine non eſt ab homine alia natura diſtincta, per quam homo vel agat vel patiatur aliquid aliud, quàm agere ac pati poteſt, quatenus homo eſt.

Sed ponamus reipſa aliud eſſe aliquid ab homine, formam ſcilicet totius, vt tu appellas. Quid hinc concludes? Morbos, ais, totius ſubſtantiæ videntur horum inuentores in hac natura poſuiſſe. Quæro igitur, vtrum natura hæc quarta, ſubſtantia ſit, an accidens? Si accidens ſtatuatur, vel erit totum ſecundum ipſum per ſe alterabile, vel non. Si prius detur, non fuerit forma ſeu terminus generationis, ſed indefinita qualitas, nempe patibilis: quod eſt abſurdiſſimum. Si ſecundum, ipſum mutabile corpus eſſe negetur, non poterit morbos ſuſcipere, niſi qualitatibus mutatis, ipſum quoque mutetur. Redibimus ergo ad principium. Sed fruſtra hîc hæreo, cùm ſimpliciter fieri non

poſſit, vt ſubſtantiæ forma ſit accidens. Quod ſi ergo ſubſtantia eſt, nihil habet contrarium. Ergo καθ' ἑαυτὸ, animæ inſtar, nihil patitur. Nullorum ergo per ſe morborum eſt ſubiectum. Corpus ergo primò læditur, quod tu quoq; concedis. Ergo morbus quilibet primò & per ſe corporis affectus eſt, ſecundò & per accidens vel animæ vel humanitatis: quatenus ſcilicet cum corpore ita malè affecto amplius conſiſtere, ipſumq; informare non poſſunt. Idem nos dicimus. Nihil igitur inter nos relinquitur controuerſum. Imò verò plurimum ais: quoniam peſtilentes, & contagio venenato inficientes humores aut vapores, etſi in corpus primùm inuadunt, non tamen ſecundùm ſimplicem duntaxat temperiem lædunt, ſed ita, vt totum deſtruant. Concedo hæc omnia: ſed quid eis efficias, nondum certè video. Peſtilentes humores vel corporis temperiem lædunt, vel vnitatem, vel inſtrumentalem conformationem. Niſi horum aliquid lædant, morbos nullos creabunt. Sed de primo genere, intemperie ſcilicet: (Reliqua duo morborum genera huc non pertinent) agamus. An poteſt corporis natura deſtrui temperamento integro remanente? Tu affirmabis, ſi propoſitum tueri voles: ego autem negabo. Vt forma aliqua ſit in materia, neceſſarium eſt, vt materia perfectam habeat δύναμιν, ſeu perfectè ſit diſpoſita. Non enim forma quælibet in ſubiecto ſeu materia qualibet, ſed in propria tantùm riteq; diſpoſita ineſt: niſi cœlũ terræ miſcere velimus, & humanã animã in materia aſini, fabæ, milij, &c. inhabitare poſſe opinemur. Quæ verò eſt iſta materia diſpoſitio alia, quàm conueniens temperamentum? Hoc dum adeſt, congruenter, dum abeſt, incongruenter diſpoſita eſt & dicitur materia. At impoſſibile eſt, materiam perfectè diſpoſitam non informari à forma, pro qua ſuſcipienda & retinenda aptè ſufficienterq; præparata eſt. Nec ſuam etiam deſerere materiam forma vlla poteſt, quantiſper pro eius permanſione rectè temperata eſt materia. Ergo cùm ſubſtantijs & formis per ſe, & primò nihil ſit contrarium, & actio omnis fiat à contrario, à nullis morbis primò, & per ſe lædi vel deſtrui poſſunt. Quare temperationem primò corrumpunt neceſſariò, quæ corpus deſtruunt. Sed

nec temperationi

nec temperationi, quando conſideratur, vt habitus, ſeu motionis terminus, aliquid per ſe, & primariò contrarium eſt. Corpora enim ratione habituum quieſcunt, Non mouentur aut mobilia ſunt, vt præclarè demonſtrauit Ariſtoteles 7. Phyſic. cap. 3. Tunc igitur ſolùm mutatur corpus, quando qualitates patibiles, primæ ſcilicet mouentur ſeu patiuntur. Quocirca corporis temperationem per ſe ſola illa corrumpunt, quæ calefacere, frigefacere, &c. poſſunt. Peſtilentes igitur humores, aut halitus, niſi diuidendo corpus continuum deſtruant, calefaciendo aut frigefaciendo, &c. corrumpunt. (Quòd enim primò & per ſe non inuehant morbos inſtrumentales, confeſſum eſſe arbitror.) Aliter enim temperamentum labefactare per ſe nequeunt. At hoc integro perdurante corpus interire aut diſſolui non poſſe certum eſt. Fruſtra igitur in quarta illa natura, ſi ponatur ſubſtantiæ aliquid eſſe, finguntur morbi primò inhærere. Hîc non incommodè repetiuero, quod ante dixi, formas ſubſtantiales phyſicas abſque inſtrumento corporeo nihil agere. Eſt ergo proxima actionis cauſa organum ſeu pars corporea. Quare vel morbus non per ſe primò, ſeu proximè lædit actiones, vel eſt huius partis ſeu inſtrumenti proprius affectus. Quòd ſi organi propria eſt diſpoſitio, non poterit propriæ formæ affectus cenſeri. Quid igitur proſit commentum de totius forma, ſi quàm maximè verum eſſet. Non enim humanitas, ſed homo morbis afficitur, nec patitur à morbis anima, ſed corpus. Patet igitur fruſtra huiuſmodi fingi ad ſtabiliendos morbos totius ſubſtantiæ, quos natura prorſus neſcit cum tota vetuſtate. Eſt enim recens figmentum à Fernelio primùm, vt arbitror, excogitatum. Videtur autem è Chemia pullulare primùm cœpiſſe.

Quod vltimo loco quæris, nequaquam facilè eſt explicatu. Multos enim torſit quæſtio hæc medicos, dum alij medium inter ſanitatem & morbum dari conceſſerunt, alij cum Ariſtotele negârunt. Vt ſeſe pleriq́; extricarent faciliùs, dari dixerunt, ſi ſenſus arbitri ponantur, non dari, ſi rationi iudicium permittatur. Quod vt in hac ſola quæſtione tolerari poſſit, non tamen tuæ interrogationi ſatisfacit, qui generaliter quæris, cur contrariorum alia ἄμεσα, alia ἔμμεσα ſta-

tuantur? Eadem quæſtio mota olim ab alijs etiam fuit. Mouit vos hæc potiſſimùm ratio, quòd viderent ab extremo vno ad alterum tranſitum fieri non poſſe, niſi per medium eatur. Ergo, inquiunt, cùm motus omnis ex contrario fiat in contrarium, quî poterit inter aliquam contrarietatem medium negari? Omnia igitur ſunt ἔμμεσα. Tua ratio etſi cum hac coincidat, tamen alia eſt. Sic enim colligis: Contraria ſunt πρὸς τι καὶ ἀντιστρεφόντως. Quæ cùm ſint ſub eodem genere extremè ſibi oppoſita, medium habeant neceſſe eſt, ſiue nomen habeat, ſiue ἀνώνυμον ſit, Diſtinguunt alij medium in id, quod tranſitus vocant, & id, quod formæ nominant. Illud eſſe dicunt, quod magis & minus infinitè ferè recipiat, vt eſt medium inter calidum & & frigidum. Hoc eſſe affirmant, quod certam ſpeciem vnam vel plures habet interiectas, vt inter album & nigrum, interponantur rubrum, pallidum, liuidum, cæruleum, &c. Hæ ſpecies ſecundum magis & minus tantùm differunt, ſicut maior vel minor caliditas, ſed definitæ ſunt ſpecies. Huius generis contraria non habent medium tranſitus, inquiunt. Non enim neceſſarium eſt, vt quando nigrum, album fit, per omnes ſpecies tranſeat. Alterius generis ἄμεσα vocari aiunt, quòd definito medio careant. Quæ cùm dimidium quæſtionis duntaxat, & non rectè tamen ſoluant, pro nulla reſponſione iure optimo habebimus: Aliter ergo explicanda res fuerit, vt ſequitur.

Contrariorum, quæ accidentia ſunt, (ſunt enim & ſubſtantiarum differentiæ, per quas genera diuiduntur, contrariæ. Et quòd huiuſmodi contraria ſint ἄμεσα, caret omni controuerſia, vt arbitror) duo ſunt modi, ſeu genera. Quoniam corpus ſubiectum propter aliqua eſt per ſe mobile ſeu mutabile, propter aliqua quieſcit. Et quæ extrema ſunt, vel fines motionum, id eſt, ſecundum quæ corpus non mutatur, ſed à motu quieſcit, magis & minus reſpuunt, nec motui obnoxia per ſe ſunt. Ad hoc genus pertinent omnes habitus Relationum & figuræ. At ea, quorum cauſa ſubiectum eſt mobile, magis & minus recipiunt: & ob id ἔμμεσα ſunt & dicuntur, ſicut altera propter cauſam contrariam ἄμεσα noſcuntur. Quomodo enim fieri poſſit, vt quæ magis & minus non recipiunt, hæc ex dimidio ſint talia vel talia? Non recipere autem habitus & terminos motuum magis & minus, & per ſe notum eſt, & ab Ariſtotele

riſtotele 7. Phyſic. cap. 3. demonſtratum eſt. Non enim habitus cauſa fieri, aut perfici, ſed facta vel perfecta res quæuis dicitur. Sanitas igitur & morbus contraria ſunt ἄμεσα, cùm ſecundùm hos habitus non moueatur, ſed motum ſit. Terminant enim motum. At calidum & frigidum contraria ſunt, ἔμμεσα: quia ſecundùm ipſa mouetur corpus, non autem motum eſt. Recipiunt hæc magis & minus, cùm calidum poßit minus fieri calidum & ſimiliter frigidum. Quare poterit idem medio modo habere. In talibus medium eſt, cum extremis ὁμογενὲς: & conſiſtit in qualitatibus patibilibus, ſecundùm quas corpus primò & per ſe eſt alterabile. In habitibus contrarijs medium eſt ἑτερογενὲς: quod omnes intelligunt, qui inter motum & formam per eum acquiſitam diſtinguere norunt. Nullum enim genus idem eſt motus, & habitus per eundem acquiſiti. Nec poſſunt extremi habitus componi aut miſceri, vt ex illis medium quoddam generetur vtriuſq; extremi particeps. In his igitur medium tranſitus genere differt ab extremis, et proinde medium ὁμογενὲς non eſt. Quare non eſt neceſſarium, vt quando contrarium permutatur in contrarium, tranſitus perpetuò fiat per medium eiuſdem generis. Ita prior ſoluitur ratio. De tua non eſt, cur multa dicam. Contraria, inquis, ſunt πρός τι. Scio. Sed & hoc alterum ſcio. Ariſt. negare omnibus in genere Relationis contentis accidere medium. Nec contraria ſunt omnia, nec recipiunt magis & minus Relationes, vt in prædicamentis, & loco ſupra citato docuit Philoſophus. Non ergo ſequitur, contraria referuntur, ergo habent medium, cùm ſint extrema quædam. Hoc enim illis ſolis accidit, quæ magis et minus recipiunt, Cõtrarium ſufficit contrario ſuo contrarium eſſe, non oportet medio contrarium eſſe. Satis de hac re dictum, ſi Medicos inter ſanitatem & morbum medium ponentes, duobus verbis excuſauero. Medici artifices ſunt, & ob id circa ſingularia verſantur. Qui cùm certam in materiam introducere formam velint, neceſſariò materiæ mobilitatem ſeu habilitatem præcipuè conſiderant. Hæc habilitas corporum cùm gradus ſiue magis & minus ſuſcipiat (eſt enim per ſe indefinita) qui ſine habitibus definiri non poſſunt, morbum & ſanitatem non contemplantur, vt formas à materia ſecretas, aut motionum fines, ſed conſiderant eas, quatenus in materia inhærent, & cum habilitate iunctæ

ſunt. Per accidens ergo recipiunt magis & minus (itaq; medium habere dicuntur) quatenus ſcilicet in corpore inſunt, quod ſanitatis habitu amplius perfici, aut morbi habitu grauius lædi poteſt. Non neſciunt aliâs, corpus noſtrum non perfici, quatenus perfectum iam eſt, ſed quatenus perfici amplius poteſt. At habitus ratione res nulla perfici poteſt, ſed perfecta iam eſt. Non igitur habitus ratione mouetur res vlla. Inter habitus ergo contrarios medium ſeu gradus nulli ſunt. Quoniam verè accidit habitui, vt ſubiectum habile ſit amplius perfici, eatenus habitibus gradus, qui eis tamen accidunt, adſcribunt artifices: qui haſce res tanta accuratione minimè diſtinguunt. Si non clarè ſatis expoſui, admoneto me, &, ſi potero dilucidiùs & fuſiùs declarabo. Vale. Dat. circa initium Ian. anni huius 79. quem tibi tuisq; omnibus quàm feliciſſimum eſſe ex toto corde precor.

AD EVNDEM D. MONAVIVM.

Epiſtola V.

Diſputatur vberiùs de iiſdem, quibus in præcedenti.

CHEMIAM me non ſimpliciter damnare, ſed magnis laudibus tollere, ſi vtilia, & quæ fieri poſſunt, conetur facere, ſatis intellexiſti. Ἰδιοσυγκρασίας à peculiari temperamento prouenire itidem perſpexiſti. Itaq; hoc ſolùm addam, non eſſe temperamenta hæc extra humanæ temperationis latitudinem poſita. Planè ſunt infinita hæc indiuiduorum temperamenta, vnde fit, vt tanta ſit naturarum, ingeniorum & morum diuerſitas. Singula enim proprij aliquid habent, ac rarò fit, vt duo aliqui eiſdem rebus delectentur. Quippe quibus alius gaudet, ea alius auerſatur. Verum nos illas notare duntaxat ſolemus, quæ infrequentius accidunt, & à communi natura plurimum receſſerunt.

A Philoſophorum ſententia me diſceſſionem facere, & ad Medicos tranſire non benè opinaris, quando res quaslibet opere & potentia definiendas eſſe ſcripſi. An non enim teſtimonijs apertis Ariſt. hoc ipſum comprobaui? Quæ ſi non ſatis tibi clara eſſe videntur, lege principium lib. œconomicorum, vbi hæc verba reperies, οὗ ἡ ἕκαστον ἐστι καὶ γίγνεται, καὶ ἡ οὐσία αὐτοῦ αὕτη τυγχάνει οὖσα. Primo item Polit. cap. 2.

hæc

hæc legimus. πάντα δὲ τῷ ἔργῳ ὥρισται καὶ τῇ δυνάμει. ὥστε μηκέτι τοιαῦτα ὄντα, οὐ λεκτέον τὰ αὐτὰ εἶναι, ἀλλ᾽ ὁμώνυμα. *Pertinent huc etiam quæ in lib.2.de cælo & mund.cap:3.ſcripſit,* ἕκαστόν ἐστιν, ὧν ἔργον ἐστὶν, ἕνεκα τοῦ ἔργου. *Euidenter, vt arbitror, probaui, cum Ariſt. me locutum, quando tibi reſpondens ſcripſi, Rhabarbarum in officinis non eſſe Rhabarbarum verum, quia opus, cuius cauſa à Natura factum eſt, facere amplius non poſſit, ſed Rhabarbari veri cadauer. Equidem ſicca radix, quæ vitæ operationes exercere nequit, non magis eſt verum Rhabarbarũ, quàm manus amputata hominis manus eſt. Quippe* ὁμωνύμως *manus aut Rhabarbarum dicuntur, quia non poſſunt id, cuius cauſa facta ſunt, præſtare. Equidem perfectionem ac finem amiſerunt, quæ poteſtatem operandi perdiderunt. Hoc autem nihil eſt aliud, quàm natura ſua & eſſentia ſpoliata eſſe. Quod præclarè Ariſt. loco ſupra ex 1. Polit. citato his declarat verbis.* ἡ δὲ φύσις τέλος. οἷον γὰρ ἕκαστόν ἐστι τῆς φύσεως τελεσθείσης, ταύτην φαμὲν τὴν φύσιν εἶναι ἑκάστου, ὥσπερ ἀνθρώπου, ἵππου, οἰκίας. *Sed quid opus eſt probatione in re manifeſta? Oculum, qui cernendi vi orbatus eſt, verè & perfectè oculum eſſe nullus credit. Nomine quidẽ oculus nominatur, at reipſa oculi cadauer eſt: licet nutriatur & viuat. Non enim ob id oculus dicitur, quia viuit (perfectio oculi non eſt, viuere, ſed inſuper videre. Tunc generationis ſuæ finem attigit, cùm virtute aſpiciendi præditus eſt) ſed quia videt aut videre poteſt. Quare ſi* τὸ εἶναι καὶ τὸ τέλος *oculi eſt poteſtas videndi, per hanc meritò definitur. Hæc enim eius eſt finis, perfectio, eſſentia & natura. Eadem eſt omnium aliarum rerum conditio, quæcunq; certi operis cauſa conditæ ſunt. Nec effectibus, ſed formis definiuntur, quæ iam dicto modo definiuntur, nempe poteſtate id agendi, cuius gratia à Natura producta ſunt. Qui opere, vel operationibus in definitione vtuntur, ex eis potentiam, quæ earum cauſa eſt, intelligi volunt. Cùm nomen notum eſt, id ponimus. Cùm ignotum eſt, aut proprio nomine caret, formam ſæpè cuius facultas eſt, pro eo ponimus. Cùm eiuſdem formæ plures ſunt poteſtates, atque vnam ab alijs diſtinctam cupimus, vt poſſumus, deſcribimus. In qua ſententia cum Galenum etiam fuiſſe demonſtrauerim, non facio à Philoſophis diſceſſionem ad Medicos: ſed ambobus conſentientia dico.*

Abſurdè, inquis deinde, formæ duæ ſubſtantiales in eadem re ponuntur. Idem ego quoq; & dico, & ſentio. Addam hoc loco, ne longior hinc diſceptatio nobis oriatur, formam vltimam ſeu perfectionem vltimam eſſe vnicam in re qualibet, quæ reliquas, quæ pro formis à nonnullis habentur, ſub, aut in ſe, contineat. At Gal. temperamentum putauit Animam eſſe, & præter hoc ineſt anima. Itaq; duæ inſunt. Non ſtatim verum eſt, quod Gal. dixit. Temperamentum dicimus cum Ariſt. (qui hac in re conſentit cum veritate diuinitus nobis patefacta) accidens eſſe, non ſubſtantiam. Quod cum dubitatione careat, nulla eſt cauſa, vt quæram, vtrum Metalla ſint animata, propterea quòd ſunt temperamento ſuo qualibet prædita. Vtrum autem creſcant & verè augeantur, non conſtat liquidò, vt affirmas, imò res aliter longè habet. Non enim aliter, quàm per additamenta partium augentur. Nec probant venæ tuæ quicquam, ſed ſi quæ in gemmis tales apparent vitio eis datur, alienúq; aliquid interueniſſe ſignificant. Quas in melioribus metallis vocant venas, venæ non ſunt, ſed vel meatus terræ, vel tractus, in quibus apta continetur materia, ex qua generari poſſit, ſi genitum non ſit, metallum. Humanitas, vt Genus, Species, Prædicabile eſt vónμα intellectus, quibus res extra mentem nulla reſpondet. Vniuerſale, inquit Ariſt. vel nihil eſt, vel poſt res eſt, poſtquam ſcilicet animo à rebus abſtraxerimus. Talia autem non agunt aut patiuntur. Nec ob id eſt inane commentum. Seruit enim cognitioni noſtræ plurimum (dum quæ natura in multis vna eſt, & à ſingulis eſt inſeparabilis, & nec agit nec patitur in ſingulis, vt vniuerſalis, ſed vt eſt res ſingularis, ita quoq; agit) quod ne tu quidem ignoras. Humanitas igitur eſt homo, ſeu hominis natura in mente per modum ideæ conſiderata. Atqui Ideas quoq; partem ſubſtantiæ non eſſe rerum, quarum ſunt ſpecies, certum eſt apud omnes. Quî poſſet igitur hæc forma extra res ſiue in animis duntaxat noſtris inhærens, morbos totius ſubſtantiæ nobis parere? Non etiam ſic eſt in mente humanitas, vt ei homo reſpondeat extra ſubſiſtens, ſed quæ in homine eſt ſingularis, in mente eſt vniuerſalis. Quid in mentem venerit noui morbi inuentoribus neſcio. Hoc interim probè ſcio, morbos omnes (de corporeis loquor) accidere primò corpori, non animæ ſeu formæ. Item quod morbi omnes neceſſariò, cùm lædant actionem

primò) in illis rebus inſint, ſiue illis noceant, quibus primò operationes anima efficit. Si enim in re aliqua effectus aliquis ſit, qui nihil dictorum lædat, dum hoc facit, morbus non erit nominandus. Ergo cùm tria non poßint oſtendi, à quibus primò eduntur operationes, quid eſt opus quærere? Hoc, ais, quæritur potißimùm, quid primò lædatur? Non enim inficiari quenquam, quin temperamentum ſimul lædatur. Quæro ego rurſus, an actio lædi poßit, illæſo manente temperamento? Si non poteſt, non erit totius ſubſtantiæ læſæ morbus antequam temperamentum vitiauerit: Si poteſt, non erit temperamentum primum inſtrumentum animæ: & cæcutiuerunt in re tanta omnium ſeculorum ſummi philoſophi ac Medici. Cùm temperamentum oblædi aſſerimus, non de ſola partium ſolidiorum temperie loquimur, ſed etiam ſpirituum: & volumus intelligi de temperie actu, quæ conſtat ex calore tum implantato tum influente. Falleris, cùm putas ipſos quoque authores confeſſuros, ſimul cum tota ſubſtantia temperamentum neceſſariò deſtrui. Contrarium affirmant & ſcribunt, tempore aliquanto morbum totius ſubſtantiæ actiones lædere, temperamento nulla in parte adhuc offenſo. Spiritui & calori cùm nocumentum afferri aiunt, benè dicunt, at temperamentum tunc non lædi, non oſtendunt. Cùm verò animam primò offendi aiunt, quid dicant neſciunt. Ego etiam ſic nunquam ſum argumentatus. In ſubſtantiæ totius morbis neceſſe eſt temperamentum deſtrui. Ergo temperamentum per ſe & primò læditur. Sic ego colligo. Si actio à temperamento proueniens, vel, ſi actio nulla læditur à morbo, niſi temperamentum, aut fabrica aut continuitas partis vitiata ſit, certum eſt ab his primò actiones produci, & in his omnes morbos ineſſe: neque pro morbo cenſeri poſſe affectum, qui horum nihil lædit. Cùm in accidentibus ſuffuſioni ſimilibus vitio ventriculi ortis, ſcribis, affectionem eam oculorum propriè non dici morbum, neque ab ea oculos primò lædi, rurſus falleris. Vt de primo nihil dicam, (eſt enim alibi expoſitũ, nec ad rem noſtram confert) quomodo dicis tu affectum oculi non primò lædere oculos? Quo in loco prius eſt dipoſitio illa oculi, quàm in ipſo oculo? Verum eſt, quòd cauſa affectionis in ventriculo prius colligitur, & inde in cerebrum oculosque aſcendit. Quò, cùm peruenit, oculum lædit: quæ læſio alibi prius non fuit. Solet hic vapor aliquando prius mordere os ven-

triculi. Conſentire tum oculi ſolent, at non eodem ipſi poſterius morbo laborare ſolent, quo ventriculus. Vt enim vitio ventriculi viſio primò lædi non poteſt, ita nec oculi vitio concoctio ea ventriculi, qua panem, vinum, carnes, &c. vertit in chylum, lædi primò poteſt.

De contrarijs medijs & medio carentibus non reprehenderem tuam explicationem, ſi medium illud ſubiectum poſſet inueniri. Cum, inquiebas, Natura non poſſit de vno extremo tranſire ad alterum, niſi prius tranſeat per medium, videtur nulla dari medio carentia contraria. mors & vita non ſunt contraria propriè dicta, ſed priuatio & forma, ſeu priuatiuè oppoſita. Nos de propriè ſic vocatis diſſerebamus. Ita ſimul ad alteram obiectionem reſponſum habes. Quoniam nec formas contrarias inter ſe dicimus, quia non ſunt accidentia, & nihilominus differentias, quibus genera diuiduntur, contrarias fatemur eſſe: at non propriè. Contraria naturalia, quæ propriè ita vocantur, ſeſe de vno ſubiecto inuicem pellunt, in eoq; ſibi ſuccedunt: quod ſubſtantiales differentiæ nullæ facere poſſunt. Quomodo & cur aliqua extrema oppoſita medio careant, ſatis in ſuperioribus expoſui: quia ſcilicet talia ſunt habitus, termini, fines, diſpoſitiones, quæ magis & minus non recipiunt. Rectè ſcribis, me de contrarijs habitibus, vt ſanitate & morbo diſputare, te verò de habitu & priuatione diſſerere, vt vita & morte. De his quia verè & propriè contraria non ſunt, non eadem dici poſſunt, quæ contrarijs rectè competunt.

Quæ deſideras in commentariolo de Cometarum ſignificationibus, reperies fuſè expoſita in diſputatione integra de Cometarum ortu, natura, cauſis, efficientia. Sic enim iſta omnia expoſui, vt non iniuria videar ſperare, quoſuis intellecturos perfectè. Coëgit me ferè, vir maximus Andreas Dudithius: ac fuit Ariſtoteles in cauſa iuſta & defendendus & declarandus. In hoc, te monente, plura de experientia dicam. Vale feliciſſ. vir ornatiſſime & doctiſſime. Dat. 4. Septemb. 79.

Epiſtola VI.

AD D. PETRVM MONAVIVM.

.1. De iiſdem quæſtionibus, de quibus in prio[..]bus, differit.

2 De ſanguine & reliquis humoribus agit, & quòd ſolus ſanguis nutriat 3. De Ferri & chalybis limaturæ præparatione & vſu 4. De ſabuloſo lapide. 5. De rubiæ herbæ facultatibus: & Formicario balneo.

LItems tuas, vir clariſſime à te iſtic 17. Decemb. ſcriptas, hîc mihi reddidit tabellarius veſter ante dies plus minus 14. Reſponſum quia expectas, breuiter ſic habeto. Dixi omnia illa, quæ certi vſus gratia à natura producta ſunt, potentia & operatione eius vſus definiri, quod apertis Ariſt. & Gal. teſtimonijs probaui (licet opus non ſit probatione apud illos, qui rem ipſam æſtimant) & tu verum eſſe non inficiaris. Hoc dubitas, qualenam opus qualemq́; potentiam intelligam? Reſpondeo illam me intelligere potentiam & operationem, cuius cauſa facta eſt res quælibet. Patet hoc ex ſententia, quam ex 1. Polit. citaui, quæ ſic habet, ἡ δὲ φύσις τέλος. οἷον γὰρ ἕκαστόν ἐστι τῆς φύσεως τελεσθείσης, ταύτην φαμὲν τὴν φύσιν εἶναι ἑκάστου, ὥσπερ ἀνθρώπου, ἵππου, οἰκίας. *Cùm ergo quodnam opus intelligam, quæris, vitaléne, an temperamentale? Reſpondeo. Si perfecta eſt radix Rhabarbari, cùm bilem ſubducere poteſt, ſine vita, hanc potentiam eius dico eam eſſe, qua ipſam definiri oportet. Sin autem perfecta prius non eſt, quàm vitæ opera exerceat ſibiq́ue ſimile generare & nutrire poſsit, vitæ operatione ac potentia definiendam aio. Hîc tu me putas mecum pugnare, quia præcipuum opus Rhabarbari videatur eſſe humoris billioſi expurgatio. Falleris, ſi hanc vim eſſe putas Rhabarbari, quoad eſt ſui generis planta, extremam perfectionem. Sic tu formam & operationem tritici, animalium omnium facies virtutem alendi. At non alunt hæc, ſicut nec Rhabarbarum purgat, priuſquam forma ſua orbata ſunt. Non ſequitur: Animalia propter id facta ſunt à Deo, vt hominiin cibum veniant. Ergo hic vſus eſt naturæ ea producentis finis. Perfectio & finis animalis cuiuſq;, quoad tale eſt animal, & per ſe conſideratur, non comparatione vſus, quem alijs exhibet, eſt, ipſa eius forma ſeu potentia, per quam illud agere poteſt, quod pro natura ſua agere debet. Et hic finis dicitur Ariſtot. finis* οὗ *ſeu cuius. Cùm deinde quatenus vſum certum alijs præſtat, conſideratur,*

finis talis vocatur ab eodem, finis ῷ ſeu cui. Si hos fines aptè diſtinxeris, facilè te explicabis ex hac difficultate. Rhabarbari finis naturalis, cuius, eſt ipſa eius ſubſtantialis perfectio ſeu forma: finis cui, eſt purgatio, ſicut animalis, quod alit, finis cuius eſt, ſua cuiuſque perfectio: finis cui eſt, vt alat hominem. Non poteſt autem tum hoc alere tum illud purgare, niſi vita ſua ſpolientur. Vnde rectè dixi, non Rhabarbarum, ſed huius cadauer purgare. Quòd ſi vſum hunc nobis præſtaret vitæ operatione, quomodo equi nobis viuentes non mortui, vtiles ſunt ad equitationem, alia nonnihil eſſet ratio. Quæris amplius, cur mortuus homo dicatur ὁμωνύμως homo, Rhabarbarum aũt tum demum verè vocetur Rhabarbarũ, cùm vita priuatum eſt? Nego tibi vel bouem mortuum cuius carnibus veſcimur, vel Rhabarbarum anima ſeu vita deſtitutum, propriè vocari bouem aut Rhabarbarum, cùm nec ille bouis, neque hoc Rhabarbari potentiam & operationem retineat, licet illius cadauer nos alat, huius nos purget. Diuerſitatis ratio eſt, quòd hominis finis vterque conſiſtit in eius vita vitæque operationibus. Rhabarbari autem finis cui, non in his, ſed in huius cadaueris vſu conſiſtit. Bos quatenus arat, ſi mortuus ſit ὁμωνύμως dicitur: at quatenus nos alit non dicitur bos, ſed bouis cadauer, ſiue alimenti vſum præſtare non poteſt, quatenus bos verè eſt. Summa eſt, quæ mortua vtilitatem nullam nobis adferunt, ea non admodum ſolemus eiſdem nominibus efferre viuentia & mortua, ſed vel alio nomine appellamus, vel addimus mortuum, vt equus vel homo mortuus. Quæ autem mortua egregiam vtilitatem exhibent, frequenter eodem nomine donamus viuentia & mortua. In plantis hoc eſt vſitatiſſimum, itemque in alimentis. Dicimus enim nos edere gallinas, turdos, piſces, non autem horum cadauera. Tunc enim cadauera ferè vocamus, cùm non amplius edi poſſunt. Quòd aliam eſſe totorum, aliam rurſus partium rationem, vt oculi & manus, omni carent ratione. An enim mortuus homo, equus, bos, arbos, &c. minus dicitur ὁμωνύμως homo, equus, bos arbor, quàm mortua manus, pes, oculus, ramus? Ariſtotelis verba non legiſti. 2. lib. de Anima 1. cùm ſic ait? εἰ γὰρ ἦν ὁ ὀφθαλμὸς ζῶον, ψυχὴ ἂν αὐτοῦ ἦν ἡ ὄψις.

Quæ de metallorum vita diſputas indigna certè ſunt, de quibus verba inter nos tot commutemus. Nulla gens, nulla lingua, nulli docti, ne

ſi,ne ſacræ quidem literæ,vitam eis adſcribunt,qualis ineſt animalibus vel plantis.Cum eis analogum cordi tribuis,non animaduertiſſe videris,ea ſic frequenter cum ſua gleba permiſta naſci, vt oculis vſurpari nequeant. In iſtis minutioribus particulis, quàm ſint pulices,quid tu corculi fingis? Si, quæ in ipſis eſt facultas,vis aut forma,tibi animam appellare aut vitam lubet, te aut falſum credere,aut nimis audacter nominibus abuti noris. Ad me quod attinet, non facilè porrò ad hæc tibi reſpondero,cùm nec vtilitatis, nec probabilitatis aliquid habeat ea diſceptatio. Qui per additamenta creſcere negat,matrices eorum (vt vocant) paucas aut negligenter inſpexit.

De humanitate quoq; plura non addam, ſi quæ res eſt, quæ conceptui huic extra intellectum reſpondeat alio modo, quàm nuper ſcripſi,etiam animalitas, & leonitas, & plantitas, &c. extare perhibebitur.

Quid θεῖον in morbis ſignificet Hippocrati,expoſitum à me eſt alibi,& à Galeno ſatis fuit declaratum. Vocat ita temperiem aëris peculiari & latente modo corpora lædentem.Hanc ſi à temperie morbida nota ſeiungere ac diſcernere tibi libet,modò certum & nobis incognitum gradum intemperiei fatearis, nominare tibi vt libet poteſtatem concedimus: at ab authoribus horum morborum non te receptum iri,ſi ab hypotheſi ſua recedere nolint,tibi affirmo. De qua re quia itidem ſatis dixi in proximis literis,plura hîc non addam. Non eſt opus,vt repetam ſuperiora de contrarijs,dummodo meminiſſe poſſis,me de contrarijs propriè ſic nominatis loquutum ſemper fuiſſe,non de priuatiuè oppoſitis,qualia ſunt mors & vita. Longè alia eſt illorum,quàm horum ratio:licet in aliquibus conueniant.

Vehementer miratus ea ſum, quæ de Vaticinio ex Cometis ſumpto aſſeris. Quis hominum affirmare audebit, Mathematicum ex ſuæ ſcientiæ principijs de rebus contingentibus futuris præſagire poſſe aut conari vnquam voluiſſe? An Mathematicos neſcis ſolius quantitatis paſſiones in abſtracto conſiderare, & circa motum & quantitatem duntaxat verſari? Non contemplantur motum,ſicut Phyſici,ſed modo eis proprio. Effectiones autem ſyderum & cælorum particulares,quæ in hoc mundo naturaliter fiunt, tam non con-

ſidere ex ſcientia ſua principijs Mathematicus vel Aſtronomus, quàm non æſtimat aut ſpeculatur eas ex artis ſuæ principijs ſartor, aut ſutor aut textor, &c. Mathematicæ ſcientiæ verſantur circa τὰ ὄντα ἐξ ἀφαιρέσεως, Phyſicus τὰ ἐκ προσθέσεως ὄντα rimatur. Sed quid verbis opus? Euentus Phyſici rationibus & principijs Phyſicis indicantur, non Mathematicis. Quod ſi iam ex ſacris literis monſtrari poſſit, Deum voluiſſe, vt Cometa quilibet hoc aliquid præſagiat, non iam negabimus, eum illud ipſum prænunciare, licet ex ſua natura hoc prœindicare nequeat. Exemplum produxi de Iride. Dum non oſtenditur, particulare nihil certi præmonſtrare dicimus: imò naturaliter eos non præſagire, quæ Aſtrologi inſcitiſſimè præfigurare aiunt demonſtramus. De Iride quoq; rectè probare poſſumus, eam naturaliter tam non indicare hoc, quod ſcimus eam nobis in memoriam reuocare, quàm non diſterminat agros ex ſua natura lapis, qui ad hoc non eſt ex pacto deſtinatus. Falleris igitur, cùm non ſatis diſcretè me de his diſſerere opineris. Video te vel natura, vel, quod magis credo, inſtitutione ad Aſtrologos & Chemicos mirabilia pollicentes inclinare. At rectius & vtilius facies, ſi ſolam rationem ducem ſequêris, inanibus pollicitationibus te à via abduci non patieris. Venio ad nouas obiectiones.

Theſes tibi obſcuriores viſas ais: quia non diſertè explicent, de quibus, & quomodo affectis humoribus potiſſimùm loquar. Ego verò nihil in eis puto diſertius & explicatius dictum. Dico enim ſolùm ſanguinem nutrire, bilem cũ flauam omnem, tum atram ſiue nigram (excepta ea, quæ lienem alit) tum pituitam non nutrire, ſed excrementa eſſe. Vbi autem, inquis, ſanguis ille in corpore integrè ſano reperitur? Vbiq; reſpondeo. Sed vt ſanus à ſano differt, ita vnius ſanguis ab alterius ſanguine diſtat puritate & impuritate. Nego tibi in corpore integrè ſano cum ſanguine inuenire bilem alterutram, vel pituitam miſtam. Et ſi permiſti ſint iam nominati humores, nutrire eos nego, ſed excrementa alimenti veri eſſe conſtanter aſſeuero. Sanguis purus ex Galeni opinione imaginatione ſola datur, reipſa non reperitur: quam

reperitur: quam ego imaginationem toti naturæ aduerſari optimè noui. Et cùm aliquid ei humorum permiſtum eſt aliorum, alere eos non poſſe iterum dico, ac niſi vacuentur, morbos creare affirmo. At qui ex perfectè etiam ſanorum venis emittitur ſanguis, indicia omnium humorum commonſtrat. Nego tibi verum hoc eſſe. Non enim ſanguis lentus & aqueus pituita eſt: nec craſſiuſculus continuò melancholicus eſt: ſed toto genere differunt, vt aquoſus ſanguis & pituita, ita etiam craſſus & melancholia. Nullam ne pones in ſanguine latitudinem, qui in cunctis eam rebus inficiari non audes? An idem ſunt pituita & caro frigidiuſcula & lenta? Idem ne dices carnem craſſam & nigram cum melancholica? Non arbitror: niſi abuti omninò velis & nominibus & rebus, quæque diſcreta & diſtincta ſunt naturis, confundere ſtatutum habeas. Sanguis ſanguine craſſior, tenuior, humidior, ſiccior, candidior, nigrior aut flauior eſt, vt tamen intra ſanguinis latitudinem omnes adhuc contineantur, nec alieni humoris nomen & definitio eis competat. Itaque non adimo libertatem cuiquam nominandi humores, vt ei libet; ſed ne ſimile idem eſſe iudicet, moneo. Aliud eſt re & definitione ſanguis craſſus & niger, à ſucco melancholico: aliud item ſanguis flaueſcens tenuis & calidus, à bile flaua. Diſcrimen ob id non in vocibus, ſed in ipſis rebus hæret. Nec ſatis eſt, quòd neminem putas tàm longè à recta ratione aberraviſſe, vt ſtatuerit bilem flauam illam, quæ in veſicula continetur, cùm ſanguinis maſſa rurſus commiſceri, adque nutriendum certas partes diſtribui. Qui enim in ſanguinis generatione ortam bilem non omnem à veſicula ſecerni, ſed partem eius aliquam re & ſubſtantia non differentem ab ea, quæ ab ea attracta fuit, relinqui cum ſanguine commiſtam aſſerunt, certasq́ ab eadem illa partes nutriri tradunt, quid quæſo aliud docent? Quod de bile dico, de alijs intelligere te pariter iubeo. Nego tibi negaboq́ ſemper omnibus, dum probatum non videro, ex quatuor humoribus vnum ſic fieri, vt inſeparabili modo in vnam maſſam coëant. Non magis in vnum corpus concreſcunt, quàm ſi vinum, aquam, ceruiſiam, &c. miſceas,

& ex eis vnum aliquid ſubſtantia factum putes. Si ergo priores à recta aberrant ratione, poſteriores exorbitare non grauatè concedes, vbi rem expenderis. Præparatio ferri aut chalybis, vt lienem deobſtruant, non eſt operoſa aut difficilis. Ablui iubeo in aceto, vino, aqua, prout res poſcere videtur, tam diu, vt aquam non amplius inficiant, deinde trita miſceo cum pharmacis alijs ad rem pertinentibus, & hoc modo exhibeo, non metuens, vt in venas rapiantur. Item igniri iubeo, & in vino aut aqua extingui aliquoties præcipio, vinumq́ bibendum propino. Item in vino limatum chalybem cum alijs macerandum per dies aliquot præbeo, & vinum potandum offero. Lapis ſabuloſus vulgò apud nos dicitur beinbruch / nomine contrario, quòd ſcilicet fracturas curet. Dicitur etiam beinwall ab aliquibus, oſteocolla ſcilicet. Morochtus eſſe non poteſt, vt qui in ſuccum ſolubilis non ſit, inſtar Morochti veri, qualem ipſe habeo. Semper enim ſeruat ſabuloſi & terreni quippiam noſter: nec alibi quàm in arenis naſcitur, quæ eius eſt materia. Mitto eius tibi fruſta aliquot. Vtendi modum in Antiparacelſicis tibi & alijs fuſè ſatis deſcripſi. Dominus Ieſus te nobis incolumem diu conſeruet. Amen. Dat. anno 80. Menſe Februario.

Oblitus eram ſcribere de viribus Rubiæ, & balneo formicario: de quibus ſuperioribus menſibus interrogaueras: atq́ ego nunc caſu inſpectis literis illis in mentem reuocaui. De Rubia ita mihi ſatis facit Dodonæus, vt magis non poſſit. Me certè, cùm in eo legi, excitauit, vt inquirerem. Itaq. rem habere deprehendent omnes, qui periculum facere quouis modo volent. Patet hinc, quàm ſæpe falli illos oporteat, qui alijs ſtatim credunt, re non examinata.

Formica animalculum eſt valdè calidum, & humorem in ſe tenuiſſimum habet, igneum ferè. Liquet hoc ex earum morſu & perfuſione. Perfundunt enim humore quodam cutem, iratæ cùm ſunt, tenuiſſimo, & egregiè mordaci & calido. Pueri nos dicebamus, mich habend die obmeiſſen beſeicht, perminxerunt me formicæ. Quid igitur miri, ſi in frigidis affectibus, præſertim cùm in profunda vitium hæret, vtilitatem balneum tale præſtat. Iterum vale.

Epiſtola.

Epiſtola VII.

AD QVENDAM N.

1. Quinam morbi communes ſint & dicantur. 2. An Peſtis in priuatam & publicam aptè diuidatur. 3. An ſeminaria Peſtis neceſſariò ex eiuſdē generis animante oriantur. 4. Vtrum ex febre peſtilente, peſtis latè fuſa generetur, ſi contagioſa putredo infectorum in aërem diſſeminetur.

S. P.

LITERAS tuas 10. *Maij ſcriptas 13. Iunij primum accepi, cùm apud quendam vltra triduum (ea eſt amicorum etiam negligentia) hic iacuiſſent. Quæ mihi D. N. de tua ſententia, vir clariſſime, in negotio peſtis narrauit, exciderant penè omnia, ſed tu quædam in mentem reuocaſti. Interrogabat is, qui nam morbi communes ſint & dicantur? Item an peſtis in priuatam & publicam aptè diuideretur? Tertio, an ſeminaria peſtis neceſſariò ex eiuſdem generis animante orirentur? Nullam mihi de alia re vlla quæſtionem ad tuam de peſte ſententiam pertinentem mouit, quantū recordari poſſum. Ad primam reſpondi, morbum aliquem communem dici poſſe duobus modis: quia videlicet à communi cauſa excitatus ſit, vel quia ea ſit natura præditus, vt celeriter ſe diffundere in alios, & ſe veluti multiplicare poſſit. Sic enim ego interpretor, quod alij dicunt, morborum alios actu, alios potentia, communes exiſtere. Qui communem cauſam habent, actu ferè ſunt communes, hoc eſt, in multis vno tempore inſunt. Potentia in multis inſunt, qui ea ſunt natura, vt, quamuis vnum aliquem ſolùm nunc affligant, mox tamen ad alios plures arrepere contagio poſſint. Vt porrò non putaret, meum hoc eſſe ſomnium, Ariſt. teſtimonium produxi. Cùm in 1. ſect. problem. 7. quæſiſſet, cur ex morbis cunctis, ſola peſtis celerrimè contaminet ægris appropinquantes, ita reſpondet.* ἢ ὅτι μόνη τῶν νόσων κοινὴ ἐστιν ἅπασι, ὥστε διὰ τοῦτο πᾶσιν ἐπιφέρει τὸν λοιμὸν, ὅσοι φαύλως ἔχοντες ὑπάρχουσι. καὶ γὰρ διὰ τὸ ὑπέκκαυμα τῆς νόσου τῆς παρὰ τῶν θεραπευομένων γινομένης, ταχέως ὑπὸ τοῦ πράγματος ἁλίσκονται. *Apertè vocat hic Ariſtot. morbum communem, non qui actu iam plurimos occupat, ſed qui ad plures alios*

ſeſe per contagium,proferre & promouere poteſt.De priore ſignificato nullus dubitat. Cæterum cauſa communis eſt (vt rectè Gal. in com.lib.2.de natura hominis textu 3.affirmat)non ſolus aër,verum etiam aqua putris,cibus aut potus vitioſus.Memini in vno collegio tempore eodẽ,adoleſcentes circiter 30. decubuiſſe ex eodẽ morbo,cùm alij nulli ſic affecti vſpiam reperirentur. Natum fuerat malum ex vitioſæ cereuiſiæ potu,quæ ex ſemiputrido hordeo parata fuerat. Sic & Gal.ex ſemiputrido tritico morbum cõmunem ortum aſſeruit.Ante paucos annos in hac vicinia celebratæ ſunt nuptiæ, in quibus cùm propter æſtũ carnes putreſcere cœpiſſent, mortui ſunt ex illis,qui eas ederant, plures eodem morbi genere occiſi. Communem igitur morbum facit communis cauſa,quod & ipſa rerum inſpectio,& Gal.authoritas probant.Expoſui hanc rem Dn.N.pluribus, vt meam de hoc capite ſententiam,ſummo viro Dn. N.declarare poſſet aptiùs. Nam is in lib.ſuo de peſte in ea videtur opinione eſſe,peſtem nõ prius vocari debere peſtem,quàm plurimis communicata fuerit.

Ad quæſtionem alterã reſpondi,nomina, peſtis,& febris peſtilens, plura ſignificare. Nam peſtis propriè dicta,morbus eſt communis, acutiſſimus,contagioſus,maximæ parti eorum,quos attingit, pernicioſus. Impropriè omnem morbum cõmunem & exitioſum ſignificat: quomodo frequenter ab Hipp.& Galeno vſurpatur. Eodem modo febris peſtilens aliquando idem ſignificat,quòd peſtis propriè accepta: febrem ſcilicet acutiſſimam,valdè contagioſam,lethalem,carbunculis & bubonibus &c.inſignitam.Aliquando pro febre ponitur pernicioſa quidem,ſed quæ ex interno humorum vitio tantùm oritur:nec perinde contagioſa ſit,vt prior.De vtroq; iſto capite,quia idem nobiſcum ſentis,vt ex tuis video,nihil addam. Dn.N.mihi affirmabat,te peſtem facere publicam & priuatam.At de peſtilente febre te locutum,nunc intelligo. Quanquam non ſcio,cur valdè reprehendi debeat,qui de vera peſte,&c.loquens,eam in priuatam & publicam diſtrahat.Si enim poteſt,in febre peſtilente priuatim dicta,ad eum aſcendere gradum putredo,vt contagioſos & peſtiferos halitus emittat,erit hæc priuata peſtis,quatenus vulgaris & pluribus communis nondum facta eſt,nec à publica cauſa orginem duxit.Nec ſibi contradicit ſic loquens. Quamuis enim peſtis omnis publica ſit,non tamen

men à communi cauſa de principio ſemper oritur. Deinde vt in vno ſolo adhuc inhæreat, quia tamen communicari pluribus apta eſt, communis rectè nominabitur, ſicut ſupra oſtenſum eſt. Si ergò naturam morbi intueamur, peſtis eſt: ſi in paucis inhærere conſideremus, priuata eſt. Sed inuſitata eſt oratio. Nunquam mihi D. N. niſi memoria fallat, de te dixit, te contagia vel ſeminaria in ſolo aëre ponere, in veſtibus, ſtragulis, aliiſq; talibus negare contineri. In hoc igitur ſolo diſſentire nonnihil videmur, quòd ex humanis tantùm corporibus ſeminaria peſtis effundi arbitraris. Verum hîc etiam homonymiam latere ſuſpicor, qua diſcuſſa facilis futura ſit veritatis inuentio. Quippe nomina hæc, ſeminaria ſeu σπέρματα & μιάσματα, & pro contagio (plura enim ſignificat contagium) & pro cauſa peſtis accipi poſſunt. Quod ſi tibi non aliud ſignificent, quàm halitum in ſe putredinem habentem, quam corpus, cuius eſt exſpiratio, habebat, quæq; talem corporibus, in quæ fortè inciderit, putredinem inferre poßit, à quali ipſe genitus eſt, neceſſarium prorſus eſt, vt ex eiuſdem generis animante ortus ſit. Si verò ſeminarium vocas halitum quemlibet, qui peſtem inferre hominibus poteſt, (de quo in diſputatione de contagio, præſertim 43. theſi egi) non video, quomodo ſis defenſurus ex ſolis hominũ ægrotorũ aut mortuorũ corporibus manare. Conſtat enim non omnes peſte laborantes ex contagione tali, in eum morbũ incidiſſe. Quare nobiſcũ confiteri te oportet, non illos tantùm vapores, qui ex hominum corporibus ſurgunt, peſtem hominibus creare, ſed & alios putridos halitus, qui vel ex lacubus, vel ſpeluncis, vel aliorum animaliũ cadaueribus exhalârunt, ſeminaria ſiue cauſas peſtis rectè appellari. Nos certè cum omni antiquitate credimus, & Charonias quaſdam ſpecus, & brutorũ cadauera putrefacta ſpiritum nonnunquam exhalare, qui non aliter corpora noſtra afficiat, quàm quem peſte laborantes exſpirant. Aërem quoque certis tempeſtatibus eouſq; corrumpi cenſemus, vt peſtem multis ſimul inferat, quorum nulli contagium ab aliis recipere potuerunt. Si veræ ſunt hiſtoriæ de putrefactis locuſtis, de aliorũ animaliũ cadaueribus corruptis, de aquis & cibis vitioſis, non ſimplices ſolùm febres, ſed verè peſtilentes mortalibus pepererunt ab eis ſublati vapores putridi. Idem ſentiendũ eſt de aura venenata, quæ poſt terræ motum ex hiatibus exſpirauit. Similis

quoq; ratio eſt ſemiputridi tritici, & aliorum ſimilium. Si talis exhalatio febrem accendere poteſt, cuius putredo ad eum gradum deueniat, vt contagioſa iam ſit & peſtifera, quod nobis vltrò das, peſtis certè cauſa ritè vocabitur. Ponamus in loco, vbi talis exſpiratio putrida viget ac regnat, plurimos inueniri ſic affectos, vt, quod in vno illo potuit, in omnibus his poßit. Hoc poſito, peſtem certè ſuſcitabit in eo loco: quod Gal. his verbis affirmat. Vt plurimum verò, inquit, initium ſumit peſtis ab inſpiratione aëris ὑπὸ σηπεδονώδους ἀναθυμιάσεως μιανθέντος. ἡ δὲ ἀρχὴ τῆς σηπεδόνος ἤτοι πλῆθος τι νεκρῶν ὄντων μὴ καυθέντων, ὡς ἐν πολέμοις εἴωθε συμπίπτειν, ἢ ἐκ τελμάτων τινῶν, ἢ λιμνῶν ἀναθυμιάσεως. *Idem immoderatam aëris calidam & humidam intemperiem, neceſſariò peſtiferos morbos generare eodem cap. 4. lic, 1. de diff. febr. aſſerit.* οὕτω δὲ κἀπειδὰν ἡ κατὰ τὸν ἀέρα κρᾶσις ἄμετρος ἐκτραπῇ τοῦ παρὰ φύσιν ἐς ὑγρότητά τε, καὶ θερμότητα, λοιμώδη μὲν ἀνάγκη γενέσθαι νοσήματα. *Si hæc temperies aëris peſtiferos morbos neceſſariò parit, cur non eoſdem aliquando inuehat, cùm à putridis brutorum cadauerum fumis inquinatus eſt? Illa ob id peſtem infert, quia putrefacit. Idem cum exhalationibus illis putridis efficere queat, cur illo quàm hoc modo corruptus nocentior cenſebitur?*

Quòd ſi nobis obijcias, hominum tantùm cadauera, non aliorum animalium, ita putreſcere, vt eorum exſpiratio exitioſa contagione perdat obuios, euidente primùm experientia, deinde ratione quoque refelli reſpondebo. Nam & locuſtarum exercitus, & prægrandes piſces in littus eiecti & putrefacti, peſtem intuliſſe vicinis regionibus conſtanter ſcribuntur. Quis porrò neſcit modos atque gradus putrefactionis tàm eſſe varios & multiplices, vt dubitari non poßit, quin aliquis homini ſit pernicioſus? Equidem, vt fumantia peſte mortuorum cadauera, brutis nonnunquam facta ſunt peſtifera (factum hoc fuiſſe vel vnus Ioannes Bocatius abundè teſtatur) ita nihil vetat, puto, horum quoque cadauera interdum ad eum putredinis gradum aſcendere poſſe, vt peſtem nobis inferant. Hæc cum Galeno conſentaneè dicantur, à quo alij non diſceſſerunt, non intelligo quibus rationibus tu perſuaſus affirmes, à te veteres ſtare: quos ego nuſquam reperi cauſam peſtis in ſolos corporum humanorum effluxus retuliſſe.

Quare

Quare ſi per ἀπόῤῥοια cauſas peſtis, ſeu peſtiferos quoslibet halitus intelligis, quomodo tibi aſſentiar, nondum me videre profiteor.

Aliud inſuper eſt examinatione dignum, quòd videris credere, ex febre peſtilente priuatim dicta peſtem late fuſam generari, cùm ſcilicet putredo in laborantibus contagioſa eſt reddita, & effluuia in aërem inſperguntur, perq́ eum diſſeminantur. Ego verò contagium communicari multis libens concedo, peſtem latè regnantem efficere nondum mihi perſuadeo, ſi alia eius in aëre ſeminaria nulla inſint. Etenim intra ædes, in quibus ægri decumbunt, plerunq́ permanent: & vicinas inhabitantes domus non ſæpè contaminant. Hinc totæ vrbes à contagio præſeruantur, cùm domus, in quibus ægri iacent, clauduntur. Nec facilè inficiuntur, qui talem domum ſæpius in die prætereunt, quod fieri oporteret, ſi extra eam ἀπόῤῥοια illa ſe proferrent, aëremq́ vicinum vndiq́ complerent: Incredibilius fortaſſe tibi videbitur, quòd verum eſſe comperi tamen, in eadem domo habitantes à contagio immunes permanſiſſe, qui conclauia ægrorum deuitaſſent, atq́ clauſa ſeruari imperaſſent. Cùm in liberum aërem effuſa ſunt, minus adhuc nocent. Quippe vel à motu eius diſijciuntur, ac debilitantur, vel à frigiditate alterata innoxia redduntur, vel à caliditate extenuata in ſuperiorem aëris regionem tolluntur, (ſicut fumos & pulueres tolli cernimus) vt inquinare porro ac lædere neminem poſſint. Ibi enim vis eorum malefica vel frigore, vel calore, vel ventilatione, vel aliorum corporum admiſtione exſoluitur ac frangitur: niſi ſtatim ac ſublata ſunt, ad terram iterum violenter depriman tur. Efferri ſurſum tales vapores, præter ante dicta, illud etiam declarat, quòd alimenta fulmine tacta peſtifera fiũt veſcentibus. Quod certè non eueniret, ſi non inter nubes halitus noxij continerentur, qui fulminis vi ad terram deiecti contactu adhæſuq́ ſuo, fruges reddunt exitioſas. Quocirca rectè diximus, exſpirationes ægrorum minus fieri nocentes, cùm in aërem diſſeminantur, quàm cùm in domibus incluſæ hærent: quia in aëre vel alterantur, vel diſſipantur, vel ad loca pelluntur, in quibus ſine periculo noſtro aliquantiſper (non enim diu conſeruare poſſunt) venenum ſuum retinent. Argumento eſt hoc etiam, quòd non facilè afficitur peſte, qui tranſit pagum, oppidum, vrbem peſte infectam, nec in domum contaminatam vllam ingreditur. Quod

cùm idiotæ ruſtici quoq; intelligant, cùm in pagis nimium ſæuit malum, domibus relictis in campis apertis habitant. Huc pertinet, quòd in domo aliqua ſæpe contagium durat, longo poſt purificatum aërem tempore. Legimus, & verum eſſe iure credimus, in ſtragulis, veſtibus, ſuppellectile alia permanſiſſe menſibus & annis aliquot poſt purgatum aërem. Exemplum arculæ ex templo Apollinis, puto, ablatæ, ex qua exiens halitus Babyloniam infecit peſte, quæ in multas deinde regiones extenſa fuit. Factum ſcribitur ſub Marco Antonio. Ex quibus manifeſtum fit, non facilè aërem fumis corporum ægrotantium ſic repleri, vt commune periculum fiat plurimorum, & peſtis naſcatur longè lateq; diffuſa. ſi nullum in aëre vitium præceſſerit. Aut enim amittunt malignam & contagioſam qualitatem, aut altius tolluntur, quàm vt nocere nobis poßint. Sanè ſi aliquot ægrorum (quos initiò paucos eſſe oportet) corpora in halitus tota ſoluerentur, non tamen magna aëris regio, ſic ab eis occupari poſſet, propter dictas nuper cauſas, vt tot ab eis inquinari veriſimile ſit, quot ſæpe diuerſis in locis ſtatim à principio ſimul corripiuntur.

At, inquies, aliter Gal. ſentit loco à te citato. Etenim peſtem aliquando non ab aëris vitio proprio, ſed à permiſtis ipſi fumis putridis, quos corpora inſepulta iacentia exſpirant, quos aquæ putridæ exhalant, &c. naſci aſſeuerat. Deinde affirmo ego, dices, incrementum capere incipientem peſtem ab aëre impuro, turbido, & ad corruptionem prædiſpoſito. Facilis eſt reſponſio ad vtrumq; Gal. non loquitur de corporibus paucis ægrotantium per domos hinc inde diſperſorum, ſed de magna cadauerum ſtrage ac multitudine vno ferè in loco iacentium et putreſcentium: à quibus neceſſe ſit magnam putridorum fumorum copiam aſcendere. Loquitur enim de prælijs, in quibus multa hominum millia contrucidantur. Nos verò agimus de ægrotantium corporibus, quæ ſepulturæ mandantur, priuſquam putreſcere magis incipiant. Quamobrē nulla eſt inter noſtrã & Gal. ſententiã hac in re cõparatio. Ad alterũ obiectũ dico, aëris temperiem vel corrumpi ab exhalationibus ægrorũ, vt ipſemet aër peſtilens fiat, vel cum aëre ſolummodò permiſceri. Si per aërem tantùm diſpergi ponantur, locum habebunt rationes à nobis recitatæ. Nunquã enim ab eis peſtis excitabitur, quæ latè diffundatur, & multos ex ijs, qui cõtagioſas domus,

veſtes,

veſtes,homines,&c.fugiant,corripiat.Si temperiem ab eis permutari aſſeratur,longè plures eſſe oportet, quàm quas pauci ægri exſpirēt. Si etiã cõcedamus euenire poſſe,omnino eſt neceſſariũ, vt aër ad putredinem maximè ſit prædiſpoſitus. Quo caſu non tam ſeminaria illa, quàm aëris mala diſpoſitio pro cauſa ponenda fuerit. Sed nec viſum, nec factum hoc fuit,ſi hiſtoriæ credimus, & rationē non aſpernemur. Sicut Gal.peſtem,quæ propter humorum vitiũ incidit, ὅταν ἀφορμήν τινα βραχεῖαν ἐκ τοῦ περιέχοντος εἰς ἀρχὴν πυρετοῦ λάβῃ τὸ ζῶον, ab aëris vitio ſeu ab inſpiratione ortã negat, ita quoq; aëris illã corruptionem,quã ex paucis exſpirationibus malis accepiſſe ponatur,hiſce exſpirationibus præcipuè non adſcripſerit. 22.Iunij. 78.

Epiſtola II X.

AD INNOMINATVM.

De putredine. Et quòd calor innatus in definitione putredinis Ariſtotelicæ,idem ſignificet,quod in Galeni definitione tota ſubſtantia.2. An eadem putredo ſit, quæ ex occultis qualitatibus & tota ſubſtantia oritur;cum illa,quæ à manifeſtis qualitatibus.3 Totã ſubſtantiam aliud eſſe à forma.

DN.Doct. N.deſiderare ais declarationem eius, quod ſtatui,totam ſubſtantiam apud Gal. & inſitum calorē apud Ariſt.in definitione putredinis 4.Meteorolog.cap. 1.idem eſſe. Quid verò hîc eſt obſcuri? An non putauit Ariſt.omnem putredinem eſſe corruptionem ſubſtantiæ non qualitatis? Certè generationi miſti oppoſuit. Eſt ergo miſti corruptio. In miſto autem, quoad miſtũ eſt,quid præter temperamentũ & materiam fingas? Nihil. Forma ſubſtantialis non eſt pars miſti,quoad miſtum eſt. Quid porrò aliud Galeno eſt tota ſubſtantia, quàm materia & eiuſdem temperatio? Nihil. Si dubitas,quot voles,teſtimonia proferam ex libris eius omnibus,maximè ex illis,quos de ſimp.pharm.facult.edidit. Ergo ſi putredo eſt corruptio miſti,quoad miſtum eſt, & eadem in definitione putredinis dicitur corruptio caloris in ſuo proprio humido inſiti,nihil erit aliud putredo quàm totius ſubſtantiæ corruptio. Miſtum enim,quoad miſtũ eſt,nihil aliud eſt,quàm tēperatio certa in ſuo ſubiecto certo. Quæſo te,an non Ariſt. per humidũ & ſiccũ materiam ſe dixit intelligere? Calidum ergo & frigidum,formæ : humidum & ſiccum materiæ rationē obtinent. At forma miſti eſt temperamentum.

Quippe de affectibus miſtorum in citato nuper libro diſputat Ariſt. quatenus miſta ſunt, non quatenus forma ſubſtantiali prædita ſunt. Vides ne benè nos ſtatuiſſe? Rectè igitur conſequi dicis, Gal. & Ariſtotelem de eadem putredinis ſpecie agere. Hoc enim nos & diximus & probauimus: & verum eſſe nouimus. At obſtare putas, quæ in 8. de placit. Hipp. & Plat. item 5. de ſimpl. facult. de calore innato diſputat Galenus. Ego verò nunquam dixi, calorem innatum apud Galenum & totam ſubſtantiam apud eundem, eadem eſſe. Hoc aſſeuero, calidum innatum in proprio ſuo humido (Nota, quòd addo, in ſuo proprio humido, id eſt, in ſua propria materia. Aliud eſt enim calor, & aliud calor in ſuo humido) ſicut ab Ariſt. in putredinis definitione ponitur, idem eſſe cum eo, quod totam ſubſtantiam Galenus vocat. Non neſcio aliud eſſe apud Galenum totam ſubſtantiam, & aliud eſſe innatum calorem apud eundem. Ego dixi calorem innatum in definitione putredinis Ariſtotelicæ idem ſignificare, quod in Galeni definitione ſignificat tota ſubſtantia. Repeto hoc, vt vbi error ſit videas. Diuerſum à ſententia noſtra nullus homo oſtendere vnquam poterit.

De eadem putredine vtrumq; agere, tametſi ex prædictis ita euidens eſt, vt verbis præterea opus non ſit, reſpondebo tamen ad obiecta. Nego medium & extrema differre in hac & illa. Etſi enim Galeni definitio videtur de putredine loqui, quoad fit, Ariſtotelis autem quoad facta eſt, tamen vtriuſq; verba vtrunq; ſignificare poſſunt. Si neges, quæro ex te, quid definierit Galenus? Putredinem ais. At quæ putredo ſimpliciter fit, putredo non eſt: niſi eadem eſſe putes quod fit, &, quod factum eſt. (Quo poſito, non diſcordant Ariſt. & Galeni definitiones, licet hæc de fiente, altera de facta ſolùm accipienda contendatur.) Putredinem ergo finiuit, quæ non eſt: & quod non eſt, putredinem nominauit. Si abſurdum hoc eſt, fateare, eum non intellexiſſe alterationem ſimplicem, ſed quæ factæ iam putredinis aliquid habeat. Ariſtotelis putredo, ais, verè proprieq; eſt μεταβολὴ, at Galenica eſt κίνησις ἐπὶ μεταβολὴν. Nego tibi Galenum ſic vſpiam locutum. Ipſe enim dicit μεταβολὴν eſſe ἐπὶ φθοράν. Intelligit autem putredinem, quæ ſubiectum corrumpere cœpit, nondum plenè corrupit, hoc eſt, quæ non ita multas ſubiecti particulas perdidit, quin reliquæ ab interitu præſeruari adhuc poſſint. vt in com. 2. Aph. 17. vini exemplo decla-

plo declarauit. Extingui calorem innatum in ſuo humido, quid aliud eſt, quàm corrumpi? Certè rerum quarumlibet corruptionem, innati caloris earum extinctione, paſſim definiuit Ariſtoteles. Nō ſunt, quæ corrumpuntur, putrida omnia, fateor: at quæcunq; per interitum caloris in ſuo humido ab alieno calore corrumpuntur, putrida ſunt omnia. Quæ σβέσει intereunt, aut cremantur, non putreſcunt. Sed omnia hæc ita ſunt in Theſibus expoſita, vt neceſſarium ſit Dn. N. vel negotijs impeditū non attentè legiſſe, vel oblitum eſſe, vel de induſtria quæſtiones has mouere, de quibus ipſe nihil dubitet. Nego hoc quoq;, omnia putrida fœtere. Humidis hoc ineſt tantùm: nec omnibus tamen in quocunq; putredinis gradu ineſt. Cineres igitur, quia ſicci ſunt, non fœtent putrefacti. Et cineres ſeu puluis & terra, in quam tandem putrida ſoluuntur, non fœtet, quia putrida non eſt. Non enim in quæ putria reſoluuntur, putria ſunt omnia: niſi elementa ſimplicia, in quæ tandem abeunt, putria eſſe velis. Humor excrementitius, corporis laxitas, perſpiratio impedita, non ſunt cauſæ continentes & καθόλου putredinis, ſed propter has faciliùs & protinus res putreſcunt. Quomodo intelligendus ſit Ariſt. cùm calorem aëris & aquæ, ambientis ſcilicet, efficientem putredinis cauſam eſſe dixit 23.24.25. theſes declarant: item 38.39. & 40. hic nihil addam amplius. Cùm Gal. ſicca putreſcere negat, eo modo nō putreſcere intelligit, quo corpora noſtra putreſcunt, nec tam facilè. Idem Ariſt. concedet. Non enim facilè in his humidū vincit calorē: nec facilè alienus calor inſitū in humido tenaci & excrementis carente ſtrangulat. Difficulter enim tale humidum in vaporē ſoluitur et diſſipatur. Omnia igitur cōgruunt: nec eſt inter Ariſt. & Gal. definitionem aliquod diſcrimen, præter id, quod diximus.

Quæris poſt hæc, an eadē ſit putredo, quæ ex occultis qualitatibus atq; adeò à tota ſubſtantia oritur, cùm illa, quæ è manifeſtis eſt qualitatibus? Reſpondeo eandē eſſe, ſed accidere illi, vt ſit hæc deterior (eadem eſt Petri, Pauli natura, quoad ſunt homines, etſi accidentia longè diſſimilima in vtroq; reperiantur.) Vtrobiq; inſitus calor ab alieno perditur, licet alter ſit in materia peculiari modo corrupta. Sicut eadē putredo inducitur à calore cibi, potus, aëris, aquæ pharmacorū, terræ, corporū noſtrorū, &c. ita & ibi res habet. Quum enim multæ cauſæ idē agendo aliquid faciunt, nō differunt effecta ſpecie. Si autem

F

aliud agendo effecta producerent,hoc eſt,ſi propinquiſſima cauſa alia eſſet atq; alia,differrent eodē modo effecta.Hîc calefaciendo agunt omnia: Exemplo declarabo. Eſto res venenata in vaſe incluſa adeò firmo & ſolido, vt è ſubſtantia eius vapor aut ſpiritus nullus exire poſſit,ac calefaciat rem aliquam,vt ea putreſcat. Hæc putredo non erit venenata magis,quàm ſi ab ignis calore excitata fuiſſet,quia ſola caliditas abſq; ſubſtantia ad rem putrefactam peruenit.Accidit igitur putredini,vt à calore in venenata re inhærente oriatur. Non enim hæc res,quoad venenata eſt,putredinē peperit,ſed quatenus calida eſt.Si enim nō ſit calidū venenū per ſe aut per accidens,nunquā per ſe putrefaciet.Caret ergo reſponſio omni dubitatione. Totā quoq; ſubſtantiā aliud eſſe à forma apud Gal. in theſibus de morbis totius ſubſtantiæ firmiſſimè probauimus.Summa eſt,putredo nō fit,niſi à calore peregrino calorē ingenitū corrumpente,quoad calor eſt,nō quoad calor talis eſt,venenatus ſcilicet,aut putridus.Si oporteret effecta ſpecie differre,quorū cauſæ remotiores vel accidentales differunt,tot ponere nos tum putredinis tum aliarū affectionū ſpecies oporteret, quot ſunt cauſæ,à quibus efficiuntur. Hac poſitione quid alienius ab omni eruditione & philoſophia fingatur? Quæris præterea vnde forma iſta ſit,propter quā νοσερὰ ἀπόκρισις oritur? Nihil cū Ariſt. putredine cōmune habere, à qua res externo circumfuſi aëris calore innatū depaſcente infimum & cinerē diſſoluitur. Demiror talia nobis obijci, cùm putredinē violentā à naturali, quæ finis eſt interitus naturalis, & miſti in elementa diſſolutio, tam diligenter ſecreuerimus theſi 27. 28.29. ac gradus modosq; putredinis plures eſſe monuerimus. An venenata & maligna putredo,nō eſt putredo? Si putredo eſt,quomodo commune nihil habet cū putredine? Malignitas accidens eſt putredinis,à rei putrefactæ proprietate & temperatione,modo itē ſeu gradu corruptionis profecta : vt nuper expoſuimus. In ſphacelo & gangræna (Quid viperæ morſus faciat,vtrū ſcilicet putrefaciendo occidat, fateor me neſcire:qui nullū ex hac cauſa mori viderim) idē putredinis genus qui negat,quid dicat non ſatis obſeruat. An enim aliud reperitur putredinis genus eo,quòd à Gal.deſcriptū eſt? (Loquor de morbida putredine) Quo ergo loco nobis illud vel ab hoc,vel ab Ariſt.traditum eſt? aut vbi definitū reperitur? Si diceres modū aut gradū eſſe aliū,facilè daremus:cùm genus ſeu ſpeciē aliā facis, concedere nō poſ-

ſumus. An enim aliqua corruptio extat, quæ putredo nominetur, in qua non corrumpitur calor innatus in humore ſuo ab aduentitio calore? Nō eſt. Nulla igitur alia eſt putredinis ſpecies imaginabilis: tametſi modi & gradus eiuſdē illius plurimi cernantur. Vtrū Auerroës dixerit, Gal. nō intellexiſſe definitionē Ariſt. neſcio. Velim lo[c]ū nobis indicari. Vel nō dixit hoc eo modo, vel non abſolute dixit, vel eſt falſus. Annon enim demonſtrauimus nos, vtrumq; idē dixiſſe & intellexiſſe? Annon res docet, aliter neutrū dicere aut ſentire potuiſſe? Poſita definitione vtralibet (in idē enim ambæ recidūt) neceſſariū eſt, vtrumq; idē ſentire. Pauca hæc hodie tibi ex tempore putaui reſpondenda ad quæſtiones tuas heri mihi propoſitas. Dixiſſem plura, ſi plus habuiſſem ocij: quamuis nimis multa hîc etiam dixiſſe videar. Die 11. Iul. an. 77.

Epiſtola IX.

1 Et alimenta & medicamenta occulta virtute vni parti conferentia aut nocentia, etiam alijs omnibus partibus vel nocere, vel prodeſſe pro diuerſitate ſingularum, magis minû[s]ue. 2. Non tolli methodū cōpon[e]ndi pharmaca purgantia, ſi omnia irritand[o] non certum duntaxat humorem trahendo, vacuare ſtatuantur.

[I]n lib. de occul. phar. poteſtatib. negaui aliquod extare pharmacū alicui parti ſoli vel vtile vel noxiū: ſed quæ vel commodū vel incōmodū certæ parti virtute latente adferunt, eadē alijs quoq; partib[us] pdeſſe vel obeſſe affirmaui & probaui cùm alibi, tùm ca. 38, tiq; ad 40. Ex hoc putas tu, vir ampliſſ. cōſequi, vt nullū propemodū relinquatur diſcrimen tum alimentorū tum pharmacorū. Deinde vera nō fore: aut ſi ſint, nō tamen neceſſaria viſum iri, quæ veteres de alimentorū facultatibus aut localibus medicamentis tradiderūt. Etenim quæ ventriculo tum recreando, tum roborādo idonea ſunt, etiā cor, cerebrū, iecur, partes alias, eadē iuuabūt. Iñ eodē lib. affirmaui, purgātia nō trahere humorē ad ſe magis, quàm aliū quemlibet abdita poteſtate, quali Magnes ferrū ad ſe pertrahit, ſed vnumquodq;, quantū in ipſo eſt, quemuis expurgare. Nō enim trahendo vel certū vel obuiū, ſed virtutē expultricē irritando vacuare. Hoc ſi verū ſtatuatur, aut, ſi nō omnia artis medicæ Theoremata euertantur, ratio ſaltē cōponendorū pharmacorū cōuellatur. Si enim à quoli[b]et pharmaco humor quilibet iſto modo educitur, vno aliquo quarum [illegible] rbos omnes purgatione requiri[...] depellemus.

Ad hæc ita reſpondeo. Ad primum quod attinet, fateor me conſecutionem non videre. Vt enim alimenta vnius partis reliquas etiam alere poſſint, non erit ob id nullum alimentorum diſcrimen. Differunt enim quod ad qualitates attinet notas, primas & ſecundas: etiamſi in occultis nihil differentiæ ineſſe ponatur: quod falſum eſſe, per ſe patet. Etſi enim multa et varia ſint, atq; ſubſtantiæ proprietas, quæ in ſingulis ineſt, alimenta vt ſint efficiat, non tamen æquè omnia nutriunt: ſed alia alijs familiariora ſunt, magis nutriunt, carnem ſolidiorem gignunt, facilius coquuntur, &c. Scribit Gal. iecori totius ſubſtantiæ proprietate familiaria alimenta exiſtere vuam paſſam, & cochleas. An eadem eſt in vtriſq; natura, vt in nullo diſcrepent? Sed nec illud veriſimile (imò verum) non eſt, multa alia inueniri, quibus aptè iecur nutriri poſſit. Quæ omnia, licet alias quoq; partes alere poſſint, inter ſe plurimū diſtāt. Nec ſemper cōducere cochlearum eſum, quoties vua paſſa vtilis eſt, nullus negabit, puto. Arte igitur ac Methodo in his quoq; opus erit, vt, quo quodq; tempore ſel[illegible]re ſit, perſpiciamus. Verùm eſto, nulla ſit in hac parte diſcrepantia, nulli reperiantur familiaritatis gradus, nulla ſit etiam naturarum varietas, vt alijs alia conueniant magis aut minus, an ob eam cauſam ſine diſcrimine cuiuis quoduis conducibile putabimus? Non arbitror. Etenim quia præter hanc ſubſtantiæ proprietatem, qua alimenta ſunt, etiam primis & ſecundis ac tertijs qualitatibus prædita nouimus: quarum ratione infinitum oritur inter ea diſcrimen. Sunt enim aliqua frigida, calida, humida, ſicca: et alia parcè alia ſtrenuè iuxta has qualitates alterant corpus. Plurimum igitur refert, quale cuiq; tempore quouis exhibeatur. Deinde poſſunt alia lubricare, alia exaſperare, alia abſtergere, rarefacere, incidere, laxare, alia contrarijs viribus ornata ſunt. Quomodo igitur non fuerit neceſſaria veterum doctrina multiplices iſtas vires methodo diſtinguente & explicante? Nec eſt hæc artis pars adeo vel breuis aut leuis, ac multi falso credunt: ſed omninò maximè tum neceſſaria eſt, tum difficilis & laborioſa. Obijcies fortè pugnantia nos dicere, dum alimenta eſſe dicimus, & frigefacere vel calefacere &c. eadem Etenim alimenta non ſunt, quæ ſubſtantiæ & temperationi corporis ſimilia non ſunt. Reſpondeo, nullum in hoc mundo inueniri purum alimentum, ſed omnia ex

nia ex diuerſis partibus eſſe compoſita: vt omnia pariter ſint medica-
menta. Conſtat igitur non eſſe nullum vel alimentorum vel pharma-
corum diſcrimen, etiamſi quod hepati confert, alijs quoq; partibus com
modet: ſiue occulta ſiue manifeſta vi conducat. Imò verò, ſi alimenta
aut pharmaca latente virtute partẽ vnam certam offendere (iuuan-
tium ratio eſt eadẽ) ſolam poſſent, minùs hîc artis eſſet. Etenim nulla
hæc talia arte inueſtigari, ſed ſola experientia & fortuito caſu inueni
ri poſſunt. Quare nullam hæc methodũ poſtulant, niſi vt rectè eis vta
re. Si autem hoc, quàm illud alimentum aut pharmacũ plus dicamus
huic, quàm illi membro notis qualitatibus nocere, poterimus & ratio-
cinando inuenire, & inuentis rectè vti. Sed vt concludam, nõ parado-
xo, ſed quod videri alicui paradoxũ poßit, ſic ſtatuere oportet. Natu-
ra ſeu Deus linguam & ventriculũ poſuit prægustatores toti corpori,
vt, quod hæ partes iudicent gratũ, vel ingratum ſibi, hoc omnibus cor
poris partibus (ſeruata proportione. Non enim dicimus, quælibet ali
menta æquè omnibus partibus conuenire: de qua re in ſupra citato li-
bro verboſè ſatis egi) gratũ ſit vel ingratum. Quocirca nihil erit he-
pati gratum, quin prius ventriculo tale ſit viſum. At quod hic iudicat
ſibi conueniens eſſe, nulli parti eſt inimicũ. Arte igitur eſt opus, vt ſa-
pore, odore, & deniq; ratiocinatione, tùm alimenta tùm medicamenta
inter ſe diſtinguamus, quacunq; facultate vẽtriculo placeãt aut diſpli
ceant. Localia porrò Medicamenta vocant Medici, quæ particularì-
bus locis imponũtur, quacunq; ratione profutura ſciant. Et ſumũtur in
dicationes à partis affectæ vſu, ſitu, ſenſus acutie aut obſcuritate, for-
matione, talibusq; alijs, non à virtute illa abdita, de qua in lib. noſtro
egimus. Ad alteram obiectionẽ non minus aperta eſt reſponſio. Pri-
mum enim nõ ſolùm purgantiũ compoſitiones præſcribunt Medici, ſed
aliorũ quorumlibet. Quamobrẽ ſi maximè affirmatio noſtra purgan-
tium componendorũ Methodũ tolleret, non tamen aliorũ compoſitio-
nes irritas faceret. Deinde ne in purgantibus quidẽ aliquid nouat, aut
certè non multũ nouat. Etſi enim purgantiũ omnium vna ſit commu-
nisq; purgandi ratio, virtutis ſcilicet expultricis ſtimulatio, nõ tamen
eadem vi, eodemq; id modo omnia faciunt. Etenim aliqua leuiter irri-
tant, alia grauiter incitant: et ſunt in ſingulis gradus valde multi: præ
terea ex purgantibus aliqua, nihil aliud, quàm purgãt, quæ rara ſunt:

alia etiam alias facultates poſſident, lubricandi, mordendi, adſtringendi, roborandi, denſandi, laxandi, obſcurè aut manifeſtè calefaciendi, vomitum ciendi, &c. Mouent quoq; eundem hominẽ diſſimiliter. Quædam enim certos nullo modo turbant, nihilq́; agunt, cùm alios interim ſtrenuè exagitent. Sic quæ pleroſq́; vix mouent, ac ob id benedicta vocantur, certos ita homines exercent, ac ſi maximè noxiũ & validum aſſumpſiſſent. Quòd porrò in ipſis purgantibus ingens inueniatur diſcrimen, atq; aliud alio plerunq́; ſit inimicius, validiusq́; purget, ac ſæuiora ſymptomata inuehat, hoc quoq; extra controuerſiã poſitum eſt. Iam & purgandorum multiplex eſt diſcrimen, dum alij catapotia faciliùs deglutiunt, potiones abominantur: alij contra ſolas potiones admittunt, alij neutro modo ſumere poſſunt, ſed vel in puluerẽ redacta, vel in electuarij forma abſcõdita, vel cum cibis miſta ſolummodo deuorare norint. Adde quòd alij non niſi dulcibus, alij contra amaris, pleriq́; acidis delectãtur, alios ſapores faſtidiunt. Sæpè vix reperimus qua ratione ſaporem aut odorem eorum obtundamus aliarum rerum permiſtione. At hæc ita miſceri oportet, vt medicamenti vis tus nõ exſoluatur, ſed tanta permaneat, quanta in præſens æger indiget. Humores quoq; purgandi aliquando ſunt tenues ac mobiles, ſæpe craſsi & terrei, ſæpius lenti, vt ob id tenaciter admodum partibus adhæreant. Primi, exceptis aquoſis, facilè à quouis pharmaco vacuantur, reliqui non depellũtur à Natura, niſi validè à pharmaco exagitetur. Ex prædictis perſpicere non eſt difficile, licet omnia irritando purgent, nõ eodem modo tamen, nec eoſdem omnia humores vacuare in eodem homine, vt diuerſitatem naturarum ſilentio prætereã. Tacebo hoc etiam, quod aliqua notis qualitatibus excitant Naturam, alia verò ignota, & nomine alio carente, quàm quòd inimica nobis vocatur. Tam multæ igitur cum ſint purgantium pharmacorũ differentiæ, ſiue ad facultates, ſiue ad gradus eorum reſpiciamus, nec pauciores ſint humorum, & corporum purgandorum varietates et diſsimilitudines, & ſingulis tamen ita oporteat ea offerri, vt proſint, non lædant, vt ſumi ac retineri valeant, vt deniq; ſic moueant, quomodo præſens corporis ſtatus moueri poſtulat, quis negare auſit, quin magna & difficilis nihilominus ſit futura componendi ratio? Laborat aliquis hydrope vtricularia, exhibenda ſunt quæ aquam educant. At educi hæc non poteſt, niſi

a pharmaco

à pharmaco violento (Aquoſi enim humores, cùm extra vaſa in loco aliquo collecti ſunt, non eijciuntur à virtute expultrice, niſi vehementer ſtimulata) quod æger non abominetur. Si Rhabarbarum ſumere queat, & ab eo ſtrenuè exerceri ſolitus ſit, hoc ſolo ſæpiùs repetito, curabitur. Etenim nõ ego ſolus, ſed & alij ſolo Rhabarbaro hydropicos percurauimus: vt ipſa experientia confutet Galenum dicentem, cholagogum hydropicorum aquam non vacuare. Si iam æger aliud pharmacum ſumere nequeat, à Rhabarbaro autem non valde irritetur, bilem tantùm, aquæ in ventre extra inteſtina & venas primas comprehenſæ nihil purgabit. Quid hîc faciet Medicus? Aliud aliquod violenter ſtimulans, offeret cũ Rhabarbaro miſtũ (aut ſine ipſo) ea quantitate, vt purgare aquam poſſit. Saporem verò & odorem eius ita gratarum rerũ admiſtione obtundet, vt nec æger percipiat, nec vis pharmaci tamẽ diſſoluatur & eneruetur. An hîc arte, & iudicio nullo eſt opus? Exempli cauſa vnum hoc propoſui: cum talia ſint infinita. Vtrunq́, niſi fallor, præſtiti, quod probandũ recepi. Prius erat, non ob id veterum ſcripta inutilia & inania fore, quæ de alimentorum viribus & localibus medicamentis nobis reliquerunt, ſi maximè verum ſit, occulta virtute vni parti conferentia vel nocentia, etiam alijs omnibus conferre aut nocere poſſe, pro diuerſitate ſingularum magis minusq́. Alterum fuit, non tolli methodum componendi pharmaca purgantia, ſi omnia irritando, non certum duntaxat humorem trahendo, vacuare ſtatuantur. Quod ſi alicui videor non ſatis firmè probaſſe, purgantia ita ſolùm, vt dixi, purgare, non grauatè pluribus idem expoſuero. Scio me veritati & bonis rationibus locum daturis, ſatisfacere poſſe. Qui in præconcepta opinione perſiſtere decreuerunt, rationibus locum nullum reliquerunt. Heidelbergæ die 15. Sept. 77.

Epiſtola X.

1 Vtrum ex febribus putridis, aliquæ contagioſæ. 2. Vtrũ vires propriæ ac facultates rerum, ſic imprimi alienis ſubiectis poſsint, vt re, cuius ſunt proprietates, amota, tamen eis inhæreant. Pro affirmatione huius, ad 4. obiectiones reſpondit. Falſo attribui verbis virtutem profligandi & infligendi morbos. & De ſuperſtitioſa gladiorũ illinitione, quibus vulnera inflicta ſanari creditur.

QVÆ ex literis Medici clariſsimi D.N. Medicinæ in ſchola N, profeſſoris exſcripta, ad me heri miſiſti, vir ornatiſſime & compater honorandiſsime, hodie mane ſumma cum voluptate perlegi. Heri quia ſerius Schonauia, quò animi gratia cum amicis exſpaciatus fueram, domum reuerti, non inſpexi. Ago tibi gratias maximas, quod viri eruditiſsimi iudicium explorare, mihiq́ communicare placuit. Ipſi D.N. non parũ obligatum me eſſe ſentio, quòd de rebus vtilibus nos commonefecerit: ac doctrinæ humanitatisq́ ſuæ guſtum nobis præbuit. Intelligo autẽ duo eum in noſtris theſibus de contagio deſiderare: quorum prius eſt, quòd ex febribus putridis aliquas contagioſas eſſe negauimus: alterum, quòd vires proprias & ſpiritales rerum nunquam ſic imprimi alienis ſubiectis aſſeruimus, vt re, cuius ſunt proprietates, amota, in eis firmiter inhærere poſſint.

De priore capite cum nemine contenderem, qui putredinem vnam alia magis minusue contagioſam, conceſſerit. Quod cùm D.N. ſtatuere videam, non valde mihi in eo laborandum eſſe puto, vt conſuetas febres putridas contagionis expertes eſſe monſtrem. Si enim contagioſæ ſint, adeò certè leuiter ſunt tales, vt cum alijs quibuſdã comparatæ, merito ab authoribus ferè cunctis, tales non eſſe iudicentur. Ego certè non requiro in morbo contagioſo, vt in quoſuis inuadat: ſed ſi aliquando certos aliquos contaminet, contagioſum eſſe aio. Illud interim in medendo me non animaduertiſſe fateor, lactentes infantulos, ſi mater aut nutrix febricitet, eaſdem recipere febres, quibus lactantes laborant: quæcunq́, inquam, communibus febribus affectæ ſunt. Alijs morbis eos nonnunquam corripi obſeruaui, propter corrupti lactis ſuctum: eiſdem inquinari non notaui. Etſi verò alia, & quidem euidens cauſa reddi poteſt huius accidentis, tamen contradicere non volo, priuſquam diligentiore animaduerſione veritatem huius rei perſpexero. Sed nec alterum vſuuenire vidi: pueros ſcilicet cum febricitantibus cubantes eiſdem febribus infici: niſi à putredine maligna ortum habuiſſent. Gratiſſimum proinde accidit, quod de his ſum monitus, quæ in mentem mihi non admodum venerunt. In altero capite maior eſt difficultas & obſcuritas. Probat ſuam ſententiam D.N. quatuor argumentis: quorum vnum hoc eſt. Qui fixè ſolem intuentur, ſplendorem eius in oculis retinent, etiam poſtquam aſpicere eum deſierunt.

deſierunt. Alterum tale eſt: Colorum ſpecies re viſibili ablata, interdum in oculis qualitatem derelinquunt, quæ alba vel flaua, &c. eſſe videntur, quæcunq; aſpiciuntur. Tertium ab imprecationibus & coniurationibus verborum prolatione factis ducitur: ſicut quartum ab vnguentis deſumitur, quibus gladij vulnerum effectores illinuntur & obligantur.

Ad primũ reſponſio eſt in medio. Nã ſplendor Solis non eſt abſolutè ſpiritalis qualitas, vt de ea in theſibus nos locuti ſumus, ſed medium quodãmodo locũ habet inter qualitates corporeas & ſpiritales. Quippe & mediũ & res alias occurrẽtes per ſe ſenſibiliter immutat. Nos autem ſpiritales vires aut facultates, aut qualitates in 16. theſi appellauimus, quæ neq; medium neq; alia corpora quælibet per ſe alterare ſenſibiliter ſolent, hoc eſt, quæ abſq; medij alteratione in certis duntaxat rebus efficaces ſunt, non quaſuis obuias ſenſibiliter afficiunt. Adde, quòd ſic ferè lux ſolis oculis incommodat, quomodo tonitru auditui nocet. Vt enim tonitru auditum deſtruit, non quoad ſonus eſt, ſed quoad cum aëre eſt violenter moto, & in aurem delato, ita lux Solis viſionem impedit, non quoad lux, & veluti color quidam eſt, ſed quoad aërem lucidum confertim in oculos impellit: eoq; modo oculorum conſtitutionem vitiat, ac ſpiritus viſioni ſeruientes diſperdit. Qualitas deniq; à Solis luce in oculis relicta, non ſic eſt permanens, quomodo nos de hac re diſputauimus: & morbos per contagium natos ſtabiles perdurare cernimus: ſed breui poſt lucidi corporis ablationem momento euaneſcit. Si non remanet in aëre Solis lumen, eo diſcedente aut occidente, qui poterit credi in oculis firmiter inhærere? Non lumen Solis in oculo relictum eſt, ſed aliud quiddam tale in ſpiritibus oculorum lucidis, aut eorundem tunicis apparet. Summa eſt: Qualitatem ſpiritalem vocauimus in 16. Theſi, propriam cuiuſq; rei qualitatem ſeu facultatem: quæ modo nobis incognito ſic agit, vt effectus eius etiam in diſſitis rebus animaduertatur, nulla interim ſenſibili mutatione in medio facta. Quippe reales ſeu corporeæ poteſtates ſic agunt in res remotas, vt earum actio medium quoq; mutet. Harum effectiones remanere ipſis abeuntibus cernimus, illis recedentibus, nihil relinqui videmus. Hæ temperamenta rerum immutant, illæ tale nihil efficiunt.

Hinc ad alterum quid reſpondendum ſit perſpicuè patet. Ingenuè dico, me ex inſpectione niuium & rerum atrarum, &c. oculorum ſenſiſſe defatigationē ac dolorē: viſionis deniq; impeditionem: ſpeciem coloris viſi in oculis derelictam nunquam percepi. Relinquitur ea in ſenſu communi: in oculis non permanet, niſi ſi humor aliquis pupillam humoréſue eorum tingat. Quod ſi maximè per breue ſpatium veſtigium aliquod receptæ ſpeciei reſtaret, tamdiu tamen non remaneret, vt ad oppugnandum nos produci valeat. At non remanet rei viſæ, aut coloris ſpecies; ſed per accidens nonnunquam, dum ſpecies recipitur, oculi turbantur. Equidem colorum ſpecies, in oculum venientes, nil aliud ſunt, quàm imagines & ſimulachra verorum colorum. Quo fit, vt aliud agere non poßint, quàm figurare ſeu repreſentare ea, quorum ſunt imagines. Nulla enim res vltra ſuam agit ſpeciem. Quomodo igitur ſe ipſas propagauerint aut firmauerint in oculis aut ſpeculis, quæ ſine obiectis ſubſiſtere nullo momento videmus? Si plura hîc requiris, quæ Ariſt. 2. de Anima de hoc negotio diſputauit, inſpicito.

Ad tertium & quartū non petetis à me, puto, vel tu, vel D. N. vt prolixius reſpondeam: ſi modò legiſtis. quæ de virtute atq; efficientia verborum in 1. parte Antiparacelſ. diſputat. de imaginatione, faſcino atq; alijs: itemq; hac ipſa de quæſtione à pagina 169. vſq; ad 192. diſputauimus. In ea diſputatione inter alia hæc etiam continentur. Si qua eſt verborum virtus & poteſtas, eam vel ex ſeipſis habent, vel aliunde acquirūt. Si in ſe habere putentur, vel propter materiam eis inerit, vel propter formam. Quæcunq; enim rebus naturalibus natura inſunt, propter alterum horum eis inſunt. Materia porrò verborum eſt ſonus, aut ſi mauis, aër ſeu fuligo, quæ in corde aceruatur, & in muſculorum Thoracis per aſperam arteriam extruditur, ſonumq; impulſu ſuo in larynge ſuſcitat. Forma autem eſt artificialis ſoni articulatio ſeu conformatio: quam animal beneficio laryngis, linguæ, palati, labiorum, anteriorum dentium pro arbitrio ac voluntate ſua fingit, format ac perficit. In materia facultatem iſtam mirabilem nemo quærit, arbitror, ſiue quis ſonum pro materia accipere velit, ſiue fuliginem eius cauſam, ſiue vtrumq; iunctim materiam nominet. Hæc enim cùm in omnibus verbis eadem ſint, (imò cùm in brutis etiam ſint) nulla erit in verbis alia, quàm maioris et minoris differen

ferentia. (Egerit enim alia copioſiore, alia parciore fuligine, conatuque.) Quo poſito, perit omne figmentum de conceptis verbis in coniurationibus & imprecationibus. Idem flens & ridens, malè ac benè precans, &c. nanciſceretur: dum eadem eſt materia horum: idemque ſonus, quoad pro materia ſumitur. In forma ſi quæras diuinas illas vires ſanandi ac inducendi morbos, minus inuenies. Si enim articulatio aut figuratio ſecum adferret hanc poteſtatem materiæ., vbicunque & quandocunque ea materiæ ſeu exhalationi illi accidere, vim eandem verba illa ſemper & vbique obtinerent: quod falſum eſſe certò conſtat: & quotidiana experientia vanum demonſtrat. Deinde neceſſum foret, vt ab inſtrumentis, à quibus verba finguntur, tantæ vires infunderentur materiæ. Quis autem non amens & delirus (de doctis loquor) putet illiuſmodi potentiam à larynge, lingua, labijs, halitui ſeu fuligini, quæ vocis materia ponitur, imprimi & communicari? Si ſic haberet res, non referret à quo & quando pronunciantur, ſed à quocunq; & quouis tempore ac loco prolata idem ſemper efficerent. At conſtat nec quolibet loco & tempore, nec à quolibet admurmurata valere. Quiſquis enim citra ſuperſtitionem profert, fruſtra & ſine fructu aut ſucceſſu profert. Cæterum nobis demonſtratum alibi ſæpè fuit, formas ab arte profectas non eſſe principia, & per ſe cauſas naturalium alterationum & proprietatum. Quippe eſſentia earum conſiſtit in figura, ſitu, &c. quæ alterationem naturalem rebus per ſe nullam adferunt. Sed nec capaces reddunt proprietatum naturalium: quæ à materia & forma duntaxat compoſitis tribuuntur. Sanè artificiales formæ, quoad ſunt tales, inſtrumenta quædam efficiuntur operum artificialium: non autem admirabilium virtutum, quas rebus natura inſerit, vel cauſæ, vel ſubiecta fiunt. Quoniam materiam non mutant, ſed figuram ſolùm eius extremitati inducunt. Quamobrem neceſſum eſt, vt, cùm verba neq; propter materiam ſuam, neq; propter formam tam ſtupendas vires ſortita ſint, à re quapiam alia acceperint: ſiquidem poſſidere tales putentur. Non eſt porrò pro cauſa afferenda voluntas: Etenim intelligere & velle ſunt actiones intus manentes: in aërem vel ſonum minimè tranſeunt. Quocirca imaginabile non eſt, qua ratione verba vires à voluntate tales,

ſi maximè in eâ ineſſent, recipere poſſent. Adde, quòd vel ex hoc falſitas huius rei perſpicitur, quòd huiuſmodi virtus in materia nulla abſque antecedente alteratione inſculpi poteſt. Iam verò confeſſum eſt doctis omnibus, voluntatem ſiue animam, licet ſpiritus & membra mouere primò valeat, alterationis tamen principiũ propinquiſſimum non eſſe. Quippe omne alterans per qualitatẽ, quam in ſe habet, alterat. Caret aũt anima talibus qualitatibus. Hinc eſt, quòd verbis ingenerare per ſe primò vim illiuſmodi non poteſt. Quomodo verò ſana bunt verba, ſi alterandi poteſtate deſtituuntur? At in ſe non habere, aut ab anima non accepiſſe ea tale quippiam, illud etiam probat, quòd plurimi ſine fructu ea pronunciant: qui ſummè effectum conſequi concupiſcunt. Carent enim re aliqua, propter quam à certis murmurata efficacitatem habuiſſe nonnunquam viſa ſint. Hæc autem res, vt ex antedictis indiſſolubiliter oſtenditur, verbis accedit aliunde: ab eorum natura vel anima non emanat.

Excipiat hîc fortè aliquis, nihil vetare, quin aliquid in compoſito inſit, quod in neutra componentium naturarum ineſt: ac proinde verba accipere ab articulatione ſeu pronunciatione (dum enim pronunciantur, articulantur ſolùm) quod tamẽ ipſa in ſe, vt in ſubiecto, non habeat. Animal namq; nutriri ac ſentire poteſt propter animam, tametſi neq; corpus neq; anima per ſe conſiderata aliquid horum in ſe, tanquam in ſubiecto, habeant. Reſpondeo haud eſſe ſimilia, quæ ſimilia ponuntur. Ex anima & corpore fit vnum τὸ δέ τι ſubſtantiale: at ex ſono & eius figuratione, quæ artificiale quiddam eſt, non item. Deinde etſi anima non ſit ſubiectum propriorum accidentium prædictorum, videlicet, nutricationis, ſenſionis, & ſimilium, eſt tamen eorum principium & cauſa: quod eius definitio probat. At de articulatione ſonorũ, ne quidẽ fingere tale quippiam audeas. Addere his poſſis quòd anima talium actuum ſecundorum cauſa non eſt alibi, quàm in compoſito. Nam ſeparata cùm eſt à corpore, eodem illo momento perière ſimul omnes ἐνέργειαι tales: vti omnes ſentiunt ac intelligunt homines. Quare ſi anima tale quid largiri poneretur aëri ſeu exhalationi, quam verborum materiam ferimus (ſonus & articulatio cùm ſint accidentia, non poſſunt ſubiecta effici talium proprietatum) ſtatim tamen ac extra os euolaſſent, euaneſcerent.

Non

Non enim in ea deinceps anima quicquam infundere poſſit. Minus adhuc imaginabile eſt, quomodo verborum materia retineret illas vires ab articulatione impertitas, ipſa non amplius exiſtente. Tunc enim eſt ſolùm, quandiu fit. Quare in momento fermè ſanabunt. At ſanatio naturalis fit in tempore partibus alteratis. Ergo miraculoſa fuerit talis ſanatio, non naturalis. Quo poſito, ſatis patet à maiore virtute, quàm quæ in verbis inhærere queat, talia proficiſci. Quare non à verbis, ſed ab alia poteſtate miracula iſta efficiuntur. Non inficior verbis pronunciatis conſecutum fuiſſe aliquando effectum. At à verborum vel propria vel acquiſititia vi profectum id fuiſſe, conſtanter nego. Etenim capacia talium poteſtatum non ſunt verba, ſiue ad materiam eorum, ſiue ad formam reſpicias. Quî enim ſonus articulatus, hoc eſt accidens: quod non eſt, niſi dum fit, tantarũ virium ſubiectum efficiatur? Ingenuè quod ſentio, dicam, magnæ inſcitiæ in philoſophia argumentum eſt, putare, verba ſubijci, tantis poteſtatibus poſſe. Quod ſi ergo eis prolatis conſequatur effectus, vel accidit, vt tunc pronuntiarentur, cùm ille fieret: vel à nobiliore agente effectus fuit. Equidem quæ in re aliqua ineſt potentia quippiam agendi, ea frequenter, imò ſemper id efficit, cùm non impeditur: verba autem rariſſimè, & à certis ſolùm admurmurata viſa ſunt aliquid interdum effeciſſe. Quid igitur? ocioſa ne ſunt verba, virtuteq; nulla prædita? Imò maxima & admirabiliſſima. Quippe animos ea intelligentium in omnes formas tranſmutant: ac fermè miraculosè inflectunt & trahunt in partes quaſuis. Verùm ſignificando quæ eorum ſola & propria actio eſt, talia faciunt. Etenim verborum vis ac facultas omnis conſiſtit in ſignificando animi cogitata: nec aliũ per ſe vſum habent, nec ob aliam cauſam datus eſt homini à Deo ſermo, quàm vt eo animi ſui cogitationes alijs aperiret. Hanc porrò facultatem ſignificandi non habent natura. (Nam nec à materia nec à forma obtinent) id eſt, non ſignificant naturaliter, ſed ex pacto & conſenſu inter homines facto: quod eo facilè quiſq; perſpicit, quod aliena lingua loquentes minimè intelligimus. Signa proinde ſunt, non naturalia, ſed artificialia, ſiue ex pacto. Etenim naturale ſignum omne, vel eſt cauſa vel effectus rei ſignificatæ, vel ab eadem cauſa producitur, à qua res ſignificata efficitur. Quorum cùm nihil de verbis verè dici poſſit,

palàm eſt, naturaliter ea nō ſignificare. Adde, quòd ſicut cogitationes animi apud omnes ſunt eædem, ſic verba eadē eſſe, atq; ab omnibus intelligi oportebat. At Germanici Idiomatis verba audienti Italo, Gallo, Polono, Hungaro, &c. ſi non didicerint prius linguam noſtram, nihilo plus ſignificabunt, quàm bruto alicui. Significant igitur verba ijs ſolis, inter quos conuenit, vt res talis nomine tali nominetur: quod ex pacto eſt ſignificare.

Ex modo dictis iterum liquet, falſò attribui verbis virtutē profligandi aut infligendi morbos. Si enim apud audientes & intelligentes ea ſolùm agunt, morbi autem nec audiunt nec intelligunt vlla verba, certum eſt fruſtra ad morbos auribus ac mente carentes dici: niſi ſi cùm Paracelſo animalia aurita libeat ponere. Ergò vel incaſſū pronunciantur, vel ad intelligentes dicuntur. Non ad ægrotantē. Primò, quia tales curatores plerunq; ægro abſente ſuas coniurationes recitant. Deinde quia eaſdē obſcurè & tacitè ferè muſsitant ac ſubmurmurant. Demum quia nihil ægro ex auditione vitiū accedit. Nemo enim dat, quod non habet. Verba autē non habere in ſe tales potentias ex retro dictis perſpicitur. At excitant credulitatem & ſpem ſanationis audita verba? Non nego confidentiā & ſpem ſalutis magnum in curatione momentū habere: at verba curandi vim per ſe poſsidere iterum nego. Etenim hoc modo per accidēs iuuant: minus credulo (id eſt, à ſuperſtitione alieno) nihil conducunt. Adde quòd maior tunc vis credulitatis foret, quàm verborū. Quæ cùm licitis modis poſsit excitari, coniuratione & incantatione accendi non debet: quæ ſine impietate aperta vſurpari nulla ratione poteſt. Præter ægrotū nemo eſt, qui verbis excitari ad ferendā opem valeat, niſi vel ad Deū, & ſanctos eius, vel ad Dæmones dirigantur: ſiue hoc occultè & implicitè fiat, ſiue apertè et explicatè agatur. Equidē poſt Deum, eiusq; miniſtros ſanctos, & cacodæmones impuros, nullæ creaturæ mentis participes factæ videntur, quæ verba intelligere, intellectaq; exequi ſolitæ ſint. Admirabilia etiā opera, quæcunq; maiora ſunt, quàm vt natura per ſe (aut eo ſaltem modo) efficere conſueuerit, quæq; nec ad notas nec ad occultas naturæ vires aptè poſſunt referri, omnibus ætatibus vel Deo vel Angelis, vel impuris ſpiritibus rectè attributa fuere. Cæterum pugnarè cum vera pietate coniurationes & imprecationes iſtas conceptis verbis

bis factas ad depellendos morbos, mirum ſi aliquis in tanta veritatis luce nõ videat. Ad Deum igitur aut ſanctos eius fruſtra dirigantur. Deus enim non creauit Medicum, vt virtute extra ordinem naturæ ad verba accedente morbos pellat: ſed vt naturalibus pharmacorum poteſtatibus curet: ſicut alimentorum inſitis in creatione facultatibus nos alit ac ſuſtentat. Non eo inficias Deum miraculosè per ſanctos plurimos ſanauiſſe. At hoc neq; perpetuum & ordinarium eſſe, neque conceptorum verborum virtute fieri voluit: quemadmodum nec abſq; cibis nos vult vitam producere longius, tametſi aliquos, cùm ei viſum fuit, abſq; omni alimento longo tempore ſeruauit. Ideo ſcribit Siracis, Deum feciſſe Medicum, vt pharmacis, quæ ex terra pullulant, quæq; pharmacopolæ variè miſcent, morbos fugent: non ait mandatum eos accepiſſe conceptis verbis ſanandi. Reliquum eſt igitur, vt in tali curatione Dæmones illis verbis aduocentur in ſubſidium: poſtquam alia res nulla reperitur, quæ paciſci cum talibus Medicis potuerit. Verba enim, vt oſtenſum eſt, ex pacto ſolùm valent. Ergo interuenit conſenſus & pactum aliquod ſaltem tacitum inter Dæmones & coniuratorem, vt conceptis illis verbis certo modo & ceremonijs pronunciatis præſto ſit. Et vt, qui nunc ea pronunciat, pactum hoc interueniſſe neſciat, & ab aliquo, tanquam rem vtilem, bonam, & à pietate non diſſentaneam didicerit (quòd ſæpè Idiotis accidit) non tamen non peccat grauiſſimè, qui eis vtitur. Nam commercium habet cum Dæmonibus propter pactum, quod cum illo pacti ſunt, qui primi talibus verbis curare cœperunt. Sanè quiſquis à malis ſpiritibus aliquid diſcere cupit aut obtinere, deſertor aliquo modo appellari poteſt. Fit enim defectio non tantùm opere, vt cùm quis fidem abnegat, aliquid in Cacodæmonum nomine incohoat ac perficit, notis ac ſignis ignotis quippiam ab eo petit, verùm etiam verbis, quando videlicet citra abnegationem, inuocatione, coniurationibus, orationibus, ſuffumigijs, ceremonijs alijs vel neſciens ab ijs aliquid exſpectat. Pactum ipſum conſiſtit vel in verbis, vel in factis: at operis perfectio in virtute Dæmonis ſita eſt. Quæ cùm ſic neceſſariò habeant, perſpicuum eſt, iſta à nobis non adferri, vt Dæmon in occultæ cauſæ locum ad excuſandam ignorationem noſtram ſuccedat: vt D. N. affirmat. Non enim adeò ſumus ambitioſi, vt omnia ſcire videri velimus: nec ita excordes, vt non

intelligamus infinities plura nos neſcire, quàm didicerimus: illarum, inquam, rerũ, quas cognoſcere optauimus & tentauimus. Quanquam mihi omninò perſuadeo, hæc omnia ab ipſo dici non ſeriò: ſed tantùm voluiſſe audire exiſtimo, quid ad ea vel tu, vel ego reſponſuri ſimus. Ego ſanè vix vllum eruditum, & in doctrina pietatis inſtitutum viuere arbitror, qui opinetur ideo nos Dæmonibus nequam tribuere, quæ coniurationibus, & ſimilibus rebus alijs quidam ſe rentur efficere, vt noſtram inſcitiam tegamus. Quippe cogit nos tùm diuina, tùm humana philoſophia id aſſerrere, quod omnium ſeculorum experientia rectè affirmari, demonſtrauit. Quin imò negare velle, inſaniam pariter & impietatem omnes illi iudicant, qui Dæmones eſſe credunt. Profectò Paracelſus, qui hoc ſtuduiſſe vnicè videtur, vt omnes homines impietate ſuperaret, vix vnquam negare fuit auſus, coniuratores ope Dæmonum potiùs, quàm virtute verborum admirabilia illa perpetrare. Summatim repetam, vt planiùs intelligar. Verborum vis alia nulla eſt, quã ſignificandi, quid is cogitet, qui loquitur. Nam ſicut ſenſilium ſpecies, quatenus ſenſus mouent, in res ſenſu carentes non agunt, teſtibus Ariſt. 2. anima, cum tota rerum vniuerſitate (propterea quod vim aliam nullam poßident, quàm ſenſus mouendi) ſic verba, quoad ſoni articulati ſeu certi idiomatis verba ſunt, nihil agunt in res auditu vel ratione carentes: propterea quòd aliud nihil poſſunt, quàm animi conceptiones repreſentare. Significant autẽ propter pactum et conſenſum, non natura. Quocirca non ſignificant ratione carentibus: quoniam paciſci nobiſcum non potuerunt, vt vox talis rem denotet talem. Rationales porrò creaturæ nullæ ſunt nobis notæ extra hominem, præter Angelos & Dæmones. Verba igitur poſt Deum à ſolis Angelis, Dæmonibus, & hominibus intelliguntur. Ab illis linguarum idiomata omnia videntur percipi: hominibus illud ſolùm ſignificat, quod didicerunt: id eſt, in quod diſcendo conſenſerunt. Coniuratorum itaq; verba, ſiquidẽ ad res inanimatas aut nil audientes ac intelligentes dicantur, vim nullã habent. Solis enim intelligentibus ſigna & notæ ſunt: aliud efficere nihil poſſunt, vt retrò oſtenſum eſt. Nam articulatio, quæ eorum forma eſt, non eſt, niſi dum fit: nec vim vllam habet aliam, dum exſtat, præter antea dictam. Materia autem ſeu aër nulla virtute alia præditus eſt, quàm

ea, quæ

ta,qua omnis alia fuligo per exſpirationem ex thorace exiens ornata eſt. Quo fit,vt à nullo agente talis in ipſam naturalis proprietas induci valeat. Quippe omnes tales poteſtates ex materiæ potentia ab efficiente educuntur. Quis verò putet tantorum miraculorum potentiam in excrementitia illa fuligine latere? Quocirca ſi admirabilis effectus certorum verborum pronunciationem conſequatur,non verbis,ſed alij virtuti adſcribere cogimur,quæ ſcilicet verbis illis inuitata,illecta,incitata,vel pacti admonita fuerit. Argumento eſt,quòd nec ſemper,nec à quolibet,nec quouis modo pronuntiata valent. Oportet enim pronuntiatorem ſuperſtitioſum, ac Dæmoni notum eſſe: & certis ceremonijs pronuntiare. Quare neceſſarium eſt,vt eis veluti ſigno & pacto aduocentur,vel Angeli, vel Dæmones. At non exauditur,qui aliquid extra & contra ordinem ac modum à Deo inſtitutum petit,vel id petit,quod petere Deus vetuit,ab Angelis aut ſanctis Dei miniſtris. Reſtat igitur à Dæmonibus factum eſſe. Cæterum virtute verborum conceptorum velle morbos curare, cum Dei mandato pugnat: vti vel ex 19.cap. Act. perſpicitur. Quare opera Dæmonum peragitur eiuſcemodi curatio. Sane Magicum vocarunt eruditi omnes,quicquid ſupra naturæ vires vi carminum fieret. Si excipiat aliquis ſanctis verbis id conantem non videri peccare, grauiore ſe ſcelere obſtringere aſſeuerabo. Etenim ex citato proximè loco Act. confutatur apertè hæc opinio. Et cùm qui ſacris abutitur verbis contra Dei voluntatem (alius enim vſus eſt verbi diuini, & propter aliud nobis datum eſt) ad coniurationes traducens, ea veluti ſacramenta quædam faciet ſiue ſigna & teſtimonia fœderis inter Dæmones & & coniuratores iſti, quomodo non ſceleratiſſimè videatur errare? Nec mirari quiſpiam debet, quòd Deus iuſto iudicio improbis ſpiritibus poteſtatem faciat nonnunquam id faciendi,quod à coniuratore poſtulatur: quo irretitum eum in impietate & ſeruitute detineant. Notum eſt ex 1. ad Roman. cap. Deum ἀπιστείας hominum nefariè à Deo ad Dæmones transfugientium eiuſmodi cæcitate punire: vt malint à Diabolis ſalutem exſpectare extra ordinem à Deo præſcriptum,quàm à Deo per media ab ipſo inſtituta ſeruari.

Linimenti illius deſcriptionem, quo ferrum aut gladius,quo quis vulneratus eſt,illini præcipitur,ante annos fermè 19. à D. Burchar-

de Micbobio, viro pietatis & doctrinæ laude clariſſimo Ducis Erici Brunſuicenſis medico experientiſſimo accepi. Miratus tunc ſum (nuper enim ex Italia in Franconiã vocatus cõceſſeram) inter pietatis veræ cultores adhuc inueniri homines adeò ſuperſtitioſos, qui impijs talibus nugis fidẽ haberẽt. Atq; vt ipſa re abſurdiſſimã ſuperſtitioſorũ opinionẽ cõfutaremus. Chirurgis aliquot dedimus citra ſuperſtitionem vſurpandũ: qui in ipſo opere vaniſſimũ deprehenderũt Si Dn. N. crederem opinari, linimento huic vim & efficaciã ineſſe vulnerũ abſentum curandi, quando ferro, quo inflicta ſunt, illinitur, hac ipſa de re ad eum fuſiùs ſcriberẽ: (ad te, quem rectius inſtitutũ in Chriſti primùm, deinde etiam in Philoſophorũ & Medicorũ ſchola ſcio, fruſtra plura dixero) & quàm alienũ ſit à pietate, veritateq; illiuſmodi figmentũ, pluribus demonſtrare conarer. Vbi enim, aut quomodo contactus vel corporalis vel ſpiritualis, ſine quo actio nulla naturalis vel fingi poteſt, monſtrabitur? aut à quo putabimus hoc pharmacũ vires mutuatum eſſe vulnera tot tantisq; ſpacijs diſtantia, tangendi et alterandi? Abſit verò, vt de Dn. N. de cuius eruditione ex hoc ſcripto præclarè ſentire cogor, tale quid credam. Hæc habui, quæ hoc tempore tibi reſponderem: in quibus ſi quid deſiderabis, addam, abs te admonitus. Pluribus de capite poſteriore, quàm de principio ſtatueram, diſſerui, propterea quòd multos, & ex his etiam non indoctos quoſdam, & à pietate minimè alienos, per imprudentiam & incogitantiam hîc impingere video. Copioſiùs tamen hac ipſa de re egi in parte 1. Diſput. noſtrarum contra Paracelſum, ſicut ſupra monui. Hoc ad extremum addam, valde periculoſum eſſe pharmacis vti, quorum vis maior eſt, quàm vt naturæ eorum rectè adſcribi, vel vnde ea profecta ſit, perſpici queat. Metuendum enim ſemper nobis eſt, ne ex pacto cum Dæmonibus inito, efficaciam illam adepta fuerint: & dum ea vſurpamus, tacitè & inſcienter Dæmonibus malis blandiamur & ſeruiamus. Vale in Chriſto Ieſu feliciſſ. Calend. Auguſti. 75.

Epiſtola XI.

Dubitationes aliquot continet, & earundem ſolutiones circa morbos totius ſubſtantiæ.

Excellente

EXcellente doctrina, virtute, ac pietate vir Dn. N. tuas literas, vir doctiſſime, 16. Cal. Octob. (citius non potuit: quia in patria abſens fuit) mihi legendas obtulit: in quibus partim probas noſtrã de morbis totius ſubſtantiæ ſententiam, partim non abſolutè probas: ſed nonnihil adhuc dubitas. Et dubitationis capita hæc animaduerti inter legendum. Quo referenda ſit putrefacta & emortua pars? Quo morbo pars relicta dicenda ſit laborare? Quæ natura ſit peſtiferarum, venenoſarum & putridarum affectionum? Quomodo hiſce indicatione à morbi natura petita, occurrendum ſit? Deniq; concludis, quomodocunq; tandem nominentur illiuſmodi affectus, ad ſpecifica tamen remedia in curatione ſemper deueniendum eſſe. Hæc ſunt ad quæ reſponderi tibi videris cupere.

Ad primũ quod attinet, minime eſt opus nos laborare. Non enim pars putrefacta & emortua nobis aliud indicat, quàm ſui ablationem: quemadmodũ cadauer nõ aliud poſtulat quàm ſepulturam. Non enim à morte reuocare tentat aliquem medicus, cùm à priuatione ad habitum, virtute naturali, redire nulla res poſſit. Deinde cõſtat ipſas naturas eſſe morborum medicatrices. Quo pacto ergo curabitur pars mortua, id, quod ſanare ſolùm poterat & debebat, non amplius exiſtit? Eo ergo referenda eſt pars mortua, quo refertur corpus totum mortuum. Vt hoc non cadit ſub conſiderationem medici, ita nec illa. De cadaueris amotione & ſepultura, de extinctæ partis reſectione, & ſeparatione duntaxat cogitandum reſtat. De hac re ſatis dictũ eſt in theſibus, de totius ſubſtantiæ morbis, theſi, 66. & 67.

Pars relicta, quæ putrefacta nondum eſt, ſi nihil putridi aut intemperati in ſe habeat, morbo laborat, qui vel in numero vel magnitudine diminuta eſſentiam ſuam habet. Initio autem, cùm putrefacta pars ſeiuncta primùm eſt (ſiue ferro, ſiue igne, ſiue alio modo ablata ſit.) & continui ſolutione, & intemperie plerunque afficitur. His percuratis, deeſt vel numerus, vel magnitudo naturalis. Natura affectionis peſtiferæ & putridæ eſt intemperies, non ſimplex illa quidem, ſed cũ malitia comite. Etenim omnis putredo tum fiens, tum facta, eſt calida intemperies à calore alieno partibus impreſſa: vt latè declarauimus in theſibus de putredine. Peſtis quoq;, cùm propriè accipitur hoc nomen, nil eſt aliud, quàm maligna & pernicioſa putredo:

quam in theſibus de totius ſubſtantiæ morbis intemperiem eſſe demonſtraui. Quocirca nil eſt aliud putredo, quæ adhuc fit, quàm inæqualis intemperies calida: quæ autem facta iam eſt, intemperies facta ſeu æqualis. Venena quoq; nos alterando occidere tam eſt notum, vt admonitione vix opus habeat. Cæterum permagna eſt differentia inter putredinem & putredinem exitioſam. Etſi enim omnis putredo eſt corruptio, non tamen omnis corporibus noſtris orta putredo, eſt malefica ſeu perniciosa vitæ. In ſcabie certè putredo eſt: atq; ex putridis humoribus naſcuntur in omnibus propemodum hominibus vermes in inteſtinis. At ab illiuſmodi putredine per ſe nullus periclitatur, niſi malignitatem contrahat. Ergo cùm ſint putredinis modi ſeu ſpecies plurimæ pro diuerſitate ſcil. graduū, varietate rerū putreſcentium, & diſcrepantia cauſarum efficientium, vt in theſibus de putredine oſtendimus, mirari nullus debet, quòd peſtilentem quoq; putredinem ſub putredine contineri aſſerimus. Quod ad cauſam attinet (de alijs nihil attinet hoc loco et tempore diſſerere) effectricem, eſt ea ſemper caliditas aliena, ſed tamen non vnius modi & generis ſemper exiſtit, cùm ſæpe à ſimplici calore, aliquando à putrido excitetur putredo. Sed & putridus calor non perpetuò putrefacit, verùm aliquando generat, maturat, coquit. Etenim à putrido ſtercorum calore excludi pullos certum eſt, ſi aptè temperetur. Et qui venenatus eſt calor, putredinem aliquando efficit venenatæ qualitatis expertem. Finge enim venenum putridum in vaſe aliquo incluſum (vt fuligo aut vapor aut ſubſtantia nulla tranſpirare valeat) rem aliquam tangere, & calefaciendo putrefacere. Putreſcet res tacta ſimplici putredine, ac ſi ab ignis calore puro corrupta fuiſſet. Si autem cum caliditate vapor aut ſpiritus putridus ex vaſe ad eam rem perueniat, non ſimplex amplius putredo, ſed venenata putredo producetur. Hæc cauſa etiam reddi poteſt in ouis. Nam ſtercorū vapor putridus, ſi per oui teſtam penetret, non excludet pullos, ſed putrefaciet oua. Eadem ratio eſt, ſiue putrida ſubſtantia ſit incluſa, ſiue quod ab ea calefit, ſic munitum ſit, vt nulla ſubſtantia, ſed ſola caliditas ad ipſum peruenire poſſit. Accidit ergo putridis rebus plurimis aliquando, vt cum eo quòd putreſcunt, propter cauſæ putrefacientis qualitatem, etiam pernitioſam vim acquirant. Quod cùm in peſte eueniat, haud eſt difficile

ficilè viſu,naturam peſtis eſſe putredinē (ſiue intemperiem calidam) cum peculiari malitia,ab efficiente cauſa inuecta. Quippe non ſimpliciter,aut ſuperfi.iem duntaxat,calefaciendo putrefacit obiter ſolùm, ſed celeriter & profundè partes,quas apprehendit,corrumpit. Non ob id tamen putredo non eſt,quia vehemens putredo eſt,ac celeriùs alijs res propinquas cōtaminat & perdit. Hinc ad quartā interrogationem tuā quid reſpondendū ſit,patet. Etenim indicatur nobis,putrefacta,quouis modo poſſibili,eſſe exigenda,& ne longiùs putredo ſerpat,prohibendū. Faciunt hoc frigida & ſicca,quòd ipſa putredinis natura nos docet,quæq; per ſpirationē expediunt,& obſtructa citò deobſtruunt. Quoniam aūt celeriter apprehendit,ac breui tempore latè propagatur, profundeq; ſe inſinuat,feſtinanter ſuccurrere oportet. Quod cùm facere nobis non ſit facilè, mirabile videri non debet,quòd tam multi ex hac putredine pereunt. Conſiderat apud ſe, qui nondum percepit,quanta celeritate putredo,quæ in gangrænis oritur, in vicinas partes peruadat. Quàm porrò ſit difficile,putredinem ſimplicem lentè progredientem ſiſtere,vel vna nos ſcabies, aut quæ in lenibus vlceribus fit,docuerit. Cùm quis febre miti & ſalubri laborat, quæ à putredine profecta eſt non mala,quantis opus eſt rebus,antequam eam expugnemus? Sed de hac in præſentia ſatis eſt dictum: præſertim cùm repetenda iterum ſint in reſponſione ad concluſionem tuam.

Etſi ex modò dictis poſſit reſponſio peti ad id,quod ais,omninò ad ſpecifica veniendum in curatione, quoquo nomine affectus tales nominentur,placet tamen hîc etiam aliquid prædictis addere: conſtat ex dictis,opus hîc eſſe putrefacta vacuantibus vel per aluum, vel vrinas,vel menſes,vel hæmorroidas, vel ſudores (de ſectione venæ, & per eam facta vacuatione,nihil opus eſt hîc plura dicere) & ne latiùs ſerpat,prohibentibus,quæ videlicet obſtructiones aperire,ſanguinem & humores ventilare, deniq; refrigerare & exſiccare poſſunt. Hæc qui admouet,an non indicationi ſatiſfacit? Quod ſi viſceris alicuius imbecillitas,vt cordis,cōcidat,nullus dubitat,quin & huius interim ſit habenda ratio. At his talibus,inquies,non curatur peſtis,aut non pelluntur venena. Cauſa iam dicta eſt. Quia enim anteuertit putredo medicaminum horum efficientiam (cauſæ non ſunt obſcuræ peritis medicis) & cordis ſubſtantiam ſeu vires proſternit priuſquam

extingui ea poßit, voti non efficimur compotes. At occulta vi agentia pharmaca (perges) multos liberârunt. Reſpondeo, neq; te neq; alium quenquam, vel vnius exemplum producturũ hominis à peſte liberati, per medicamentũ ſpecifica virtute (intelligo occultam totius ſubſtantiæ proprietatem, quali Magnes ferrum trahit) agens : cùm contrà ego verè aſſeuerare poßim, plurimos omnibus temporibus & locis perſonatos, pharmacis virtute nota agentibus. De qua re, ſi te dubitare ſuſpicarer, probarem multis experientijs Gallorum, Italorum, Germanorum, &c. Si purgantia obijcias, negabo tibi vlla vel venenoſos vel peſtiferos humores eiuſmodi facultate magis vacuare, quàm non tales. Deinde ſi talis ineſt proprietas in illis omnibus, quæ ab authoribus effusè laudantur, infinita fermè, ac nihil ſimile inter ſe habentia pharmaca, eadem illa ſunt poteſtate prædita: quod fieri nullo modo poteſt. Equidem quæ latente virtute dicuntur profuiſſe, vel vacuando, vel cõcoquendo, vel ſanguinẽ ac ſpiritus augendo, vel refrigerando, vel exſiccando, cuncta commodarunt. Et quamuis libenter fatear, quædam ex his medicamentis experientia magis quàm ratione ac Methodo inuenta vſurpataq; primùm fuiſſe : ex hoc tamen minimè ſequitur, poteſtatem, qua contulerunt, ignotam, occultamque ſeu ſpecificam eſſe. Valdè multa vſus & experientia, iuuare certos morbos, docuerunt, quorum efficientiæ cauſas poſtea perſpicaces homines præclarè viderunt. Non eas nouerant prius: quia eas res vel non viderant, vel non examinârant: & proinde quibus eſſent præditæ viribus cognoſcere nunquam ſtuduerant. Poſtea verò, quàm vtilitatem earum perſpexerunt: qua facultate talia præſtarent, indagare cœperunt, ac inuenerunt. Nunquam autem inueniſſent, ſi verè ſpecificæ ſiue occultæ fuiſſent. Certè quotquot ego adhuc conducere animaduerti (ſunt enim hîc, vt in alijs etiam, infinita , quæ creduntur magis prodeſſe quàm reipſa proſint) notis poteſtatibus commodare perſpexi.

Cogitemus hoc etiam, veterum artem valdè mancam et mutilam fuiſſe, ſi ſpecificis iſtis pugnandum eſt potius quàm methodo conſtantibus pharmacis. At cõſtat, eos nõ infelicius (ne dicã felicius,) peſtem curauiſſe quàm ſuis ſpecificis, poſteriores curârint, ac etiamnũ curent. Quamobrẽ cùm ſpecificorũ iſtorũ rarò mentionem fecerint, rarius ea

vſur-

vſurpârint,perſpicuum eſt,eorum vim non tam eſſe fructuoſam & vtilem,quàm aliqui,non ſatis prudenter,ſibi perſuaſerunt. Noua eſt iſta ſpecificorum effuſa laudatio,ab homine omniũ,qui multis ſeculis vixerunt,perditiſſimo & imperitiſſimo in medicina,ætate noſtra primùm introducta. In tot & tam præclaris Hippoc.& Gal.operibus, quota eſt horũ mentio in curatione peſtis,gangrænæ,venenorũ hauſtu ac ſimilibus morbis? Quòd ſi abſq; ſpecificis iſtis tales morbi curari nequeunt,valdè diminutã nobis artem tradiderunt veteres omnes.Quotuſquiſq; enim taliũ meminit? Aëtius & Trallianus aliqua nonnunquam recenſent;ſed partim fœda & abominanda,partim ſuperſtitioſa,impia & ridicula,partim etiã reperta impoſſibilia aut difficillima. Quam præterea fidẽ ipſimet talibus habuerint,ſatis declarant,cùm aut ſe audita referre,aut inutilia expertos eſſe,ſcribunt:ac lectorem inſuper monent, vt non magnopere talibus confidat ſed methodo inuentis vtatur. Te vehementer oratum velim,vt tecum cogites, vtri plures eiuſmodi morbos omnibus ſeculis curarint,illi ne, qui ſpecifica iſta iactitant,an qui veterũ methodo vſi,ratione inuenerunt medicamina? Ego ſanè nullum adhuc ab illis ſanatum vidi, plurimos nefariè occiſos cognoui:ab his contrà,plurimos methodicè procuratos noui:vt paulò ſupra dixi.Quæ ars eſſet medicina,ſi talibus ſanarentur,grauioribus illis morbis correpti? Nulla. Apertè nanq; Gal.1. de comp.ſecundũ loc.οὐδένα λόγον ἰατρικὸν ἔχειν talia ſcribit, ac res ipſa docet.Rationem haud multò poſt ſubiungit,quòd eiuſmodi pharmaca oporteat omnem morbũ,in omni ægro,omni tempore,depellere. Quòd ſi faciat,inquit,καὶ ἡμεῖς αὐτοπάθειαν αὐτοῖς μαρτυρήσαμεν, οὐκ ἐνέργειαν,ἧς ἔχει κράσεως. Vt de meipſo dicam,qui tenuitatẽ meam libens agnoſco,non cunctabor tibi promittere,me apertã & conſentaneam rebus cauſam tibi redditurũ,de medicamentis illis,quæcunque probaueris,certò curare poſſe venenoſos & peſtiferos affectus:ſi vnũ hoc mihi dederis,quod negare nullo iure potes,nos exquiſitũ temperamenti & miſtionis gradũ perfectè cognoſcere nõ poſſe.Hæc enim ratio eſt, cur ex duobus pharmacis , quæ temperationem videntur ſenſibus noſtris , eandem obtinuiſſe , alterum altero nunc magis nunc minus iuuet. Hinc verò non rectè concluditur , prorſus ἄγνωστον & ſpecificam eſſe facultatem talem. Vt enim experientia primùm diſcrimen indicauerit,tamen ratio poſtea cauſam comprehendit.

Hæc ad tuas interrogationes reſpondere placuit, non tam tua, qui his non eges, quàm mea cauſa. Cupio enim & meipſum exercere in veritatis inueſtigatione, & multò magis ab alijs velim excitari, vt in hoc ſtudio aſsiduè permaneam: &, ſi qua eſt in me facultas alijs proſim. Dabitur fortaſſe occaſio, argumentum hoc plenius tractandi. Dominus Ieſus nobis ſemper adſit. Amen. 14. Calend. Octob.

Epiſtola XII.

Vtrum, dum pauci adhuc, vti inter initia fit, peſte inficiuntur, Peſtis tum reuera dici poſsit. 2. De conuulſione & Epilepſia.

S. D

TVas nuper literas, vir ſumme & maxime, vnà cum Magiſtri N. (amici mei non vulgaris) literis accepi, ad quas temporiùs reſpondiſſem, ſi opportunitas mittendi oblata fuiſſet. Non enim quicquam opto magis, quàm frequentiſſimè tecum colloqui. Nunquam enim non doctior abeo. Maximi certè tua facio propter perſpicuitatem & eruditionem planè admirandam. Non enim vſitata Italis via incedis, ſed ſpinetis vitatis, per amœnas valles ambulas. Ita ſanè dum tua lego, ſæpè afficior, vt meliora ab alijs adferri nullis poſſe arbitrer. Miratus ob id ſum, quòd iſtic eſſe quendam ſcribis, qui tuas de peſte lectiones, carpere ſit auſus. Verùm is, quantum cauſæ confidat, eo ſatis facto declarauit, quòd nomen non addidit. Facis autem diuinè (& vt in hoc animi propoſito perſiſtas, te, qua decet, obſeruantia oro) quòd calumnias contemnis & res ipſas potiùs tractas. Quid enim ex eo lucri accedat, ſi anxiè regeras in te conjecta conuitia? Pro meliore ſemper viro habitus eſt, qui modeſta grauitate, aliorum intemperiem refutare ſtuduit, quàm qui maledicta maledictis compenſare tentauit. Falleris verò, ſi aliquid horum me cognouiſſe credis. Ex Dn. N intellexi, non probari iſtic omnibus quæ de peſte ſcripſiſſes, at quid nominatim accuſarent, non addidit. Ex te iam intelligo, eundem illud etiam non probare, quòd initia peſtis, dum pauci inficiuntur, peſtem eſſe negâris: de quo ego verbum præterea nullum feciſſem, (nihil enim rei detrahit) niſi occaſionem præ-

nem præbuiſſes aliquid dicendi. Cùm peſtem eſſe negas morbum illum, qui in paucis ab initio ineſt, ac poſtmodum multos corripit, quantiſper in paucis adhuc inuenitur, non rectè mihi ſentire videris. Etenim morborum eſſentiam non eſt neceſſarium variari, quia in paucis & in multis actu inſit. Sicut enim qui in vno aliquo ſolo indiuiduo ineſt, totam ſuam in eodem eſſentiam obtinet: ita ſi idem in pluribus inſit, eandem illam naturam, quam in vno habebat, non amittit aut mutat. At in peſte, inquies, requiritur communitas. Reſpondeo, duplicem eſſe communitatem, accidentalem & ſubſtantialem. Prior ad definitionem peſtis eſſentiam declarantē non pertinet, cùm ſit purum accidens: poſterior ad eſſentiā pertinet. Quoniā nil eſt aliud quàm proprietas certorum morborum, qua ſeipſos propagare in alios poſſunt. Itaq; morborum alij ſunt communes actu, alij potentia quadam ipſis congenita, alij vtroq; modo. Actu communes dicimus, quicunq; à communi cauſa ſuſcitantur, licet contagione ad alios arrepere nō poſſint. Communitas hæc eſt accidens. Accidit enim febri tertianæ (exempli cauſa) vt in multis vno tempore reperiatur, hoc eſt, vt à cauſa pluribus communi excitetur. Potentia communes ſunt, (de congenita loquor & eſſentiali) qui tametſi à cauſa priuata orti ſunt, ad plures nihilominus virtute propria ſe promouere poſſunt, quales ſunt omnes contagioſi. Hæc communitas eſt eſſentialis, non ſicut prior, accidentalis. Hi cùm à communi cauſa procreantur, vtramq; communitatem obtinent, accidentalem & eſſentialem. In iſto morborum genere principatum obtinet peſtis, quæ ſola morborum omnium maximè communis eſt, celerrimeq́; in quoslibet appropinquantes, ſeipſam veluti diffundit, ſicut Ariſt. 1. ſect, probl. 7. aſſerit. Manifeſtè peſtem hoc loco vocat communem, non quatenus actu in pluribus ineſt, ſed quatenus hac eſt natura prædita, vt plures inuadere proſerpendo poßit. Quare ſi ad eſſentiam peſtis reſpicias, non differt ſpecie aut eſſentiali proprietate, quæ in vno vel in paucis ineſt, ab ea, quæ plurimos iam comprehendit. Eadem communis eſt communitate eſſentiali: tametſi actu in pluribus nondum inſit. Sed Gal. (obijcis) incipientem alopeciam, negat alopeciam eſſe. Quid ergo prohibet dicere, peſtem incipientem non eſſe peſtem? Reſpondeo, Gal. Alopeciam, quæ in vno vel paucis eſt, non comparare, cū ea, quæ in plurimis inuenitur, vt illū incipientem,

hanc perfectam nominet. Confert enim initia huius morbi, cum eo iam aucto & perfecto in vno ſolo, & cum obſcura adhuc & vix, ſenſibilia ſymptomata oſtendit, nondum videri Alopeciam innuit. Alibi quoq; morbos alios, dum ſuis ſe notis nondũ apertè prodant, ſuis nominibus nondum nominari monet. Longè alia eſt peſtis ratio, vt tu de ea locutus es. Etenim in paucis illis, qui per initia laborârunt, omnia illa ſymptomata apparuerunt, quæ poſtea, cùm magna turba laboraret, conſpecta ſunt. Non fit ergò hîc comparatio initij cum perfectione in vno indiuiduo, ſed perfecti in paucis morbi, cum eodem in pluribus exſiſtente. Si, vtrũ primus morbi inſultus in vno, peſtis vocari debuerit, quæratur, diſcretè reſpondendũ cenſeo. Non quilibet enim putredinis gradus, febrem ſuſcitans, contagioſus & exitioſus eſt, ſicut peſtifera putredo lethalis & contagioſa exſiſtit. Quamobrem non ſemper ab initio ſtatim perfectionem ſuam totam habet febris peſtifera, quæ videlicet citra contagiũ aut aëris malè corrupti efficientiam oboritur. Facilè ex his, puto, diſcrimen perſpicitur inter Galeni dictum & tuam aſſertionem. Verum, ſicut aliâs ſcripſi, non debet ob hanc cauſam, quæ curationi peſtis nihil adimit, tractationemq́; deteriorem non reddit, ſcriptum illud à quoquam accuſari & damnari.

Theſes de conuulſione à me ſcriptæ non ſunt, vt eas tanquam veras defendere adhuc velim. (Non enim nihil in eis eſt, de quo adhuc dubito) ſed vt eruditorũ iudicia experirer, & quæ aſſequi per me non poſſem, ex alijs diſcerem. Quæ de neruis affirmaui, quin vera ſint nihil ambigo, ſed certò ſcio: ſiue ſeparatim ſiue coniunctim de eis loquamur. Cum muſculis acceptos, vim aliam nullam habere affirmo, quàm virtutem motricem deferre. Sicut enim qui ad oculos, aures, nares, linguã diſtribuuntur, vim deferunt videndi, audiendi, odorandi, guſtandi, licet ipſi nec videant, nec audiant &c. ita quoq; virtutẽ mouendi tranſportare cenſeo, tametſi non moueant ipſi. De ſenſu tactus alia eſt ratio: neq; ſine animalis pernicie hoc carere ſenſu potuerunt. Cæterum non fieri motum arbitrarium, appetitu vel rationali, vel animali, vel naturali eum nõ præcipiente, ſatis ex Ariſt. probatũ eſt, atq; ipſa rerum euidentia luculenter docet. Præclare affirmas, nullam in hac obiectione (quam a doctiſſimo quodam viro tibi obiectam ſignificas) Senſus eſt amiſſus: Ergo & motus, conſequentiam cerni. Etenim ſi

per alios

per alios neruos ſenſus, & per alios rurſus motus deferatur, minimè ſequitur, altero læſo, alterum quoq; oblædi neceſſario. Si per eoſdē tum ſentiendi tùm mouendi vis perferatur, in his, conuulſionem non fieri ablato ſenſu, libenter dabo. Manifeſte hoc in quibuſdam paralyticis patet.

Ad Galenum dicentem à ſolo morbo conuulſionem fieri, in medio eſt reſponſio. Loquitur is ex hypotheſi hac, quod ſcilicet cauſa conuulſionis ſit breuitas nerui propter repletionē vel vacuationem orta. Qua poſita, neceſſariò morbo adſcribemus ſoli conuulſionem, ſicut & palpitationem. Hanc hypotheſin, quia falſam demonſtraui rationibus inſolubilibus, fruſtra mihi aliquis obijciat, quæ hac poſita ponuntur, & abrogata abrogantur. Quare liberè dico, verum non eſſe, quod Galenus putauit, in conuulſione facultatem motricem nihil agere.

Plus momenti habet, quod tua mihi excellentia obijcit: cur, cùm ſine facultatis appetitricis (quæ ſubiecto eadem eſt cum imaginatrice) opera, conuulſionem non fieri conſtituerim, perpetuam conuulſionem poſtea, à ſolo morbo effici, affirmauerim? Non inficior me imprudentiùs locutum eſſe: vtrum in ipſa re errauerim, nondum ſcio. Aliter ego intelligo, conuulſionem à ſolo morbo fieri, quàm Gal. intellexit. Etenim perpetuam conuulſionem à ſolo morbo fieri cum dico, hoc intelligo, virtutem mouentem (ſiue appetitum) ſic eſſe à morbo occupatam, vt rem moleſtantem non cupiat (ſic mihi liceat loqui) pellere, ſed naturæ non congruentem motum, velut congruentem, expetat. Cùm autem præter naturam hæc eadem ſic afficitur, vt, quod moleſtum eſt, ſimul percipiat ac pellere nitatur, conuulſionem interceptam, & cum concuſſionibus quibuſdam, fieri aio. Quoties igitur appetitus ſiue animalis, ſiue naturalis, id, quod moleſtum eſt, percipit, ſimulq; excutere nititur, nondum plenè à morbo tenetur. Agit ergo tunc partim rectè, partim non rectè. Cùm vero ſic eſt à morbo occupatus, vt deprauatè ſolùm agat, & moleſtia afficientem cauſam, depellere non moliatur, a morbo ſolo conuulſionem eam fieri arbitror. Hæc mens mea eſt, quam ineptè fortè verbis illis expreſſi. Voco autem perpetuam conuulſionem, non quæ longiſſimo tempore durat, ſed quæ crebris concuſſionibus, non interſcinditur, aut interrumpitur, quamuis neq; vnam neq; dimidiam horam continua maneat.

*Ad Epilepticos ſæpè accerſitus, nunquam interrogare in mentem
venit, vtrum in paroxyſmo aliquid imaginati inſtar eorum, quos ani
mus liquit, fuiſſent. Scio tamen aliquos, neſcio quæ viſa ſua, poſtea re-
citauiſſe. Cæterum non videtur mihi mirum, quòd in omnium facul-
tum principum communi ruina, imaginatio (quæ cum appetitione, vt
iam ante dixi, ſubiecto eadem eſt) ſola non exſtinguitur. De imagi-
natione loquor et appetitu nobis cum brutis communi. Hanc, inquam,
facultatem, quid vetat aliqua ex parte ſeruari, dum poteſtates ratio-
nales oppreſſæ manent? In animi deliquio & ſyncope multò maior vi
rium omnium proſtratio eſt, quàm in Epilepſia, in qua tamen expe-
rientia quotidiana teſte (Idem Ariſt. in lib. de Somno & Vigilia ſcri
bit) imaginatio non ex toto impeditur. Huc & illud pertinet, quod
Gal. docuit, imaginationem deprauari poſſe, ratione illæſa perduran-
te, et è contra, rationem aliquando vitiari, abſq; inſigni imaginationis
corruptione. Quid igitur impedit, quo minus alijs etiam potentijs im-
peditis minus hæc oblædatur? Nullo modo ſi læderetur, vitioſè non
moueret. Qui diligenter hæc æſtimare volet, fortaſſe non dubitabit,
quin appetitio rationis expers in Epilepſia, motum illum imperet, quo
noxiam cauſam pellere nititur. Faciliùs credet, qui, quid naturalis
aliarum partium virtus agere ſolita ſit, attentè conſiderat. Nihil igi
tur impedit, quin animalis appetitus agat, rationalibus functionibus
impeditis. Vt res ſit clarior, ſciendũ eſt, motuum in animalibus tria
eſſe principia. Vnum eſt voluntas, quæ eſt appetitio rationalis, inq;
ſolis inuenitur hominibus. Alterum eſt facultas ſentiens, & nomina
tur imaginatio ſeu appetitus rationis expers: quod nobis cum brutis
quibuſlibet, etiam ſtolidiſſimis, commune eſt. Tertium eſt Natura:
quod etſi in plantis non perinde apparet, vt in animalibus, non ta-
men eſt vel ſentientis vel ratione vtentis animæ poteſtas, ſed vege-
tantis. Primæ facultatis exẽpla non deſideras, ſcio. Sed nec ſecundæ,
cùm in brutis omnibus conſpicua ſint. Tertiæ quoq; obſcura non ſunt,
attamen illuſtrari nonnullorum recitatione operationũ poterit. Hac
enim vi diſtributio alimentorum per corpus, & excrementorum va-
cuatio, peragitur. Eadem hæc ventriculum in ſingultu & vomiti-
bus mouet. Nec alia eſt, quæ in ſeminis conceptione partuq; vterum
exercet. Eadem criſes, diarrhœas, ſtatas menſiũ purgationes, aliasq;*

huius

huius generis vacationes efficit. Vna hæc etiam per rigores corpus adeò validè quatit ac vibrat. (Non enim muſculorum opus eſt hæc in febribus concuſsio) Hæc & ſternutationes excitat, & in catarrhis, redundantes in cerebro humores, ad aures, oculos, fauces, collum, parteſq; alias tranſponit. Docet item quotidiana rerum inſpectio, cùm vna ex his virtutibus læſa eſt, non neceſſariò reliquas ſemper oblædi. Quippe ratione impedita, nihilominus phantaſia mouet: quod phrenetici rationeq́; ſpoliati nos docent. Vidi ego puerum in oppido, cui nomen eſt Eppinga honeſto loco natum, benè educatum, felici adeò ingenio præditum, vt ſub præceptoribus nulli condiſcipulorum cederet, vi morbi cuiuſdam omni tum memoria, tum ratiocinatione ita orbatum, vt nec parentes agnoſceret, nec verbum vllum intelligeret, nec cibos à rebus alijs, priuſquam ori admouiſſet, interſtingueret. Hic puer licet rationem cum memoria prorſus & ſimpliciter impeditam haberet, adeoq́; minus rationis quouis bruto retinuiſſe videretur, ſine omni tamen offenſione liberè mouebatur, & vix vnquam quieſcebat, antequam circumeundo defatigatus eſſet. In conclaui tenebatur incluſus à parentibus, ne periclitaretur, id eſt, de ſcalis aut loco editiore præcipitaretur. Ita enim læſa ſimul erat imaginatio, vt non ſemper diſcerneret tuta à non tutis. Simili ferè modo & dormientes, ratione ſopita, ſeſe in omnes partes vertunt. De naturali virtute non eſt opus aliquid addere: cùm liquidò conſtet, hanc ſuos ciere motus ſiue adſint ſiue abſint ratio & phantaſia.

Sequitur ex his conuulſiones Epilepticas vel à ſecundo principio, vel à poſtremo, vel ab vtroq́; effici (Quod enim volens nullus conuellatur, oſtenſione opus non habet) Primum ſi detur nobis non eſt cum ratione penitus oppreſſa imaginatio. Si ſecundum affirmetur, haud video cur ſic muſculi moueantur, quomodo per motum arbitrariũ mouentur. Si vltimum concedatur, rurſus fateri cogimur, appetitus ratione carentis partes aliquas eſſe. Ego certè exiſtimo vtrunq; principium in hoc morbo agere. Etenim muſculorum contractio phantaſiæ ſeu appetitus animalis effectio eſt, vt nunc quidem iudico, corporis autem & membrorum illa vibratio, à cerebri motu ſic ferè fit, vt ſternutatio alijq́; motus tales. Quòd ſi eſt verum, vt ſanè veriſimile eſt, nequaquam impedita prorſus eſt imaginationis efficientia. Ac e-

ſciunt ægrotantes, inquies, quid ipſis acciderit. Reſpondeo non ob id nihil imaginatos: quia non meminerunt. Diuerſæ namq; ſunt poteſtates memoria & phantaſia: nec eſt neceſſarium, vt illa deperdita, hæc etiam perimatur. quod cùm alia infinita, tum paulo ante narrata pueri hiſtoria, clare demonſtrat. Deinde ſi abſq; ratiocinatione voluntas, motus arbitrarios exercere videtur, vt reſpirationem, nictationem oculorum, & conſimiles alios plures, minimè debet mirum videri, ſi & appetitus irrationabilis videatur motus quoſdam ciere, non præeunte phantaſia. Cùm enim prædictæ poteſtates ſubiecto eædem ſint vtrobiq;, facilè poteſt nos alterius functio latere, dum ſimul ferè apprehendunt & imperant.

In vera conuulſione virtutes principales non ſæpe obrutæ ſic ſunt, vt in epilepſia: nec phantaſia tunc otiatur ſed aperte ſatis agit, licet deprauatè agat. Sub initium ſomni frequenter imaginamur caſum ex alto, & mox concutitur adeò corpus, vt non tantum euigilemus, verumetiam lectus commoueri ab ijs, qui nobiſcum cubant, deprchendatur. Vt hîc imaginatio nondum ægra peccat, ita in conuulſionibus ægra iam peccare videtur. Maior, imò omnis (vt mihi quidem videtur) difficultas in eo ſita eſt, quomodo aliqui ratione conſtante, prauè imaginentur? Quæ res etſi in theſibus declarata eſt, tamen pauca hîc addam. Primùm nego in ea conuulſione, quæ ſine muſculorum vitio oritur, ratiocinationem prorſus illæſam eſſe. Experientia me contrarium docuit. Et nunc, dum hæc ſcribo, nobilem curo virginem, cui ex interuallis dextrum conuellitur & diſtorquetur brachiũ. Hæc etſi dolet, atq; ad interrogata aptè reſpondet, vt integra videatur vti ratione, tamen & ſine cauſa ridet in paroxyſmo, & aliena loquitur: nec ſcit ſe ridere, & ad rem nihil pertinentia loqui. Si contrà alij eam alloquantur, nihil talium facit: ac ſilentibus alijs, quæ dixi, facit. Puerum itidem nunc curo, cui dextrum crus ſic diſtenditur, rigidúmq; efficitur, vt flecti ab aſtantibus nequeat: qui ipſe etiam leuiter delirat. Vterq; poſt paroxyſmos, qui breues ſunt in ambobus (vix enim quartam horæ partem excedunt) caput incaleſcere ſentit. Addi his tertiò debet fœmina Schmauienſis, quæ conuulſiones graues pedum (ſæpe tetanum) patitur, quæ ita tunc ait ſe habere, ac ſi nuper ex ſomno experrecta fuiſſet, nec ſatis quid agat, ſcire. Es iſt duſſelicht im kopff.

Deinde

Deinde certum eſt, phantaſiam ſæpè agere, dum ratio vel à morbo, vel ab affectu ſeu perturbatione vel à ſomno impedita eſt. Sæpè quoq; mouet, dum ratio vel non animaduertit, vel alijs rebus intenta eſt. Sed nec ita imperat voluntas aut mens phantaſiæ, vt ea iubente agat vel non iubente ab opere ceſſet. Imaginamur enim pleruńq; ratione vigente, quæ nolumus. Quod qui in ſemetipſo non obſeruauit, ſe ipſum nunquam cognoſcere ſtuduit. Si eodem modo à mentis imperio penderet appetitus rationis expers (quem ſubiecto eundem cum phantaſia eſſe pluries iam monui) quomodo ab eodem manat voluntas, magna dubitandi adeſſet occaſio. Iam cùm certum ſit, phantaſiam non parere ſemper rationi, ſed frequenter mouere muſculos ratione impedita vel quieſcente, imò etiam repugnante, minus difficilis explicatu videtur hæc quæſtio. Sicut enim per ſomnum ratione quieſcente nos mouet, ad eundem aut ſimilem modum videtur cum morbo affecta eſt, perperam mouere.

Hæc in præſentia occurrerunt, quæ ad tua reſponderem. Oro autem præſtantiam tuam, vt ſi erro, me in viam reuocare digneris, cùm errore nihil acerbius oderim. Nec adeò ſum futilis, vt me errare, aut ab alijs doctrina & iudicio te longè inferioribus doceri non poſſe exiſtimem. Scio inſuper, in re adeò obſcura & abſtruſa (nullo præſertim nobis facem præferente) tam facilem eſſe lapſum, quàm eſt difficilè ad naturæ penetralia peruenire.

Epiſtola XIII.

Vtrum muſculi contractio propter Scirrhum aut Phlegmonem obortam, à voluntate, an à morbo ſolo dependeat.

Literas tuas, excellentiſſime vir, Cal. Nouemb. iſtic ſcriptas 10. Decemb die accepi. Reſpondiſſem citius, ſi, cui dare potuiſſem, aliquis mihi occurriſſet. Nunc certi hominis poteſtate data, breuiter reſpondebo. Cupis ex me ſcire, vtrum contractionem muſculi propter ſcirrhum aut phlegmonem obortam, à voluntate, an à morbo ſolo effectam putem? Facilis de principio videtur quæſtio. At ſi preſſiùs examinetur, plurima in ea latent explicatu minimè facilia. Vt verò perſpicua magis fiat reſponſio, præfari quædam oportet. Tumorum alij cum dolore oriuntur, alij citra

dolorem naſcuntur. Illi ab humoris calidi influxu, præſertim ſi celeriter, aut confertim in partem irruat, generantur: hi à congeſtis paulatim in affecta parte excrementis excitantur, vel ab influxu frigidi humoris ſenſim influentis efficiuntur. Plus hîc aliquando valet humoris qualitas quàm fluxionis modus. Nam frigida & ſeroſa pituita ſæpenumero tumores pedum magnos breui admodum tempore ſuſcitat, ſine euidente dolore. Sed ferè laxi ſunt ac molles, minuſq́; contra hunc partes durioribus. His poſitis, vniuerſè ad tuam interrogationem reſpondebo. Certum eſt, tumores in muſculis, aut tendinibus ortos, non contrahere eos alia ratione quàm diſtendendo & infarciendo. Et cùm oriuntur, vel extentus vel inflexus eſt muſculus. Cùm extentus eſt, ac tumor, ab influxu calidi humoris, celeriter partem implentis efficitur, certum eſt, à voluntate ſeu appetitione muſculum contrahi. Nam cùm abſq; dolore nulli tumores tales in muſculis naſcantur, vt dolorem fugiamus, vltrò membrum inflectimus. Quod dum facimus, minus dolemus: quia pars ab humore minus diſtenditur. Cùm ſenſim in extento muſculo colligitur tumoris cauſa, vel lentè admodum influit, ac præterea, quod influit frigidum eſt, tum inſenſibiliter ferè & paulatim contrahimus aut flectimus membrum: quia dolor propè nullus percipitur. Quia tamen aliqua tandem fit diſtenſio, aliquis etiam naſcitur triſtis ſenſus. Quare vt hunc vitemus, etiam neſcientes membrum flectimus.

Eadem ratio eſt tumorum, qui in contracto muſculo ſuccreſcunt. Nam & hi, ſi muſculum vlterius contrahant, eodem modo appetitionem mouent. Si adeò parui ſint, vt diſtendendo nullum afferant dolorem, non contraxiſſe muſculum dicentur, cùm prius contractũ occupârint, ſed extenſionem impedire noſcentur. Nec me mouet Galeni aſſeueratio, qui ob ſcirrhum aut phlegmonem contractum muſculum, à ſolo morbo contrahi ait. Non tantùm apud me eſt vllius hominis authoritas, vt propter ipſum ab euidentibus ſenſui recedere poſſim. Clarè autem videmus ægros, cùm interni manuũ muſculi inflammantur, manum contrahere ſeu flectere, vt dolorem à tenſione ortum fugiant. Eoſdem videmus, quoties externos inuadit phlegmone, & replendo dolorem efficit, manum ob eandem cauſam extendere, nec vnquam claudere conari. Quod in his tumoribus, qui dolorem manifeſtum

feſtum excitant, manifeſtè ab omnibus fieri perſpicimus, idem in alijs obſcure diſtendentibus, latenter vſuuenire intelligimus. Fugit enim moleſtum ſenſum natura, nobis non animaduertentibus. His, quia tibi & alijs omnibus confeſſa ſunt, nihil inſuper addam.

Quomodo facilis declaratu ſit quæſtio, dixi, nunc, quam occultet difficultatem, indicabo. Muſculi contractionem dicimus eſſe animæ operationem. Quare non poterit res vlla alia ipſos contrahere, non coagente anima. Nam, vt in oculo viſionem exercet, ita in muſculis contractionem operari videtur. At certum eſt, rem extraneam nullam, ſine anima efficiente alia, in oculo vel per oculum, viſionem efficere vel bonam vel malam. Non enim otioſa eſt anima in vitioſa viſione, ſed hanc non minus quàm bonam ſeu acutam efficit, licet propter oculi vitium vitioſa edatur. Quare ſi & muſculi contractio eſt quædam animæ operatio, non debet ea à re alia effici. Contradicentes videntur propoſitiones, Anima contrahit muſculum, & ab anima aliud quippiam contrahit muſculum. Atqui certiſſimum eſt, flatus ſæpe muſculos contrahere (ſine animæ ſubſidio) in ſpaſmi illa ſpecie, qui ſanis omnibus accidit; quiq́; à noſtris Krampff, *a Bononienſibus, ſi rectè memini, Granſio appellatur. Naſcitur enim à flatu, ſubitò ac violenter in muſculos, incurrente.*

Sed facilis eſt, inquiat aliquis, nodi huius ſolutio. Muſculus enim, vt Gal. ait, τὴν κίνησιν, τὴν εἰς ἑαυτὸ συνοδὸν, σύμφυτον ἔχει. *Si ergo in cadauere quoq́; muſculus diſſectus in ſe cogitur, mirum videri non debet, ſi a flatu eò ducatur, quò naturaliter inclinat. Si oculus eodem modo haberet naturalem inclinationem ad viſionem, poſſet fortaſſe à re externa viſio quoq́; effici. Quod enim partibus anima orbatis tale accidit, idem in eiſdem adhuc viuentibus videtur effici poſſe abſq́; animæ auxilio. Ita & membranæ à cauſis morbificis contrahuntur, cùm naturaliter in ſe cogi valeant, licet imaginationis imperio non pareant. Igitur videntur illæ ſolummodo operationes animæ à rebus externis effici non poſſe, quæcunq́; partibus anima orbatis non accidunt, vt viſio, auditio, Chyli & ſanguinis generatio, nutritio, & quæcunq́; ſimilares ſunt, vel ex toto vel ex partè ſolùm. Ratio in inſtrumentalibus nonnullis aliquantulum diſſimilis eſt.*

Si concedantur omnia hæc, non tamen difficultatem tollere vi-

ſentur. Etſi enim naturaliter in ſe coire muſculi poſſunt, non tamen eò vſq; à ſeipſis contrahuntur, quouſq; ab anima poſſunt ac ſolent, teſte Gal. lib. 1. de motu muſc. ca. 8. ἀλλὰ γὰρ τί που τῶν φαινομένων, inquit, ἐναργῶς ἐστι μαθεῖν, ὡς εἰ ἀκριβῶς, καὶ τελέως χαμπτὴν οὐκ ἄν ποτε ἀφίκοιτ' ἐξ αὑτοῦ σῶμα τοῦ μυὸς, μὴ ἐνθέμενον ὑπὸ τῆς ψυχικῆς δυνάμεως. Quòd porrò per ſpaſmum illum ſla[t]u'entum muſculi vlterius contrahantur, quàm cùm abſciſsi, & ſibi relicti ſunt, naturaliter contrahi valeant, vehemens dolor ex eorum nimia tenſione, firmè ſatis videtur probare.

Quî enim doleret, ſi non amplius quàm ei naturaliter competit, cogeretur? Dolet, quia vim patitur, hoc eſt, quia ſupra naturæ ſuæ modum contrahitur. Manet igitur prior difficultas, dum eadem à flatu actio editur ſine animæ ſubſidio, quæ animæ propria ponebatur. Hoc poſito, nequaquam videbitur malè aſſirmaſſe Gal. conuulſionem inſtar palpitationis à ſolo morbo fieri. Quid enim vetat, quo minus in vera conuulſione idem hoc aliquando contingat, quod in flatulento ſpaſmo frequenter accidere concedimus? Si enim in hoc, muſculi à ſolo flatu contrahuntur præter naturam, non conueniente animæ operatione, cur non vera etiam conuulſio, à ſola cauſa morbifica, præter animæ voluntatem, efficiatur? Probabiliorem facit opinionem hanc, quòd in vera conuulſione ſæpenumero ægri minus dolent (aut minus ſaltem de dolore queruntur) falſa ſeu flatulenta conuulſione laborantibus. Addere prædictis hoc inſuper libet, quod nullus negare poteſt, membrum quodlibet ſic poſſe ab homine alio flecti, quomodo nos ipſi volentes inflectimus. Si ergo me robuſtior (aut, ſi vnus non ſufficiat, duo) vir, brachium aut pedem, me inuito, ſummiſque viribus repugnante, vehementius flectere poteſt, quàm ipſemet valens & ſanus poßim, quomodo non verum erit, contractionem muſculorum animæ propriam operationem non eſſe? Videtur ex his ſequi, ſic poſſe cauſam morbificam membra in vero ſpaſmo mouere, quomodo nos cadaueris membra, in quas partes volumus, flectimus & extendimus. Quare patet, muſculos non à ſola anima, verùm etiam à rebus alijs externis contrahi & extendi. Quid ad hæc reſpondebimus? Primùm quæſtionem non agere de rebus extra corpus exiſtentibus. Quare non

quid homo

quid homo vnus, in alium poßit, diſputamus, ſed quid morborum effectrices cauſæ, intra nos latentes efficiant, quærimus. Deinde, ne hoc quidem explicare in præſentia decreui, quid contractio muſculi ab anima effecta, ab ea differat, quam homo aliáue res externa efficit. Hoc tantùm oſtendere nunc volo, Animam per ſanitatem & morbos longè aliter contrahere muſculos, quàm morbificæ cauſæ eos contrahunt. Hoc diſcrimine percepto, facilè vnuſquiſque intelliget, quid de tota hac re ſentiendum ſit. Dico igitur animam ſic muſculos contrahere, vt ſingulas fibras in ſeipſas verſus caput muſculi cogat, ſic, inquam, vt omnes fibræ, totusque motus muſculus multo ſit breuior factus, parum admodum aucta latitudine. Ita enim in ſeſe ſere coëunt fibræ verſus principium, vt molle corium à nobis extentum in ſe rurſus contrahitur, cùm primùm ipſum diſtendere ceſſamus. Morbificæ cauſæ non hoc modo eos efficiunt breuiores, cùm de menſura longitudinis nihil adimant, ſed vel infarciendo diſtendunt, vel diſtendendo incuruant in arcum, itaque breuiores reddunt. Si, quod dico, & volo exactiùs cognoſcere cupis, loculum ex corio confectum re aliqua infercito ac diſtendito. Quod vbi feceris, breuiorem quidem factum cernes, at de menſura corij nil detrahes. Quantum enim de longitudine dempſeris, tantum latitudini incuruatæ adieceris. Quin imò ſi ſecundum curuaturam metiri voles, etiam longitudini aliquid acceßiſſe comperies, nedum vt demtum aliquid inuenias. Dum enim in arcum incuruatur, magis laxantur & diducuntur partes cohærentes, quæ à ſe inuicem nonnihil abſcedere poſſunt. Idem in muſculis flatu diſtentis contingit. Non enim in ſe contrahuntur fibræ, ac breuiores efficiuntur, ſeu potiùs arcuantur ſeu incuruantur. Quod dum fit, diſtrahuntur potiùs, quàm in ſe coëant. Et hæc quidem ſic habent, cùm à flatu muſculi replentur. Cùm ab humore implentur, & vel ſcirrhi vel alij tumores in eis oriuntur vel non eſt contracti muſculi cauſa in eo contentus humor, vel non ſine animæ efficientia eundem contraxit, vt de principio dictum oſtenſumq́; fuit. Adde, quòd hîc quoq; extendi magis fibras, quàm contrahi deprehendes ſi curuaturam menſurare tentes. Manifeſtè iam patet, cauſas morbificas longè alio modo contrahere muſculos, quàm eo, quo ab ani-

ma mouente contrahuntur. Nec ſine anima vnquam ad extremam illam inflexionẽ deduci poterunt ab humoribus aut flatibus, ad quam anima eos adducit. Quod de dolore in adulterino ſpaſmo profertur, nihil virium habet. Quoniam dolor hic non oritur ob muſculum in ſeipſum contractum, ſed ob diſtentam membranam, quæ ipſum veſtit, ac diuulſionem à partibus, quibus cum cohæret. Nam in hoc malo flatus in membranam magno impetu incurrit, quod oculis ferè ac tactu deprehendere licet, eamq́ tantùm non à muſculi carne dilacerat. Totum quoq; muſculũ ſæpè extra proprium locum nonnihil extrudit, vt multò magis ſenſui conſpicuus fiat, quàm cùm ab anima ad ſummam contractionem perducitur. In vera certè conuulſione, in qua membrorum vel contractio, vel extenſio multò maior eſt, ſæpe leuis dolor percipitur, quod argumentum ſatis magnum eſt ad id probandum, quod hîc nobis eſt propoſitum.

Hæc habui, quæ in præſentia ad tuam interrogationẽ reſponderem, Non arbitratus ſum operæ preciũ eſſe, vt cauſam apud te exponerem, cur abſurdiſsimè exiſtimem eum facere, & contra artis noſtræ principia certiſsima pugnare, qui affirmare audet, actionem corporis noſtri ſeu animalis deprauatam à cauſa morbifica edi poſſe abſq; eo, vt anima ad agendum concurrat. Poteſt huiuſmodi cauſa actiones, vt ne fiant impedire, at edere vel bonam vel malam, quæ noſtra ſit, ipſa non coagente nullo pacto poterit. Pharmaca & morborum cauſas in nobis infinitas exercere actiones, & omninò variè agere abſq; vllo animæ auxilio, nullus ignorat. Sed has actiones animalis actiones eſſe, qui putat, quod neſcit, putat. Quare conuulſionem veram, qui dicit aut credit, abſq; animæ operatione, à ſolo humore implente effici, quod fieri nõ poteſt, dicit aut credit. De actione vitioſa vel deprauata loquor, (Plurimũ differunt, actionem auferre, minuere ſeu debilitare, adeoq́ etiam deprauare, & deprauatam actionem edere) cui contraria ſit aliqua bona vel laudabilis: ne quis palpitationem cutis mihi obijciat. Sed hæc alius ſunt loci atq; temporis.

Epiſtola XIV.

AD D. CAMILLVM FRANCHINVM.

An temperamentum ſit vna ex quatuor primis qualitatibus, an omnes quatuor ſimul, an harum mixtio & vnio, an proportio, an concentus & ſym̃etria, an aliud quippiam tale.

IN poſtremis tuis ad me literis ſeriò à me petebas, vt quid putem eſſe temperiem ad te perſcribam. Polliceris te, cùm noſtram audieris ſententiam, vicißim tuam nobis expoſiturum eſſe. Gratum hoc eſt, at gratius nobis multò feciſſes, ſi prior hac de re aliquid ad nos ſcripſiſſes. Nam et labore me iſto leuaſſes, & minus rectè ſentientem nullo negotio in viam reuocaſſes. Faciliùs quoq; erat tibi hoc præſtare, qui & ocij plus habes, & in hac cogitatione verſatus eſſe videris. Ego, me hercle, ita iam aliquot annis occupatus fui, vt quæ de cauſa continente ad te ſcribere ante trienniũ penè inceperam, & tantùm non abſolueram, ne inſpicere quidem interea, nedum perficere potuerim. Quod verò ad præſentem quæſtionem tuam attinet, poteram commodiùs reſpondere, ſi definitè magis eandem propoſuiſſes. Nam dum hoc tantùm petis vt (quia diuerſi diuerſum ſentiant) quid intemperiem exiſtimem eſſe tibi ſignificem, non ſatis aſſequor quid velis. Neq; enim tanta mea eſt vel authoritas vel eruditio, vt quod ego contra doctorum quorundam hominum opinionem, hac de re ſtatuendũ cenſuero, illud mox verum eſſe, vel à te vel ab alio quouis credi debeat. Scribam nihilominus, vt quàm nihil tibi denegare poßim cernas, quòd mihi verũ eſſe videtur. Quæſtio tua hæc eſt, An temperatura ſit vna ex quatuor primis qualitatibus, an omnes quatuor ſimul, an harum mixtio & vnio, an proportio, an concentus, & ſymmetria, an aliud quippiam tale. Dicerem primùm quot ſint res circa temperiem inter ſe ſimiles, quibus nomẽ hoc aptari poſſe videtur, niſi in tua tu quæſtione omnes ferè enumeraſſes. Hoc igitur omiſſo, illud exponam, cuinam rei ex omnibus illis (& ſi quæ aliæ ſunt à te non explicatè poſitæ) nomen hoc accommodari tribuiq; rectè poßit, ſi genuina eius vis & ſignificatio ſeruetur. Deinde quid Galenus per temperiem intellexerit oſtendam. Aliorum opiniones ac ſententias perſequi neq; volo, neque, ſi maximè velim, poſſum. Temperiem autem temperaturam, & temperamentum pro eadem re accipimus, pro ea nimirum quam Græci frequenter κρᾶσιν vocant. Nominum horum ſignificationem propriam, ſi natura ortusq; [illegible]um ſpectetur, exponere pluribus hoc loco nolo, quia tibi, imò omn[illegible]o-ta eſt. Ergo quòd vni qualitati tribui rectè non poßit, ipſa e[illegible]tura & genuina ſignificatio abundè docet. Quomodo nam [illegible]ſa

qualitas vlla temperari queat, ne fingere quidem nobis licet. Quare non poteſt vna in qualitate temperies intelligi. Eadem penè ratio eſt, ſi plures qualitates coëant, naturamq; ſuam ſingulæ ſeruent, vt nec agant inter ſe, nec patiantur. Quæ hoc modo conueniunt, cùm inter ſe non confundantur, ne temperantur quidem. Vinum certè, cui aqua iuncta tantùm ſit, non permixta, vt de ſua vi naturaq; nihil amiſerit, aqua temperatum nemo ſanus dicet. Simili ratione & modo, calor temperatus à frigore dici non poterit vnquam, à quo nil ſit paſſus. Etſi verò fieri non poſſe intelligo, vt calor cum frigore iunctus ab eodem non patiatur aliquid, & in illud vicißim pro viribus agat, ratione tamen à qualitatibus diſtincta eſt temperatura, quæ per actionem paßionemq; mutuam, & quandam quaſi penetrationem ſeu confuſionem gignitur. Notum eſſe cunctis arbitror, temperiem à pleriſq;, imò omnibus veteribus, ita definitam fuiſſe, vt vnam quandam qualitatem definitione expreſſerint, non multas eſſe iudicârint. Tametſi enim hæc ex multis gignitur, aut in multis eſſe διάθεσις intelligitur, non tamen non vnica tantùm qualitas exiſtit. Quo fit, vt nihil verear affirmare, temperiem nec in vna qualitate, nec in omnibus quatuor iunctis, conſiſtere ante poſſe, quàm inter ſe per mutuam actionem & paßionem confuſæ, & in vnam quandam [illegible] mirabilem ſocietatem, coiiſſe intelligantur. His non aduerſatur quòd temperiem, in qua caliditas dominatur, calidam ſolùm temperiem, perinde quaſi de vnica loqueremur qualitate, nominare omnes ſolemus. Non enim vni excedenti calori, nomen hoc attribuimus, ſed qualitatem, quæ ex mutua omnium actione & paßione (calore nimirum cæteras exceſſu ſeu gradu aliquo ſuperante) genita eſt, ita vocamus. Cauſam puto eſſe, quòd nomen aliud nullum habemus, quo hanc pri[illegible] ſig[illegible]emus. Hactenus quia neminem diſſenſurum à me puto, [illegible] ſeque[illegible], in quibus maior eſſe difficultas videtur, deſcendam, & a[illegible] prop[illegible]io rectè vocari temperatura poßit inueſtigare, tentabo. Non enim eſt obſcurum, temperiem ab aliquibus proportionem defini[illegible] conuenientem ſolere. Horum opinionem, ſicut etiam paulò ante [illegible]rum conſiſtere non poſſe, aio. Primùm quidem, quia nomini[illegible] atq; natura, ſicut nuper expoſitum eſt, aduerſatur. Deinde quia temperies corporis neceſſariò ſtatim mutaretur, atq; propterea variata fuiſſet,

fuiſſet, ſi temperies nihil aliud eſſet, quàm qualitatum proportio. At non continuò partium aut corporum ſubiectorum temperatura mutatur, cum quatuor qualitatum proportio mutata eſt. Etenim ſi calor, exempli cauſa, vno aut pluribus intendatur gradibus, alia ſtatim eſt proportio, tametſi non ſubiectæ partis temperies prior, aboleatur. Confuſionem anteà fieri qualitatum nouamq́; earundem conſenſionem atq; concordiam oportet, quàm temperatæ inuicem intelligi poſſint. Quare niſi agendo prius aſcititius ille calor priorem amicitiam diſſoluerit, aliamq́; in illius locū ſocietatem introduxerit, temperies mutata nondum dici poteſt. Intelligi ex eo res plane poteſt, quod vel in Sole vel ad ignem homines præter naturam plurimū calefiunt, quos tamen non ante calida intemperie laborare conſtat, quā ea caliditas cæteras qualitates ſuperârit, ac nouo quodā modo ſibi conſociauerit, quod licet breuiſſimo plerunq́; tempore fiat, nihilominus verum eſt proportionē ante mutatam fuiſſe, quàm temperatura permutaretur. Ex quo conficitur non prorſus eadem hæc inter ſeſe eſſe. Quoniam quæ ſunt eadem ea neceſſariò eodem planè momento oriuntur, ſunt, occidunt. Apparet idem hoc in externis rebus plurimis. Nec iam opij exemplum profero, quod mediocriter calefactum ſtupefacit nihilominus, proptereà quòd hanc ei facultatem non à temperamento, ſed à forma ſubſtantiæ effectrice ineſſe, quidā exiſtimant. An non ferro temperaturam ſuam ſeruari cum incaluit, confeſſum eſt? Non dico cum eſt ignitum, & à calore nimio fuſum, ſed cum ſupra naturam ſuam calidius eſt factum. Non imus hoc loco inficias, calorem alienum in alijs corporibus temperamentum ſoluere faciliùs, in alijs difficiliùs. In omnibus tamen verum eſt, aliud eſſe proportionem qualitatum, aliud earundem temperamentum, quod ne fingi quidem poteſt inter qualitates, niſi prius totæ totis confuſæ, &, vt ſic dicam, permixtæ ſint. Cùm itaq; aliud ſit, quatuor qualitatum inter ſe proportio, & aliud ea qualitas, quæ ex mutua earum ſub certa proportione concurrentium actione & perpeſſione generatur, ſatis liquet, vnam atq; eandem vtriusq́; naturam non eſſe. Siquidem proportio eſſe poteſt inter qualitates, quæ pro temperatura gignenda, nondum inter ſe agendo ac patiendo habitum contraxerint ac terminum, qui temperies dicitur. Rectè itaq; dictum eſt, temperiem non planè idem eſſe cum proportione. Intellig•

per proportionem non Mathematicam, & à rebus vi mentis abſtractam, ſed ipſas certa qualitates proportione congreſſas. Non enim ignoro abſtractis atq́ in rebus inſitis paſſionibus eaſdem rationes non conuenire poſſe. De qualitatibus etiam non illis loquor, quæ fiunt duntaxat, ſunt verò & conſiſtunt factæ nunquam, ſed de effectricibus, caliditate, frigiditate, humiditate & ſiccitate, quas ex earum genere rerum eſſe nemo dubitat, quæ a Galeno ἁπλῶς ὄντα vocatæ ſunt. Pluribus hanc rem declaraui (nec tamen dimidium eius quod propoſitum habebam adſcripſi) quod valde multi peccare hac in parte videntur. Accidit hoc illis, niſi fallor, linguæ græcæ imperitia, cum συμμετρίας proportionem rectè appellari cenſent. Quanquam ſi rem exponant dilucidè rectéq́, non multum me offendat, quòd nominibus perperam vtantur. Si igitur per proportionem intelligant συμμετρίαν, hoc eſt, moderationem ſiue conuenientiam qualitatum, quæ Ariſtoteli ἁρμονία in libris de anima & λόγος τῆς μίξεως vocata eſt, rectè quidem ſentiunt, ac parum rectè vſitatéq́, quod ſentiunt, eloquuntur. Quod porrò temperies nec ipſa qualitatum inter ſeſe miſtio aut vnitio (ἕνωσιν Græci vocant) quæ generatio quædam eſt, ſit, planius eſt ac notius, quam vt argumentis verboſe doceri debeat. Temperiem etenim bonarum actionum cauſam proximam eſſe dicimus, quod de miſtione quatenus fit, nec dum exiſtit, affirmari nequit. Res etenim quælibet quatenus & quomodo eſt, eatenus eoq́ modo agit. Quanquam, ſi nominibus abuti quis velit, atq́ ἕνωσιν ſiue vnitionem, pro ipſa vnione, ſeu conſenſione qualitatum facta, ſiue pro miſtionis termino accipere velit, is a veritate, meo quidem iudicio, non aberrat. Neq́ nego eos exemplo quoq́ id facturos eſſe. Ita namq́ in pleriſq́ rebus, quæ parum inter ſe differunt, nec certis nominibus diſtinctæ ſunt, vſu venire ſolet. Ex dictis huiuſq́ facile perſpici poteſt, temperiem, ſi accuratè, ſubtiliter & propriè rem quamq́ ſuo nomine appellare debeamus, nihil aliud eſſe ac ſignificare, quam διάθεσιν, ex mutua actione atq́ paſſione quatuor qualitatum, in ſubiecto corpore prouenientem. Qualitatem eſſe, nemo ſanus aut negauit hactenus, aut negabit in poſterum. Porrò non poteſt eſſe vnica. Non enim temperari aliquid vnum à ſeipſo, quatenus vnum eſt, poteſt. Nec plures iunctæ ſimul. Eſt enim temperies vna qualitas ex plurium conſenſione,

vt ſic

vt ſic dicam, nata, quod in ſequentibus declarabitur plenius. In hanc ſententiam conueniſſe omnes intelligemus, ſi, quomodo locuti interdũ ſint, diligentiùs conſideremus. Nullus etenim eſt, qui non aliquando temperiem, cum Galeno, cæteriſq; antiquioribus medicis, ſanitatem nominet, eamq; actionum ſecundùm naturam proximam cauſam exiſtimet. Cognoſci id vel ex eo poßit, quod intemperiem morbum eſſe, & ſine media cauſa alia, corporis actiones lædere, magno conſenſu cuncti confitentur. Quare cùm poſt animam, ne fingere quidem liceat, aliam in corpore actionum bonarum & malarum cauſam, quàm temperiem & intemperiem, neceſſariò ſequitur, eos per temperiem, naturalem & conuenientem corporis affectum ponere, aut quòd dicunt, non intelligere. Quod cum aliquando in hac re omnes conuenire certum ſit, non video cur non tum potiùs rectè eos locutos putemus, quàm cum nominibus abuti conſpiciuntur, et inter ſe ſententijs plurimum dißident. In hac ſententia Ariſtoteles quoq; fuit. Ad quod probandum, minimè opus eſt, me multa ex eo teſtimonia producere. Occurrunt legentibus paßim loca, in quibus temperiem aut miſtionis λόγον vocat aut ſanitatem, aut ἁρμονίαν, aut συμφωνίαν, non quidem vocum, ſed qualitatum in vnum conſenſum concentúmue congreſſarum: ſiue igitur concentum & harmoniam, ſiue miſtionis rationem atq; terminũ, ſiue ſymmetriam naturalem, ſiue habitum, ſiue ſanitatem, ſiue deniq; affectum ſecundum naturam, dicamus eſſe temperiem, parum admodum refert. Omnia enim hæc διάθεσιν nobis ac qualitatem ſignificant, quæ in partium quadam diſpoſitione conſiſtere, tantùm intelligitur. Porrò neq; vnam ſolam qualitatem, nec omnes ſimul ſumptas (multò minus harum aut miſtionem aut proportionem, quæ in comparatione virium intelligitur) διάθεσιν rectè appellari poſſe, vel ex eo liquidò apparet, quòd διάθεσις ad primum, caliditas verò, frigiditas & cæteræ qualitates primæ, ad tertium qualitatis genus pertinent. Præterea concedunt omnes docti, quantum quidem cognoſcere ipſe potui, temperiem eſſe corporis affectum ſeu habitum ſeu formam quandã. Quoniam igitur iuxta habitum corpus non mouetur (quæ ſententia eſt Ariſtotelis 7. Phyſicorum) ſed quodam mutato habitus (quippe qui extremum ſunt mutationis) conſiſtunt, velint nolint concedere pariter nobiſcum coguntur, temperiem non eſſe, vel vnam, vel plures qualitates, ſecun-

dum quas corpus moueri alterariue dicimus. Differunt enim plurimũ caliditas iuxta quam corpus mouetur, & calida intemperies, quæ affectus eſt atq; terminus mutationis, quam morbum nominare ſolemus. Equidem calefacto quodam modo præter naturam corpore, morbus ſiue διάθεσις morboſa conſiſtit (tametſi ſecundum hanc, corpus minimè motum fuiſſe dici queat) quæ mox actiones corporis, cuius eſt affectus, impedit. Probat idem hoc morbi definitio, quem eſſe corporis affectum, actiones primò lædentem aſſerimus. Iſta certè definitio temperiei accommodari aptariq; nunquam rectè poterit, niſi temperiem διάθεσιν eſſe fateamur, quæ ex mutua quatuor qualitatum actione & perpeſſione, genita eſt. Quod ut intelligatur plenius, exemplo non grauabor declarare, qua poſſum & dicto breuitate. Tumorem in manu aut pede ortum, cum morbum eſſe affirmamus, nemo nos ac ſi malè locuti eſſemus, reprehendit. Interea nemo peritus ignorat, non ipſummet tumorem, ſed membri tumore affecti diſpoſitionem morbum eſſe, vt quæ primò actiones impediat. Non enim tumor, ſed talis quidam tumor, cuius ſcilicet præſentia, talis in affecto membro διάθεσις ſeu conſtitutio effecta eſt, actiones eius membri, ſi res ſubtiliter, propriè & verè æſtimetur, primò lædit. Huius diſpoſitionis cauſa quidem eſt tumor, ſed eiuſmodi, ſine qua iſta κατασκευὴ nec eſſe, nec intelligi, nec definiri queat. Nam vitioſæ κατασκευῆς illius tumor, pars eſt eſſentiæ in definitione, ſicut naturalis conſtitutionis conueniens inter ſe partium ſitus, figura, magnitudo & numerus, in definitione partes exiſtunt. Tametſi verò abſq; his definiri διάθεσις nequit, nec alibi, quàm in illis ipſis cernatur eſſe, quin imò ab illis effecta ſit, non tamen idem prorſus cum ea ſunt. In numerorum certorum collatione, certa intelligitur eſſe proportio. Huius certè proportionis ratio, abſq; tali numero, nec definiri, nec eſſe poteſt. Nemo tamen proportionem eam ab illis numeris differre negauerit, quantumuis ab iiſdem quoq; effectam eſſe, liquidò conſtet. Sicut igitur mutato numero, ſimul permutatur proportio: ita permutata vnius aut plurium partium, in quibus διάθεσις conſiſtit, vel figura vel magnitudine, διάθεσιν quoque permutari neceſſe eſt. Nolim verò te ita hæc accipere, ac ſi διάθεσιν morboſam proportionem, quæ intelligitur magis, quàm quòd aliquid reuera ſit, [illegible] m-

nia

nia comparem. Nam hæc διάθεσις reuera exiſtit atque etiam agit: proportio verò quæ in comparatione numerorum tantùm intelligitur, ideoq́ nihil eſt reale, vt ſic dicam, ne agere quidem aliquid poteſt. Expoſui iſta pluribus, vt vſum & conſuetudinem loquendi indicarem. Cum tumorem morbum eſſe dicimus, non aliud quàm διάθεσιν membri, quæ propter tumoris præſentiam alia eſt, quam antea fuiſſet, intelligimus. Et tamen non ſemper tumor hoc ſignificat, ſed διάστασιν ſeu interuallum, ſecundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem, vt Galenus rectè docuit, repræſentat. Simili ferè modo per temperiem, cùm ſanitatem eam eſſe dicimus, διάθεσιν corporis, à qua actiones ſecundum naturam fiunt, intelligere cogimur, quicquid aliâs nomen denotet. Ex dictis commode ſatis perſpici poſſe opinor, rectè a me dictum eſſe, temperiem nec vnam eſſe qualitatem patibilem, nec plures. Etenim temperies idem eſt, quod ſimilium partium ſanitas, iuxta quam corpus non mouetur, verum aliquo modo, ea conſiſtit in corpore. Sanè ſi definitio ſanitatis atque morbi, omnibus æquè conuenire debet, non aliud per temperiem atque intemperiem intelligere poterimus, quàm corporis διαθέσεις conſequentes primarum qualitatum mutuam actionem paſſionemq́ue, quocunque hanc quiſq́ malit nomine exprimere. De qua re ſatis multa mihi dixiſſe videor in præſentia.

Reliquum eſt, vt Galenum, quoq́ per temperiem talem affectum intellexiſſe commonſtrem. Poſſum vnico teſtimonio ex primo lib. de ſanit. tuendæ cap. 5. producto, totam rem conficere. Quo in loco diſertis pro eadem re omnia hæc ponit, κρᾶσιν, εὐκρασίαν, συμμετρίαν, & κατασκευὴν, temperiem, bonam temperiem, commenſurationem (alij moderationem interpretantur, alij rectiùs mediocritatem aut concinnitatem vertunt, alij Græcum nomen ſeruant) & conſtitutionem ſiue apparatum. Cùm itaque temperies ſit κατασκευὴ, id eſt, conſtitutio quæ planè & prorſus, quoad noſtrum attinet propoſitum, idem eſt quod διάθεσις, vt ex Galeni omnibus ſcriptis, ſpeciatim verò ex capite 1. lib. de ſympt. differentijs liquet, conſectarium eſt, temperiem eſſe διάθεσιν, quæ ita conſiſtit in qualitatibus, certa quadam ratione inter ſeſe iunctis, ſicut conſtitutio inſtrumentorum in numero, figura, magnitudine, ſituq́ certo partium, conſiſtit.

Quin etiam Galenus ibidem ita inter ſeſe ipſemet confert. Vt igitur conſtitutio naturalis inſtrumenti ſiue ſanitas, non aut figura, aut magnitudo, aut ſitus, aut numerus ipſe eſt, ſed in omnibus hiſce ineſt, atq; ab omnibus hiſce aliud quiddam eſt: ita temperies, quæ partium ſimilarium conſtitutio naturalis ſiue ſanitas eſt, alia quædam ab ipſis qualitatibus διάθεσις, exiſtit. Vtrum verò qualitas ſit ex quatuor dictarum refractione orta, an aliter ex iiſdem nata ſit, in præſentia non multum laboro, cum Galeni ſententiam expono. Sed intelligi hoc etiam ex ſequentibus poterit. Hic locus etſi ſufficere poterat, adducam nihilominus alium adhuc, qui mihi commodè iam occurrit, ex libro cui titulus, Quòd animi mores conſequantur temperaturam corporis. Quo in loco Galenus ita ratiocinatur. Temperatura nihil aliud eſt, quàm forma, hoc eſt, alterum principium rerum naturalium, earum videlicet, quas ὁμοιομερεῖς, id eſt, conſimiles, ſiue ſimilares Ariſtoteles appellauit, vt æris, ferri, carnis, nerui, & ſimilium. Ratio quæ hoc probat, hæc eſt. In conſtitutione rerum talium, non plura quàm duo principia reperiuntur, materia omnis qualitatis expers, & quatuor qualitatum miſtura ſiue temperamentum. Ergò cum materia atque forma duo ſint principia res naturales conſtituentia, ſequitur neceſſariò, temperamentum formam eſſe rerum ſimilarium. Cùm porrò anima quoque forma ſit ſubſtantialis, efficitur ipſam quoque nihil aliud eſſe, quàm temperaturam. Argumentum tale ferè eſſe videtur. Quatuor primarum qualitatum temperamentum additum materiæ primæ ſeu nudæ, res ſimilares conſtituit. At quod ſimilares appellatas ſubſtantias conſtituit, id forma appellatur materiæ aduenienſ. Ergò temperamentum forma eſt ſimilarium vocatorum corporum. Ex iſtis planiſſimè intelligitur, temperiem Galeno non aliud ſignificare, quàm formam quæ ex mutua quatuor qualitatum actione perpeſſioneque exorta eſt in ſubiecta ſibi materia. Libro de affectis locis quinto, capite ſeptimo idem affirmat, dicens. Quippe ad iecinoris eſſentiam pertinent huiuſmodi affectus. Atqui didiciſtis cuiuſque primorum corporum eſſentiam, ex quatuor qualitatum conſtare temperamento. Nolo iſta de re plura citare teſtimonia, quæ plurima vbique

occurrunt,

occurrunt,ne,de quo dubitat ferè nemo,id probare voluiſſe pluribus videar. Quòd ſi interdum aliter nomine iſto vſus fuiſſe perhibeatur, id mea non multum refert. Primùm,quia nominibus omnes aliquando abutimur: deinde quia res plures cùm ſint quàm nomina, atq; ita cohæreant,vt altera ſine alteris nec eſſe,nec definiri,nec animo facilè comprehendi queant,minimè mirum eſt,vno nomine aliquando vnam,aliquando aliam rem illi vicinam & ſimilem nobis repræſentari. Quod verò ad ipſam nominis naturam genuinamq; ſignificationem attinet,ſatis eſt oſtenſum:cui rei ſignificandæ propriè adhiberi debeat. Petitioni tuæ,niſi fallor,abundè iam ſatisfeci. Verboſius quoque hanc rem expoſui quàm negotia mea paſſura ab initio viderentur. Quòd ſi non me animus meus fallit,liquidò(breuiter tamen) oſtendi temperiem,cùm & loqui propriè,& res diſtinguere exactè, & deniq; cum Galeno ſentire pariter ac loqui volumus,nec vnam ex quatuor qualitatibus aliquam,nec omnes ſimul, nec proportionem, nec miſtionem,ſed aliud quippiam eſſe,nempe qualitatem,quæ ex mutua quatuor qualitatum actione & paſſione, cùm in ſocietatem certam coiuere,exorta eſt,quam terminum miſtionis cum pleriſq;,aut cum Galeno κατασκευὴν ſiue διάθεσιν primorum corporum appellare poſſum. Poteſt eadem illa qualitas,harmonia & concentus, ſiue ſymphonia: præterea ſymmetria rectè nominari,vt ſupra obiter indicauimus. Sed quid præterea me facere voluiſti,non alia de cauſa non eſt à me factum(ſi tamen in mea poteſtate fuit perficere) quàm quòd te cupere non cognoui. Te iam,vti pollicitus es, tuam mihi mentem viciſſim vt exponas apertè & explicatè,etiam atq; etiam oro. Vale.

Epiſtola XV.

PARS EPISTOLAE AD D. CHRISTOPHORUM *Schillingum ſcriptæ.*

De morbi vera definitione: quodq; ea cum ſuo definito rectè conuerti poſsit,quum omnis actio læſa neceſſariò ſequatur affectum præter naturam,qui morbus nominatur. De actionibus corporis ſanis & vitioſis,earumq; cauſis multa ingenioſè diſputantur.

QVId verò non conuulſum, fallax, incertũ & lubricum eſt in arte noſtra, ſi primum eius fundamentum eſt ruinoſum? hoc eſt, ſi definitio morbi non rectè poſita eſt? Artes à fine conſtitutionis ſuæ principium accipiunt, qui in medicina eſt ſanitas. At huic contrarium eſt morbus. Quòd ſi perperam definitus eſt morbus, id eſt, ſi cùm definito ſuo non conuertitur, ignoratur totius artis finis, principium & fundamentum. de qua re Gal. lib. 1. Meth. cap. 7. 8. 9. copioſe agit. Quare qui de hac re ſeriò dubitat, nec tentandi aut diſcendi gratia de eadem ſic diſputat, eum multa alia ignorare oportet. Quamobrem Antagoniſtæ tui cauſa, ne in principijs erret, hanc rem fuſius paulo explicabo. Principiò certum eſt, animam eſſe principem cauſam omnium corporis noſtri operationum. Hanc ratione actuum ſecundorũ in potentia eſſe, & abſq; inſtrumento corporeo, καὶ ἄνευ τῶν ὀργάνων actionẽ nullam edere, æquè certum eſt. Quoniam formæ in materia inhærentes, quoad tales ſunt, abſq; ſubiectis ſuis nec ſubſiſtere, nec agere poſſunt (formarum à materia ſecretarum alia eſt ratio.) Notum eſt principium phyſicum, actiones non eſſe ſimplicium ſed compoſitorum. Tertio conſtat, animam pro inſtrumentorum diuerſitate, diuerſas ſpecie edere actiones, vt oculo viſionem, aure auditionem, pede ambulationem, hepate ſanguinis generationem. Vt enim actio hæc vel illa proferatur, in cauſa eſt hoc vel illud inſtrumentum. Quòd ſi anima vel potuiſſet vnico inſtrumento omnes animali neceſſarias obire operationes, vel vnica & ſola opus fuiſſet, tanto inſtrumentorũ apparatu non eguiſſemus. Quia pluribus eiſq; diſcrepantibus actionibus indiguit, tanta partium varietate ac differentia conſtare corpora noſtra oportuit. Species igitur actionum, vt viſio, auditio, ambulatio, &c. ab inſtrumentorum proficiſcitur diuerſitate, non ab animæ vnitate. Quia verò fieri non poteſt, quin inſtrumentum ſiue pars corporis quælibet vel congruenter, vel incongruenter naturæ diſpoſita ſit, neceſſarium eſt, vt actio quælibet vel bona ſit vel mala. Et bonitas quidem à conuenienti, vitiũ vero ab inconueniente ſtructura & temperatione oritur. Cæterum conueniens cuiuſq; partis κατασκευὴν ſanitas nominatur: praua autem morbus vocatur. Omnis igitur actio noſtra vel bona eſt, vel mala, cùm neceſſarium ſit, omnem vel à bona vel à mala inſtru-

menti

menti ſtructura effici. Quocirca ſpeciem quidem acquirit actio quelibet ab inſtrumento, a quo editur, (vt ab oculo, vt ſit viſio, à pedibus, vt ſit ambulatio, ab hepate, vt ſit ſanguinis generatio) ab eiuſdē verò inſtrumēti bona aut vitioſa cōſtitutione nanciſcitur, vt laudabilis ſit, vel vituperabilis. Quòd ſi mediam aliquam eſſe contendas, quæ nec bona ſit nec mala, non pugnabo. Etſi enim, cùm accuratè loquimur, inter ſanitatem & morbum, medium concedi non debet, tamen ad hanc diſceptationem eius rei explicatio neceſſaria non eſt. Sufficit ſcire, bonam actionem à benè conſtituta parte effici, mediam verò à media conſtitutione produci. Summa dictorum hæc eſt: fieri non poteſt, vt actio vlla particularis edatur vel exiſtat, quæ non aut laudabilis ſit, aut vituperabilis. At vera & proxima cauſa bonitatis & vitij in actione qualibet, eſt diſpoſitio bona vel mala inſtrumenti, à quo editur. Quippe actiones noſtræ omnes ſpeciem ab inſtrumento accipiunt, bonitatem aut vitium ab eiuſdem apta vel inepta diſpoſitione adipiſcuntur. Vnde fit, vt actio omnis neceſſariò bona ſit aut mala. Inſtrumentum enim, quo in agendo vtitur anima, neceſſario vel conuenienter vel inconuenienter diſpoſitum eſt. Iam verò congruens diſpoſitio, ſanitas, incongruens morbus dicitur. Quare fieri nulla vi poteſt, quicquid tandem fingere libeat, vt actio corporis noſtri vlla exiſtat, quæ non proficiſcatur vel a ſanitate, vel à morbo, vt à proxima cauſa. Conuertuntur inter ſe propoſitiones iſtæ. Omnis actio laudabilis à cōuenienti inſtrumenti apparatu, ſiue a ſanitate producitur: & omnis actio à ſanitate producta, eſt laudabilis. Par ratio eſt morbidæ actionis & morbi. De actionibus loquor, quas anima in corpore & per corpus exercet, ne de iis, quas in nobis pharmaca efficiūt. Etenim calefaciunt medicamenta, & frigefaciunt, attenuant & incraſſant, extergent & obliniūt, aperiunt & claudunt, laxāt & cogūt, aliaq́ talia plurima agūt, de quib⁹ hîc nō loquimur. Hoc ſolū dico, huiuſmodi actiones non vocari corporis noſtri operationes. Quoniam operationes corporis noſtri ab anima, opera ſiue inſtrumento partis, alicuius edi oportet. Ex quo rurſus cōcluditur, id pro cauſa actionis bonæ vel malæ cenſeri non debere, quòd diſpoſitionis partiū pars nulla eſt. Flatus igitur, cùm ad diſpoſitionē cordis præter naturā nō pertineant, ſiue pars eius nulla ſint (qui enim ſubſtantia pars ſit accidentis?) cauſa vera & pro-

xima læſæ actionis cordis nullo pacto defendi poterunt. Lædunt ergò cordis operationem non primò, ſed interuentu diſpoſitionis vitioſæ, quæ morbus eſt ac dicitur. Quòd ſi corporis diſpoſitionem non mutare ponantur, ne morbi quidem cauſæ cenſeri valebunt, nedum læſæ actionis. Actiones noſtræ omnes ſunt aut ſimilares, aut inſtrumentales, ſub quibus etiam à continuitate prodeuntes comprehendo. Ex illis eſt generatio Chyli & ſanguinis, quarum hæc ab hepate, illa à ventriculo obitur. Ex hiſce eſt ambulatio & comprehenſio. Vt Chylus ex pane alterato fiat, in cauſa eſt, conueniens, aut non conueniens ventriculi temperatio. Quæ ſi vera ſunt, nec ſine iuſta temperie ventriculus rectè chylum generabit, nec ſine intemperie vitioſè aget. Quod igitur temperationis vel bonæ vel malæ ventriculi pars nulla eſt, cauſa chyli benè aut malè generati, vera & proxima cauſa nunquam erit. De ſimilaribus ſatis, de inſtrumentalibus nunc dicemus. Differunt hæ non minus, quàm ſimilares. Quippe alia eſt ſpecies ambulationis, alia apprehenſionis. Et ſpeciem hic etiam facit inſtrumenti proprietas) pedibus enim ambulatio, manibus apprehenſio fit, bonitatem & vitium eorum apta vel inepta ſtructura, quæ in ſitu, numero, magnitudine & formatione ſeu figuratione partium conſiſtit. Quare cùm hîc ſit neceſſarium, vt inſtrumenti diſpoſitio, vel ſit naturæ conueniens vel inconueniens, neceſſarium ſimiliter eſt, actionem inſtrumentalem quamlibet bonam eſſe, aut vitioſam. Omnis igitur actio inſtrumentalis bona quidem ab inſtrumenti ſanitate, vitioſa verò, ab eiuſdem morbo primò efficitur. Hinc rurſus clarè patet, abſque morbo actionem noſtram oblædi nullam poſſe. Quod vt planiùs adhuc intelligas, ſcire oportet, actionum in rebus naturalibus principia eſſe, formas, potentias naturales, temperamenta, qualitates patibiles, & habitus ſeu diſpoſitiones. Ex hiſce omnibus habitus non tam ſunt cauſæ actionum, quàm modi quidam ſecundum quos anima noſtra meliùs, aut deterius, faciliùs, aut difficiliùs agit. Per hos enim non ſimpliciter agimus, ſed bene maléue agimus. Quocirca cùm in actione qualibet modus quidam ſit, propter quem concinna vel inconcinna dicitur, neceſſarium eſt, vt à diſpoſitione congruente aut incongruente primò edatur. Quare cùm ſanitas & morbus diſpoſitiones ſint vel habitus inſtrumentorum, quorum beneficio anima operatur, nec bonam ſine ſanitate,

nitate, nec malam ſine morbo, efficere poterit. Hinc Gal. lib. 2. Meth. cap. 3. recte ſcribit, actionem tum bonam, tum malam neceſſariò conſequi partium diſpoſitionem. Si neceſſariò hanc partium διάθεσιν *ſequuntur, vbi ea non eſt, neq; bona neq; mala actio reperietur. Verba eius hæc ſunt,* ὅπου δὲ καὶ ἡ ἐνέργεια βεβλαμμένη τί καὶ ἀβλαβὴς οὖσα, διάθεσις μὲν οὐκ ἔστιν, ἕπεται δὲ ἐξ ἀνάγκης τῇ τοῦ μορίου διαθέσει. *Verè igitur conuertitur cum ſuo definito morbi definitio, cùm omnis actio læſa, neceſſariò ſequatur affectum præter naturam, qui morbus nominatur.*

Ego profectò non video, quî aliquis fingere poßit, actiones naturæ congruentes & incongruentes contrarias eſſe, nec à contrarijs tamen cauſis produci. At ſanitas & flatus contraria non ſunt. Quomodo igitur ſanitas cordis ponetur cauſa noſtræ actionis, & læſæ eiuſdem actionis cauſa ſtatuetur flatus? An vitium actionis non eſt quidam eius modus? An modi cauſa non eſt habitus vel diſpoſitio? An deniq; flatus diſpoſitio cordis eſt ſeu qualitas? Deinde, flatus actionem cordis lædens, vel mutat naturalem eius diſpoſitionem, vel non mutat. Si prius detur, diremta lis eſt. Lædit enim tum non primò, ſed per vitioſam διάθεσιν, *quam inuexit. Si poſterius affirmetur, neceſſarium erit concedere, actionem cordis oblædi naturali eius diſpoſitione integra manente: quo nihil poteſt eſſe, vel abſurdius, vel falſius. Quomodo enim imaginabile fuerit, actionem aliquam non eſſe conuenientem, cuius neq; effectrix cauſa ſcilicet anima, neq; inſtrumentum præter naturam affecta ſunt? Etiam cæcus videat aliud eſſe flatum, & aliud cordis diſpoſitionem, quam ſua præſentia cordi affert. Niſi ſi quis putat, cauſam & effectum vnum idemq; exiſtere. Flatus igitur vitioſæ actionis cordis cauſa prima non eſt, ſiue momentanea ſit, ſiue longiore tempore duret. Itaq; operationem cordis lædit flatus interuentu diſpoſitionis malæ, cuius ipſe eſt cauſa.*

Præclarè igitur Galenus lib. 1. Meth. cap. 8. differentiam inter morbum & eius cauſam traditurus, ſcribit, τὴν μὲν διάθεσιν ἅμα ταῖς ἐνεργείαις ὑπάρχειν, καὶ μὴ δύνασθαί ποτε, μήτε τὴν κατωρθωμένην ἐνέργειαν εἶναι χωρὶς τῆς τῶν σωμάτων κατὰ φύσιν διαθέσεως, μήτε τὴν βεβλαμμένην ἄνευ τοῦ καὶ τὰ σώματα βεβλάφθαι. *Hæc certè ſententia falſa & mendax eſt, ſi abſq; interueniente mor-*

bo, cauſa poteſt actionem lædere. Sed falſum eſt, nec p[illegible] uſque vllus, nec in poſterum putabit qui [illegible] er-go hoc firmum & perpetuum, omnem affectum [illegible] actionem primò lædentem, morbum eſſe: & e contra, [illegible] eſſe διάθεσιν præter naturam, quæ actionem primò lædat. [illegible] morbi non oblædit actionem aliquam primò [illegible], niſi vt prius dicebam, efficiens & effectus idem ſint.

Ab externa re, non poſſe actionem vllius membri aut partis lædi, ſic etiam noſces. Cuiuſcunque partis actionis aliqua [illegible] propria eſt, eiuſdem bona quoque & mala actio propria eſt. [illegible], exempli gratia, propria eſt oculi operatio. Ne[illegible] igitur eſt, [illegible] laudabilis, tum damnabilis viſio oculi propriæ operationes ex[illegible], ac proinde à ſolo oculo efficiantur. Si enim corrupta [illegible] re, quàm ab oculo produceretur, tum non eſſet [illegible] inſtrumentum viſionis ſimpliciter, ſed bonæ tantum [illegible] res externas ſiue cauſas morbificas quæ [illegible] non lædere viſionem, niſi diſpoſitionem eius naturalem p[illegible] & immutent. Hac non mutata, aut [illegible] eſt oculi propria operatio. Deinde nulla cauſa naturalis poteſt produce-re effectum ſecundum ſine primo, [illegible] primus cauſa eſt ſecundi. At læſa actio effectus eſt ſecundus cauſæ morbificæ, quæ in vitioſa inſtrumenti conſtitutione primò efficitur, quam morbum [illegible]mus. Nulla igitur externa res aut morbifica cauſa lædere [illegible] ſine productione morbi poteſt. Scio nonnullos [illegible] cauſam atque morbum aliquando non differre. Sicut exter[illegible] calor, inquiunt, adiuuat coctionem, quando imbecilli [illegible] iunctus eſt, ita etiam immoderatus calor co[illegible] impedire poteſt. Quid enim eſt aliud [illegible] calidi-tas præter naturam [illegible] corpori? [illegible] calorem exter-num interno add[illegible] non coquere. Coctio enim opus eſt [illegible] l[illegible], non aduentitij. Quatenus ergo externus calor [illegible] ventriculi [illegible] ſeu temperationem meliorem [illegible], eatenus [illegible]. Perbelle hoc indicauit Ariſtoteles [illegible] (ἡ πέψεως) [illegible] Quare [illegible]

iuuat

iuuat coctionē temperatus calor externus, niſi temperationē reddide- rit meliorē, ita nō lædit eam intemperatus, niſi prius temperamentum labefecerit. Eſt porro longiſſimè aliud caliditas aliena, quàm intemperies calida. Hæc enim eſt qualitas in prima qualitatis ſpecie compre henſa, cùm caliditas in tertia ſpecie ſit collocata. Deinde caliditas cauſa eſt intemperiei calidæ, non ipſamet intemperies, licet eodem nomine ſæpè vtraq; nominetur: quod in lib. de rigore & palp. cap. [illegible] Gal. [illegible] monuit his verbis: τὸ μὲν γὰρ ἐπειδὰν ἐν τοῖς κατὰ φύσιν [illegible] τῆς κράσεως, ὑγιαίνει τὸ [illegible], οὐδ᾽ εἶναι λέγει, τοῦτ᾽ [illegible], [illegible] ποκρατης ἔλεγε, [illegible] [illegible] θερμὸν, καὶ τὸ ψυχρὸν τῆς [illegible] κράσεως. [illegible] τούτοις [illegible] κρατήσῃ, [illegible] ον, εἶδός [illegible] [illegible] τῆς [illegible] σει τοῦ κρατήσαντός αὐτοῦ.

His ſi argumenta tua adiuderis, nunquā deinceps dubitabis, quin cōuertantur ambæ iſtæ propoſitiones. Affectio omnis, aut res omnis actionem aliquā noſtrā primò lædens, eſt morbus: & cuiuslibet actionis læſæ cauſa proxima eſt morbus. Vtraq; ppoſitio verè cōuertitur, quod ex dictis & dicendis liquet. Recte [illegible] a te morbi definitio deferi ditur. Nō enim licet excipere, leuiter aut momētaneè læſam, ac ſi de inſigni tantùm & durabili læſione definitionē tradere voluiſſet. Imaginatiorem hanc clare [illegible] Gal. vlt. cap. lib. 1. de Meth. medendi. Grauiter hoc nomine Olympicū reprehendit, quòd definitioni adiecerit μόνιμος*, aut* [illegible]*. [illegible] ille [illegible], adducit* ἐπίμονον*, nec tamen quot horis permanere oporteat, [illegible] cant, ita nobis ſubtrahere l[illegible] at. Nam ſi [illegible] horis, ſiue dimidio tantum horæ ſpatio, toto corpore [illegible], nec moueatur, hunc apoplecticū dicimus. Ita [illegible] conuulſus ſit, hunc comitiali morbo laborare [illegible] rū aut dierū mentione facta.* μόνης γὰρ τῆς τοῦ πράγ[illegible], οὐ τοῦ [illegible] χρόνου ποσότητος, ὑπάρχει δηλωτικὰ [illegible] ὥσπερ [illegible] εἶναι καὶ λευκὸν καὶ μέλαν, καὶ θερμὸν, [illegible] *Hæc & quæ ſequuntur euidenter probant, morbū eſſe ac [illegible] corporis noſtri affectū præter naturā actiones eius læ [illegible] longo tempore ſiue breui momento ſolum lædat. Quippe [illegible]* [illegible] πάθος, [illegible] σύμπτωμα *res ſignificāt, nō tempus, ut [illegible] & frigidū. Item repetit lib. 2. cap. 3. his verbis:* [illegible] γὰρ [illegible], [illegible] μὲν [illegible] πιάζ,

νόσημα μόνον προσαγορεύομεν, εἴτε πολυχρόνιος, εἴτε ὀλιγοχρόνιος, εἴτ' ἐν ἀκαρεῖ χρόνῳ γίγνοιτο. *Nec plura, nec euidentiora teſtimonia deſiderabis, niſi vehementer fallor.*

Cur igitur, inquies, Gal. alibi in morbo deſiderat τὸ μένον? *Equidem lib. 2. de Meth. cap. 3. duo rerum facit ſumma genera: alterum* τῶν ἁπλῶς ὄντων *ſeu* ὑπομενόντων, *alterum eorum, quæ eſſentiam &* τὸ εἶναι *totum* ἐν τῷ γίνεσθαι *poßident. In priore collocat morbum, in poſteriore* τὸ πάθος. *Eadem iam prius ſcripſerat ca. 1. li. de diff. ſymptom. his & pluribus alijs verbis:* ὥστε ἐν αὐτῷ μὲν τῷ πρίπεσθαι καὶ μεταβάλλεσθαι, καὶ ἀλλοιοῦσθαι, καὶ κινεῖσθαι, τὸ πάθος ἔχει τὴν γένεσιν: ἐν δὲ τῷ μένοντι, καὶ σῳζομένῳ περὶ τὸ ὑποκείμενον σῶμα τὴν διάθεσιν. *Et paulò poſt,* τὸ μὲν ἐν τῷ γίνεσθαι τὸ εἶναι κεκτημένον, ἐνέργειαν ἢ πάθος ὀνομάζεται μένει δ' ἐν τῷ διαμένειν ἐπί τινα χρόνον, ὑγείαν, ἢ νόσον. *Manifeſte hîc requirit in morbis Galenus, vt aliquo tempore maneant, licet in prioribus temporis rationem nullam habendam contenderit.*

Hanc difficultatem conantur aliqui ſoluere diſtinctione, ſeu explicatione τῆς ὁμωνυμίας *quæ in nomine morbi latet, dicentes morbi nomen aliquando latè ſumi pro omni morbo, ſiue durabilis & factus ſit, ſiue momentaneus & fieri exiſtat, aliquando autem pro hectico, ſeu permanente affectu duntaxat po[illegible]. In priore ſignificato, aiunt hi, etiam* τὸ πάθος *comprehendi, in poſteriore ab eo diſtingui. Video tibi quoq; hanc ſententiam probari. Sed duo ſunt, quæ me hac reſponſione contentum eſſe non ſinunt. Haud enim ſcio, an idonee probari poßit, morbi nomen ambiguum ſic eſſe, vt aliquando ſolum factum morbum, non autem fientem, aliâs verò vtrunq; ſignificet. Ego certe apud probatos authores videor mihi animaduertiſſe ſemper generaliter, nunquam pro vna ſola ſpecie poſitum eſſe. At nomine τοῦ πάθους varie admodum vſi ſunt [illegible]. Etenim [illegible] cat aliquando idem, quod morbus, [illegible] ue acutus [illegible] diuturnus, cuius rei [illegible] apud [illegible] [illegible] teſtimonia [illegible] to, de medicis [illegible] extant teſtimonia. Suf[illegible] [illegible] Aphor. 18. & in eundem Gal. exp[illegible]. Are[illegible] [illegible], & inſcripſit [illegible] παθῶν. Galen. [illegible] teſ[illegible] Meth. 3. & lib. de diff. ſymptom. cap. [illegible] [illegible] τὴν [illegible] S[illegible]*

reperies

Similia reperies lib.3, de præſagio ex pulſibus. Item 1. Epid. com. 1. ſent. 12. & com. 1. & lib. 1. de Medicat. alijsq́ locis infinitis. Ponitur ſecundo pro διάθεσει, quæ adhuc fit, vt ex 2. Meth. 3 & lib. 1. de loc. aff. liquet. Tertio ſignificat motum ſeu paſſionem. Sic enim Galenus ſcribit, πάθος δ' ἐστιν ἡ περὶ τὴν ὕλην ἀπὸ τοῦ δρῶντος κίνησις: αὐτὴ δ' ἐν τῷ δρῶντος κίνησις, ἐνέργεια. Et quòd hæc propria maximè ſit huius nominis ſignificatio in citatis locis, clarè diſces. ἡ μὲν [illegible] inquit, κυριωτάτη χρῆσις ἐστι τῆς πάθος φωνῆς ἀντικειμένη τῇ τῆς ἐνεργείας. Multo ergo latius patet ſignificatio nominis πάθος quàm vocabula νόσος, aut νόσημα. Etenim omnis morbus eſt πάθος. At non omne πάθος eſt morbus. Quando enim pro paſſione ſeu motu in re patiente accipitur (quam Galenus propriam eius nominationem eſſe aliquoties ſcripſit) contra morbum diſtinguitur, nec ſub eo comprehendi vlla ratione poteſt, cùm toto genere à morbo diſcretum ſit. Et hæc altera cauſa eſt, cur ante dicta ſolutio ſuſpecta mihi videatur. Etenim πάθος propriè acceptū, ſub morbo comprehendi nunquam potuerit. Tertia accedit, quòd etiam ſi is morbus διάθεσις eſt, etiamsi vix decima parte horæ duret. Supra ex Galeno dixi morbum & diathesin nomina eſſe quæ rem ſignificent abſque tempore, ſicut figura. Non enim magis figura eſt, quæ per diem integrū manet quam quæ poſt breue momentum mutata eſt. Aliter igitur & quidem rectius reſponderi ex modo dictis ſic poterit.

Quando Galenus πάθος morbum eſſe negat, nomen hoc propriè accipit, ſcilicet pro paſſione et motu, non autem pro diatheſi, q̃uamtumuis breui. Non ignoramus certe, diathesin quamlibet partes habere, cùm partium poſitu definita ſit ab Ariſtotele. Manifeſte perſpicies ita rem habere, ſi quæ 2. Meth. 3. et de Sympt. diff. 1. lib. in ſuper de loc. affect. 1, cap. 3. diſputat, attente perlegeris. Quippe duo rerum genera ſtatuit, quorum alterum illa communiter dixit [illegible] quæ partes ſuas ſimul habent: altero comprehendi aſſerit quæ omnem ſuam eſſentiam, naturam & ſubſtantiam habent in ipſo fieri, mutari, alterari, moueri, &c. hoc eſt, quæ partem factam nullam habent. Actio ſeu ἐνέργεια, inquit, non eſt ex eorum genere, quæ ſimpliciter & abſolutè exſiſtunt: quod his verbis declarat, [illegible] χρόνοι [illegible] μὲν εἰ τὰ μόρια, καθάπερ οὐδ' ἐν τῷ λέγειν, [illegible] μιᾶς, ἀλλ'

ἔργον τὸ πάθος ἐν τῷ γίνεσθαι τὸ εἶναι λαμβάνει. *Quòd ſi iam cogites πάθος ab ἐνεργείᾳ re et ſubiecto non di[illegible]re, ſed ratione tantùm diſtingui. (Idem enim motus, quatenus ab agente prodit, actio, quatenus in patiente eſt, πάθος ſeu paſſio dicitur. Hinc Gal. κίνησιν περὶ τὴν ὕλην ὑπὸ τοῦ δρῶντος definiuit) non dubitabis de veritate dictorum.*

Ergo πάθος, quatenus contra morbum diſti[illegible]tur, & ſub morbo non contineri dicitur, non ſigni[illegible]cat [illegible], ſed [illegible]nem. Quis enim audeat cogitare, nedum dicere, [illegible]ue longam, ſiue breuem, adeoq́ momento vno vix durantem, [illegible] habere partes factas ſiue ſubſiſtentes? Diatheſis om[illegible] [illegible] aliquid [illegible], nec eſſentiam ſuam omnem habet in ipſo fieri, [illegible] actiones & paſsiones. Si ergo diatheſis partes habet ſubſiſtentes [illegible] aliquando tempore durent, certum eſt, πάθος, quatenus [illegible] ſignificat, morbo non aduerſari. Motus hæc eſt natura, vt partes [illegible] non [illegible] niſi dum fiunt, & cum primum factæ ſunt, [illegible] deſinunt. At diatheſeos ea eſt natura, vt partes ſuas [illegible] ſubſiſtentes, inſtar figuræ. Nec refert, quòd [illegible], tum figura, tum diatheſis ex[illegible]. Nam [illegible] habet figura, quia ijs, in quibus [illegible], ipſa quoq; mutatur. Idem in diatheſi, qui verum [illegible] non videt, [illegible] inſtrumentalium morborum plerorunq; (vt de ſimilaribus nihil dicam) natura ſit, nondum plenè percepit. Nulla ergo eſt in Galeni verbis contradictio.

Interim d[illegible] non debeo, Galenum hac de re negligentius plerunq; [illegible] cùm ſic ſcribit, αἱ τοιαῦται διαθέσεις ἐπειδὰν ἀλλοιῶνται, [illegible] ἀλλοιοῦνται μὲν, ἀλ[illegible] Hæc [illegible] plurima, niſi amicè exponas, probare [illegible] eſſe, Diatheſis [illegible] alterationem [illegible] falſa eſt. [illegible] magis [illegible] non [illegible] quod eſt [illegible] perfici ac

ri ac mutari? Contradictionem includit hæc propoſitio: Res hæc ſecundum id mutatur, ſecundum quod mutata eſt. Talis & hæc eſt. Res hæc diſponitur iuxta id, iuxta quod diſpoſita eſt. Per accidens igitur moueri dicuntur diſpoſitiones (aut ſecundum has ſubiecta eis corpora) quatenus ſcilicet diſpoſitio in corpore in eſt, quod diſponi amplius poteſt. Huius potentiæ ſeu habilitatis reſpectu, augeri ac mutari diſpoſitio dicitur. Sed de hac re debes legere, quæ Ariſtoteles 7. Phyſicorum cap. 3. ſcripſit, nec legere ſolum, verum etiam accuratiſſime expendere. Nam cardo præſentis diſquiſitionis in huius rei intellectione, conſiſtit. Si enim, cum Galenus dicit, alterationem ad ſtabilem peruenire diſpoſitionem, ſimpliciter verba accipias, vt ſonant turpiter errabis. Non enim alteratio, vel motus, vnquam in illa forma, quæ per motum & alterationem acquiritur. Qui enim motus permutaretur in quietem, ſuum contrarium? Hoc ne fingere quidem facile eſt, vt ait Ariſtoteles. Per accidens peruenire alteratio ad diſpoſitionem dicitur, quatenus alterato corpore aut mutato exiſtit. Quare ad ipſam rei naturam potius, quàm ad verba reſpicere, & quomodo dictum iam eſt, interpretari ea oportet.

Definitione morbi explanata, reſtat, vt paucis [illegible] ad ea reſpondeam, quæ obiecta tibi ſcribis. De cordis poſitione dictum ſatis eſt. De [illegible] obſcuriores, aut non habiles concoqui, non [illegible], recte tu reſpondiſti. Longe differunt opinio & [illegible], vt operatio partis læſæ ſemper ſit, [illegible] fruſtratur. An enim læſus eſt homo ſanus, qui curſu leporem aſſequi non valet? De vertigine, quam a cauſa ſpiritus rotante, eſſe [illegible] (eam exempli gratia nunc ponemus, flatulentum ſpiritum eſſe) facilis eſt reſponſio. Aut enim ſpiritus hic cerebri partium diſpoſitionem, mutat, aut non mutat. Si mutat, ſaluus eſt. Si non mutat, cum res externa deprauat actiones cerebri, nec ei tamen incommodat. Ratio par eſt tinnitus aurium, ſyncopes &c. Si enim cauſa inſtrumentorum, diſpoſitione integra & ſalua manente operationes eorum lædit male a Gal. dictum eſt, cauſam actiones oblædere, [illegible] [illegible]. Sed falſum eſt illud figmen-

tum, non hæc Galeni oratio. Velim aliquis me doceat fingere quomodo res externa poſſit actionem alicuius inſtrumenti impedire, ſi eius ſtructuram nulla in re læſiſſe noſcatur.

An verò gulæ diſpoſitio læſa non eſt, cùm pomum in ea infixum deglutionem impedit. Locus ex vltimo capite lib. 1. de aff. loc. ad rem nihil facit. Sicut partes habent vires innatas & influentes, ita diſpoſitiones habent ad hanc & illam rectè exercendam. At Galenus affirmat, partium, quæ ſentiunt & mouentur, operationes lædi poſſe, nihil ipſis perpeſſis. Qui hæc verba, vt ſonant, admittit, mentitum Galenum fatebitur, aut contradictoria ſimul vera eſſe concedet, cùm in fine 2. cap. ſcripſit, καὶ γίνεσθαι [illegible] τῆς ουρεθησομένων πεπονθέναι πόνων, ἀρχὴν, τὸ μηδέποτε βλάπτεσθαι μηδ' [illegible] *&c. At verum vtrobique dixiſſe intelliget, qui ac[illegible] mentem ipſius obſeruat. Cap. 6. hæc habet* τινῶν μὲν [illegible] μορίων, μηδὲν νόσημα τῆς σωματικῆς οὐσίας αὐτῶν [illegible] *intelligit partium ſtru[illegible] animali ſpiritu, qualis in diſſectionibus appa[illegible]et.* [illegible] οὐσίαν *ipſis dee[illegible], eamque ob cauſam p[illegible] tas. Equidem pes, exempli gratia, inſtrument[illegible] ambulation[illegible]s, potentia, non actu, cùm ſpiritu animali deſtituitur, licet nec in temperie nec in conformatione vitium habeat. Tum autem actu inſtrumentum eſt ambulationis [illegible]ceſſus, cum præter dicta, vim cerebri ſuſcipit. Æger igitur eſt, & non æger, prout conſideratur. Quæ n[illegible] me aliquis opi[illegible]etur, legat finem 1. cap. lib. 3 de [illegible].*

Ex dictis facile intelliges veritatem eorum, quæ de 1. cap. lib. 3. de Sympt. cauſis alias ſcripſi, vt longiore expoſitione [illegible] Conferre poteris cum iam dicto loco, quæ in 1. de loc. aff. cap. 3. Gal. itidem ſcripſit.

Quomodo verò inquis, lædunt actiones, pomum in gula & lapis in veſica inhærens, [illegible] ventriculi actionem non lædit? Ratio dueru[illegible] eſt, quod [illegible] cauitas naturaliter ab ingeſto cibo [illegible] non autem debet ſic a lapide veſicæ ſpatium [illegible] in gula [illegible] hærere, ſed pe[illegible] Cer[illegible] ille tempore [illegible] cibo [illegible] exi[illegible]es, [illegible].

modant. Vitioſi humores, ſi tantùm coqui & vinci ſint inhabiles, nec qualitate nec copia moleſti inſuper ſint, eandem cum illis rationem habent. Si autem calefaciant, mordeant, vel aliud ſimile faciant, non iam inconuenientis obiecti rationem duntaxat obtinent, ſed etiam morbificæ cauſæ naturam poſſident. Mutant enim tunc diſpoſitionem ventriculi naturalem, ſiue ſimilarem tantùm, ſiue inſtrumentalem, ſiue vtranq; ſolicitent. Agit ergo ventriculus in ceraſorum nucleos, nec ab eis mali aliquid patitur, aut in agendo impeditur, vt gula ab infixo pomo, & à lapide inhærente veſica, patitur.

Verum, qui pedes laqueo ligatos habet, morbo verè et propriè affectus ſit, cum quæris, quod à multis quæſitum eſt, interrogas. Reſponſio eſt facilis, ſcilicet laborare eum morbo. Si enim ſecundùm naturam affectos haberet, libere moueret pro arbitratu. Nec ſatisfacit, quòd diſpoſitionis cauſa dicitur externa eſſe. An enim telo traiectus aut gladio tranſuerberatus, ſine morbo moritur? An cui ignitum ferrum aut medicamentum ignitum impoſitum, dolorem excitat, ab omni morbo vacuum dicemus? Si hîc non licet dicere, cur iſtic? Res certè vtrobiq; ſimilis eſt: niſi quòd in his ablata cauſa, ſæpe remanet effectus, in illo caſu, cum iniectione vinculorum, ſimul inducitur praua diſpoſitio, & cum ſolutione eadem aufertur rurſus. At hoc non facit, vt non fuerit διάθεσις præter naturam actionem impediens. Quare non fuit is, cui iniecta erant, à morbo inſtrumentali immunis. Si iniecta vincula ita pedes læſerint, vt illis ſolutis nihil minus ambulatio maneat impedita, annon male diſpoſitos pedes hunc habere dicemus? Cur ergo remanens diſpoſitio morbus eſt, cum vinculis deſinens, non eſt? Si, quia cum ſua cauſa abit, reſpondeas, iam pleroſq; morbos inſtrumentales, morbos eſſe negabis. An enim, cum vrinæ meatus obſtructus eſt à craſſa pituita, vt lotium reddi non poſſit, obſtructio hæc morbus non eſt, quia cauſa ablata euanuit? Non puto. Sed & cordis intemperies, in febribus putridis ſolubribus, morbus non foret. Nam putrido vapore & humore excreto ſtatim extinguitur ac lædere deſinit. Cæterum non [illegible] vinculorum iniectionem, vocare morbum: duab[illegible] Prima eſt quòd morbum hunc cùm volumus, ſoluere [illegible] Altera eſt quòd ad artem non videtur pertinere, cu[illegible] Quare [illegible],

mo[illegible] eſt ſi artem [illegible]es, ad eam, morbi huius depulſio, non pertinet.

H[illegible], quæ nunc mihi ad tuam diſputationem occurrerunt, de qua in tertia parte Antiparacelſ. diſput. fol. 191. & in libro de cauſa continente iam ante fuſe egeram. Quæ de diſcrimine motus & termini per eum acquiſiti attigi, verboſius ad D. Pecium Monauum expoſui. Et cùm in huius rei intelligentia conſiſtat propè totius quæſtionis propoſitæ de[illegible], [illegible] etiam breuiter quædam repetere debui. Eſt autem ſumma eius rei. Nunquam corpus ſecundum id alterari, ſecundum quod alteratum eſt, nec motionem quæ omne ſuum eſſe in ipſo fieri habet, vnquam transmutari in factam.

De ſubiectis febrium [illegible] ſcripſi iam tractat[illegible], in quo examinantur tria paradoxa Laurentij Iouberti Galli ([illegible] paradox. 2. 3. 4. ſecundæ Decadis) de febribus. Hic omnia, quæ ad hanc rem pertinent, perſpicuè, vt puto, vereq; ac ſolidè de[illegible] reperies. Prodibit is proximis nundinis, niſi Typographus impeditus [illegible] recepit, excudere. Quare nihil addam, cum al[illegible]s oc[illegible]. Reſtant etiam literæ ſcribendæ ad D. Mercurialem, qui [illegible] me quærit, quod cum ſuperiore diſputatione maximam [illegible]. De priuatis tuis rebus ſeorſim ſcribam, cum p[illegible]o occaſionem literas mittendi. Vale. Die 8. Febr. 79.

Epiſtola XVI.

AD D. THEOPHILVM MADERVM.

De calore inſito, qui triplex apud Medicos ſtatuitur.

A*Cepi nuper tuas literas, & quæ de natiuo calore dubitas, legi. Calor inſitus apud Medicos triplex eſt, vt dixi. Nam et temperamenti cuiuſq; partis [illegible] calorem [illegible]. Hic im[illegible] cor[illegible] de in partes corporis [illegible] calor [illegible] im[illegible]um per[illegible] [illegible] infor[illegible]me[illegible]. I[illegible] Gal. natiuum calorem [illegible] [illegible]a[illegible] [illegible] hyeme [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ſanguinis [illegible] [illegible] [illegible] eſt, [illegible]*

[illegible]

quidem ſpiritus. Equidem tantò eſt implantatus calor partium vegetior, quantò largiorem halitum talem coniunctum habet, quòd, vt dixi, qualitate ſimili præditus ſit, & ob id vtrumq; calorē augeat & iuuet multò amplius, quàm temperatus fomentorum puellorum, catulorum, balneorum, &c. calor: quem Naturæ operationes adiuuare nullus neſcit. Propriè igitur natiuus calor eſt, [illegible] partibus [illegible]xus eſt, & à temperamento oritur. Ab influente non naturam & proprietatem hoc vel illud faciendi (carnem ſcilicet, aut os, aut neruum, aut chylum, aut ſanguinem generandi) accipit, ſed actū ſolum re[illegible], vt plantarum radices ac ſemina à Solis calore. Ambo autem à tertio adiuuantur, cum [illegible] conſiſtit. Quoties enim hic [illegible] fit & ſqualidus [illegible] facilè inflamatur, febresq; ſuſcitat. Primus calor nunquam [illegible] non quaſi [illegible] inſtar [illegible] propriè ſpiritus [illegible] dicitur) aut tertij (quem flatum aut halitum [illegible]ctius appellauimus) ſeu qui [illegible] aërea & ſpirituoſa quadam ſubſtantia præcipuè inhæreat. Subiectum huius primi caloris, quin ſit primogenium humidum ex ſemine ac ſanguine concretū, nullus vnquam dubitauit. Secundi & tertij ſubiecta ſunt, alimentares humores in corpore alterati, & nec dum in ſemen conuerſi. Ex [illegible] iſtis, & vt ego arbitror, maximè perſpicuis verbis, omnes dubitationes ac nebulæ diſcutientur, quas aliqui huic materiæ offunderent. Nec de alio caloris ſubiecto loquutus eſt [illegible] citatis à te verbis [illegible] primi & propriè ita appellati. De eodem Ariſtot. ad eum modum loquitur, lib. de long. & breuit. vitæ. Hic eſt [illegible] putredinem inducit quique per μαρανσιν (ſub qua comprehenditur [illegible]), & per σβεσιν occidere ſolet, miſtumq; diſſoluere. Si quid præterea eſt in tuis literis, cuius iam non memini, facillimè ex prædicta diſtinctione explicabitur. Quæ deinceps inter legendum occurrent libenter pro viribus tibi explanabo, ſi modò ad me ſcribere dignaberis. Patrem fratremq; ex me plurimùm ſalutabis. Baſil. 29. Aug. 8..

Epiſtola XVII.

AD D. HIERONYMVM CAPIVACCIVM.

Morbos quoſ[illegible] eſſentia, [illegible] Tria [illegible] tium morborum [illegible] ſubſtantiæ. 3. Vtrum [illegible]

Accepi à D. Theodorico Sim[illegible] nostro, [illegible], aduerſus Theſes noſtras de contagio [illegible], vir [illegible] omniū officiorum genere colend[illegible], [illegible] à [illegible] gē eruditiſſimis D. Pater[illegible], die 20. Sept. quæ mihi [illegible] auro gratiores, vel hoc nomine fuerunt, quod aditum mihi ad tantorum virorum familiaritatem fecerunt. Scribit enim Theodoricus noſter de tua excellentia, in hunc modum. Excellentiſſ. D. Doct. Hieronym. de capit. Vaccæ, Nobilis Pat[illegible] practices primarius profeſſor, Theſes magnoperè commendauit, mihiq; ſuum de eis iudicium dictauit. Cupit tecum de eiſdem per literas, cum aliter non poſsit, conferre: ac petit, vt proxima occaſione, [illegible] ſe ſ[illegible] poſitis negotijs alijs, certo reſponſurum. Quæ [illegible] refero, vir præſtantiſſ. vt ne putes, me tàm audacem eſſe, vt [illegible] te, literis hiſce, interpellaturus. Quippe in eo [illegible] et dignitate [illegible] es, ea doctrina ornatus, ijs natalibus ortus, [illegible] præditus, vt meritò te revereri debeam. [illegible] collationem deſideras, gratificari tibi pariter [illegible]. Certò enim certius eſt, ex mutuis bonorum colloquijs, [illegible] vtroſq; vberrimum peruenire.

Duo autem ſunt præcipua capita [illegible] altero morbos contagioſos nullos dari (ſi [illegible]) nec in materia putri, vt ſubiecto, eos inhærere [illegible] non putreſcere poſſe probare conaris. Priorem partem [illegible], ex eo concludis, quod nec intemperies, nec vnitatis ſolutio, [illegible] priuatio per ſe contagioſa ſint: cum quæ per ſe [illegible] formaliter, vt tu loqueris, [illegible] omnibus [illegible]. At nec omnis intemperies nec omnis [illegible] ſolutio, [illegible] contagioſa eſt: imò nulla ex his [illegible] per contagium ſe in alios promouet. Partem alteram [illegible] argumento, quod [illegible] partis [illegible]. Quod [illegible] attinet [illegible] Parallelum perte, [illegible] probaui: Nec in [illegible] aliud dixi: quin imò in 7. [illegible] aſſerui. Longè [illegible] alia eſt oratio, quæ [illegible] materia, [illegible] ſubſiſtere [illegible], [illegible] morbos in [illegible], vt ſubiecto, inhærere [illegible].

Prius

Prius nos affirmauimus, poſterius nullibi diximus ſcientes: niſi fortè per negligentiam aliqua illo exciderit. Cæterum diſcrepare duo illa, facilè ex eo perſpicitur, quòd contagium propriè nominatum, nil eſt aliud, quàm ſpecies quædam putredinis, quæ in vaporibus de corpore vno ad aliud tranſportatur: quod de morbis præter Paracelſum & diſcipulos, nullus vnquam intelligens affirmauit. Sic ſe habet res, inquies. vicimus: ac morbum nullum contagioſum eſſe rectè aſſeruimus. Ego verò id minimè conſequi reor. Primum enim pugnat hoc cum experientia: contra quam fruſtra omnes ſtruuntur argumentationes. Magna certè foret dementia, propter rationem probabilem veritatem, per experientiam & ſenſuum rectè iudicantium iudicium, comprobatam negare. Deinde ſi ſic liceat concludere, eadem ratione demonſtrabimus, nec febres nec morbos alios vllos putridos exiſtere. Plurima quoq; alia cum aperta veritate palam pugnantia, vera eſſe illa ratione probauerimus. Vix puto quenquam inuentum iri, qui non videat intemperiem calidam vnam, a calida intemperie alia, diſcrepare, vel cauſa, vel ſubiecto, vel magnitudine. Quod ſi ergo differentia quæratur inter duas cordis intemperies calidas (& in magnitudine diſcrimen percipi nullam poſſit) quarum altera pernicioſa ſit, altera periculi expers videatur, in cauſarum diuerſitate, diſtinctionem quærendam eſſe, cuncti intelligunt. Quæ enim in parte peccatum hæret? In hac conſiſtit argumentatio [illegible], quòd de morbis, qui ſunt affectus phyſici, diſſeris non phyſicè. Phyſici enim rerum [illegible] materia, ſubiecto, & cauſis [illegible] definit, neque [illegible] more Mathematicorum abſtrahit. Etſi ergo putridus humor, non ſit pars eſſentiæ febris, ſi in abſtractione ſpectetur, tamen eſt pars eius quatenus in certo corpore eam efficit, aut conſeruat: atq; pars quædam eſt definitionis putridæ febris. Differunt certè plurimum febris, & putrida febris. Illa enim ſine putridi humoris mentione definiri poteſt: hæc autem, nec definiri, nec intelligi ſine putredine poteſt. At verò ſine quo aliquid nec percipi, nec finiri poteſt, id certè pars aliqua eſt eſſentiæ, ſaltē quatenus intelligentia comprehendi debet. Quod curatio quoq; febrium variet pro diuerſitate cauſarum, atq; aliter putridæ, quàm non putridæ curentur, quamdiu putredo [illegible] ſic [illegible] conſiſtere nequeant, controuerſia omni caret. Quare non facilè con-

ceſſerim febris peſtilentis eſſentiam nil aliud [illegible], quàm intemperiem calidam cordis. Non enim hæc eſt integra huius febris defin[illegible]. ſed pars tantùm: quemadmodum eſſentia vlceris à rabioſo cane inflicti, non ſola continuitatis ſolutione comprehenditur. Ergo vt febris peſtilens non ſit contagioſa ratione intemperiei (quoad abſolutè cogitatur intemperies eſſe, ac ſine ſua cauſa generatim conſideratur) tamen contagioſa eſt, quatenus talis eſt intemperies: & cum ſua cauſa ſpeciatim æſtimatur. Quippe vapores in corpore creat, qui ad alios delati, ſimilem intemperiem ſuſcitant: quod de abſoluta intemperie ne quidem fingere licet. Quamobrem diſcrimen omnino maximum eſt inter intemperiem calidam, & hanc talem intemperiem calidam: dum hæc noxios, illa innoxios halitus in corporibus [illegible]. [illegible] clarius quod ſentio. Nego vllam intemperiem [illegible], rectè nominari vel putridam, vel peſtilentem. Vt [illegible] voces, id addere oportet, quo ab alijs intemperiebus differt. [illegible] differentiæ vicem o[illegible]. Hac non addit[illegible] eſt generalis intellectus. vt cum dico ſubſtantia ſentiens [illegible] eſt ſubſtantia ſenſus particeps, non complectitur tamen [illegible] hominis eſſentiam ſed partem ſolummodo quandam [illegible] eſſentiam comprehendentis. Quid igitur [illegible] differt ab intemperie alia non contagioſa? Venenata & [illegible] putredo. Hæc ergo ad eſſentiam exprimendam neceſſaria eſt, cùm ſine ea definiri, & intelligentia comprehendi nullo [illegible] valeat. Equidem [illegible] & Phyſici τὰ ἐκ π[illegible] conſiderant: hoc eſt, naturales affectiones non ſine ſubiectis & cauſis ſuis [illegible] λ[illegible] tici, quorum munus eſt τὰ ἐκ ἀ[illegible] ὡς [illegible] ſolent. Summa eſt. Intemperies calida, quoad [illegible] ſolum [illegible] rat vapores noxios & contagioſos. At intemperies [illegible], quod [illegible] tali [illegible] vapores [illegible] intemperies [illegible] eſt [illegible] vna [illegible] peſtilentis [illegible] peſtilentis [illegible] tali quadam intemperie, quam [illegible] a [illegible] quod ne[illegible]

[illegible]

tur, morbos quoſdam ſua eſſentia eſſe contagioſos: & proinde argumentum quo contrarium oſtendebatur, propoſitum non demonſtrare. Nunc obiter [illegible] quædam ad hoc caput pertinentia perpendemus. Cum facultatem in morbis lædi affirmat præſtantia tua, quòd ea conſiſtat in conuenienti temperie, vnione & conformatione partium, Galeno conſentanea quidem eſt oratio, ſed impropria: vt ego quidem iudico. Nam facultas nec temperamentum eſt partium, nec vnio, nec conformatio earundem: non eſt, inquam, [illegible] vnum ex his, vel duo, vel omnia: nec ex his ortum aliquid [illegible] eſt animæ vis ſeu poteſtas [illegible] quam Ariſtoteles etiam, [illegible] lædi negat. Sed fruſtra de hac re diſputatur, cum [illegible] & explicatio cœlitus patefacta eſt: de animæ, [illegible] immortalitate. Verè infeliciſſimus eſt, qui plus [illegible] iudicio, & ratiunculis, cum verbo Dei pugnantibus, attendit, quam voci diuinæ. Ergo ſi incorruptè ſentire & propriè loqui debemus, facultates animæ per morbos non lædi dicemus, ſed earum inſtrumenta. Impoſſibile eſt actionem aliquam (de illis loquor, quas abſque inſtrumento corporeo, non poteſt anima edere) lædi, nullo in eius inſtrumento vitio exiſtente. Non minus impoſſibile eſt, inſtrumento læſo, pro læſionis modo, non impediri eius actionem. In cauſa eſt [illegible] vt in A[illegible] fuit, firmè, [illegible] multo minus [illegible] actiones ſimpliciter, cauſa & p[illegible] agere nihil poteſt: & [illegible], diuerſas edit operationes: vt actionum [illegible] inſtrumentorum diſcrimini acceptas ferre cogamur. Ita vis animæ [illegible] per oculos, viſionem per aures, auditionem, &c. exercet: tamen [illegible] ſecundum rem eſſentia. Sic ergo res illa habet. N[illegible], exempli gratia, per ſe eſt actionis [illegible] cum certo inſtrumento (vt cum [illegible] hepate generationis ſanguinis) certæ [illegible] Per inſtrumenti congruam vel incongruam diſpoſitionē bonæ vel malæ, actionis eſt cauſa

Actio ſimpliciter tolli nequit, niſi anima tollatur. Actio certa tolli poteſt, inſtrumento eius ablato. Actio hæc certa (vt proba concoctio cibi) impeditur, per ventriculi vitioſam diſpoſitionē. Hac naturaliter habente, impoſſibile eſſe iterū dico, vt concoctio ſit vitiata. Per ſolas igitur inſtrumentorum læſiones, læduntur actiones: non autē per facultatum læſiones. Perſpici hoc ex eo etiam poteſt, quòd facultatis eſſentia læſa, neceſſarium foret, actiones eius ſimul omnes lædi. Sed ventriculi officio impedito, non continuò etiam hepatis, venarum, inteſtinorum, carniū, munera impediri cernimus. Quin imò eiuſdem particulæ vim, retentricem (exempli cauſa) debilitari nouimus, reliquis illæſis permanentibus. Quare impropriè dicimus facultatem lædi, cùm inſtrumenti diſpoſitio vitiata eſt. Magna igitur eſt illorum imprudentia, qui neſcio quos morbos totius ſubſtantiæ comminiſcuntur præter vſitata tria morborum genera: in qua ſibi imaginatione fruſtra tantopere blandiuntur. Nam tria ſunt, non plura, quæ hic ſunt conſiderandæ. Actio ſimpliciter, ſiue generica: & actio certa ſeu ſpecialis: & actio bona vel mala. Actionis ſimpliciter (non huius vel illius) cauſa eſt anima ſeu facultas eius, quæ nec ægrotare nec mori poteſt. Hæc cum certo & definito inſtrumento eſt certæ & definitæ actionis cauſa: vt inſtrumento præſente, non poſſit non adeſſe in corpore viuente. Vt autem determinata actio laudabilis aut illaudabilis ſit, ab inſtrumenti conueniente vel inconueniente [illegible] diatheſi. Differunt autem plurimum actio certa, vt concoctio, & bona vel mala concoctio. Ergo cùm facultas ſit ſolius actionis ſimpliciter cogitatæ cauſa: & cum inſtrumento determinatæ [illegible] opifex: cum eiuſdem inſtrumenti bona vel mala diſpoſitione [illegible] effectrix bonæ vel malæ actionis: et præter hæc nihil reperiatur, conſtat nullos alios morbos [illegible] ad rem [illegible]. Ex [illegible] neceſſario efficitur, [illegible] externam [illegible] internam, actionem aliquam corporis impedire, [illegible] partis diſpoſitionem [illegible]. Certè [illegible] poteſt liberè [illegible]. Nullum ergo aliud eſt inter externa [illegible] manibus demptæ [illegible] opera & pharmacorum [illegible] tolluntur. Et [illegible]

[illegible] id

ob id morbos: ab externis rebus facta, non ſic appellamus: cùm vel noſtra voluntate, vel aliorum nobis ſint obiecta: & eorundem voluntate remoueri iterum poſſint. Nihilominus verum & perpetuum hoc manebit, actionem corporis humani omnem, à ſola præter naturam diſpoſitione impediri: quantumuis homines, non omnem talem diſpoſitionem, morbi nomine dignentur: ſed illam tantummodo ſic appellent, quæ à cauſa interna, vel huic ſimili ſuſcitatur. Eadem enim ratio eſt, ſiue ab externa, ſiue ab interna cauſa, in membra introducatur diſpoſitio naturæ noſtræ non congruens. His poſitis, quæ refelli nullis poſſe rationibus mihi perſuaſi, concedi non poterit, quòd de materia putreſcente actionesq́ue velut externum erratum lædente, adfers. Iam enim diſtinctionem hanc de læſione facultatis, & extrinſecus oblato impedimento, nihil probare ſatis declaraui. Nec poteſt vlla ratione defendi: materiam putreſcentem, actionem lædere, ſiue læſione facultatis, vt tu loqueris, vel ſine læſione diſpoſitionis inſtrumentorum naturali, vt ego dicere ſolitus ſum. Sic enim ſcribis. Quare concludemus, contagioſa vitia eſſe talia, vt in ipſis lædantur actiones partium viuentium, non tamen propter læſionem facultatis, ſed externum erratum, quod eſt materia putreſcens, Item. Cùm materia putreſcente in pulmone, eiusq́ operationes lædente, coniungitur etiam morbus, qui eſt ſoluta vnitas. Item. Similiter in peſte, cum materia putrida, venenoſa lædente operationes, coniungitur morbus, nempe calida intemperies. Quare vitium contagioſum eſt materia putreſcens lædens immediate operationes. Hæc tua ſunt, quæ quomodo probem nõ video. Etenim pro impoſſibili prorſus habeo. partis alicuius operationem læſam, diſpoſitione eius naturaliter habente. Ergo putreſcens materia, vel eſt ipſamet partis, cuius actio læſa ponitur, diſpoſitio, vel ab ea diuerſum aliquid eſt. Diſpoſitio membri eſſe non poteſt. Aliud ergo eſt. Sed actio omnis competens, vel non competens, à ſola membri diſpoſitione conueniente vel inconueniente proficiſcitur abſq́ medio. Materia igitur putreſcens, cum a diſpoſitione aliud ſit, per ſe & primo (ſeu immediate) actionem non lædit. Venio ad caput alterum, quo probare niteris, ſpiritus non putreſcere duobus ſimiliter argumentis. Primum eſt, vt putreſcant ſpiritus, oportet eos ſeipſis effici calidiores. At nihil reperitur calidius inter ea quæ natu-

raliter in nobis inſunt. Quare putreſcere nequeunt. Alterum eſt, Finis putreſcentium iuxta Ariſtotelem, eſt conuerſio in puluerem ſiue cinerem: hunc autem præcedit ſumma attenuatio. Spiritus ergo non poterunt in cineres verti, cum eouſque attenuari ac rareſieri nequeant, priuſquam euaneſcant ac diſsipentur. 12. Meth. Ergo putreſcere minime poſſunt. Primum nonnihil ambigo, an, quæ putreſcunt, ſenſibiliter calidiora omnia efficiantur. Etenim putria quædam minus calent quàm incorrupta dum eſſent, calerent: quod ſanguinis illa putrefactio, qua in grumum vertitur, & putrefactum ſemen abundè probant. Equidem Symptomata ab his excitata frigiditatem potius conſequuntur quam caliditatem præter naturæ modum auctam. Quod ſi ergo ſanguis amiſſo calore ſuo, quem poſſidebat, putreſcere certo quodam modo nonnunquam poteſt, non mirum ſit, ſi idem ſpiritibus (qui ex eo, vt propria materia geniti ſunt) [illegible] venit. Sed eſto, ſit neceſſarium eos incaleſcere magis [illegible] non poteſt? Ego inflammari amplius poſſe [illegible] habeo. Non enim, quia in corpore naturaliter [illegible], nihil eſt [illegible] calidius, calefieri amplius nequeunt. Primum, quia [illegible] calor, labor, ira, pharmaca, vina generoſa, &c. accendere [illegible] calorem ſolent. Deinde obſtructiones & affectiones aliæ præter naturam euenientes, idem poſſunt efficere. Neque [illegible] eſt ignis comparatio, qua vteris. Ignis enim cal[illegible] eſt [illegible] omnium, vt eo calidius nihil inueniatur. Quod [illegible] non recte affirmatur. Et [illegible] calidior [illegible] partibus corporis, non tamen calidiore [illegible] pluribus [illegible] alijs plurimis : e quibus ipſi accendi valent. Ignis [illegible] [illegible] Nam [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] putre-

putreſcant ſpiritus, non ſatis firmum videtur. Quoniam tenuiora & rariora corpora, promtiùs ſuſcipiant alienum calorem: & ob id ci‑ tiùs putreſcunt denſioribus & craßioribus. Et quamuis nimia rare‑ factione & attenuatione diſsipentur, certò tamen affirmare nullus poteſt, num ad id, vt putreſcant, eos neceſſarium ſit, haſtenus atte‑ nuari. Multi ſanè ſucci in halitum verti & [illegible] poſſunt, qui à multo minore calore putreſieri etiam poſſunt. Sed nec illud rectè dicitur, omnia putreſcentia in cinerem ſolui. Nam Ariſtoteles hoc affirmauit de illis, quæ impropriè vocata putredine pereunt: non de illis, quæ propriè dicta putredine, de qua nobis ſermo eſt, corrum‑ pantur. Tanta [illegible] eſt inter [illegible] putredines diſcrepantia, vt non magis differat album à nigro, vel calidum à frigido. Errant, qui ſic ſolum dictare auſi ſunt, quomodo [illegible] hora vel incipiens putredo, diſcrepat à perfecta tam & abſoluta. Quippe genere tota diſtincta ſunt. Nam vna, impropriè ſic nominata, finis eſt naturalis interitus mi‑ ſtorum: Item miſti, quoad miſtum eſt, diſſolutio in elementa. Al‑ tera, de qua nos loquimur, & quæ propriè ſic eſt dicta, eſt violen‑ ta rerum corruptio. Nam quæcunque intereunt, vel natura, vel mor bo occidunt. Iam nullus eſt adeò rudis, qui neſciat hanc putredinem eſſe morboſam, non naturalem: Eadem non eſt finis interitus natu‑ ralis, ſed principium & cauſa corruptionis violentæ. Item commu‑ nis eſt affectio miſtorum tùm animatorum, tùm inanimatorum. Denique non mox reſoluuntur per eam res corruptæ in Elementa, ſicut per illam. Sæpenumero enim ex partibus quibuſdam ſic affectis ge‑ nerantur animalia, vt vermes, aut res aliæ. Non ſpiritum, quem ex‑ ſpiramus, in phthiſicis & peſte vera laborantibus, putredine hac pu‑ trefactum iudicarunt, tum Ariſtoteles, tùm alij omnes? Vbi ergo ci‑ nis, in quem reſolueretur, oſtenſus aliquando fuit? Sic & aërem im‑ purum, nonnunquam putredine [illegible] nouimus: nec tamen hos cineres relictos conſpeximus.

Hæc indagandæ & eruendæ veritatis gratia, reſpondere ad tuas obiectiones, vir ornatiſſime [illegible]. Quæ [illegible] videntur, in reſponſione, ad D. [illegible] adferen‑ tur. Mittam autem [illegible] eius exemplum, ne quid [illegible].

In præſentia hoc ſolùm monebo, quæ de ſpirituum putredine ambo obijcitis, cum ſententia theſibusq́; noſtris minimè pugnare: etſi omnia vobis concedantur. Si quid valent, de ſpiritu ſincero & puro accepta valent: qualem non magis dari certum eſt, quàm ſanguis purus ab omnibus alijs humoribus ſeparatus, actu reperitur. Equidem ſpiritus cordis (de hoc enim præcipuè diſputatur) ſemper cum fuligine, cum vaporibus diuerſiſſimis cum aëre & halitibus alijs, per inſpirationem attractis, miſtus eſt. Cùm Ariſtoteles, Galenus & alij phthiſicos dicunt ſpiritum habere putridum, non de ſincero ſpiritu ſed de eo, qui inter exſpirandum emittitur, loquuntur. Sic Galenus Empiricus ſpiritum, intra corpus concluſum coctionis authorem faciens, non de puriſſimo ſpiritu, vult intelligi. Et hoc pacto eum exponendum eſſe euidentiſſimè ipſemet docuit lib. 5. de ſimpl. pharmac. poteſt. cap. 9. vt alia teſtimonia taceam. Quòd porro non aliter ego in theſibus de ſpiritu diſputarim, vel ex eo perſpicuum eſſe poteſt, quòd ſententiam meam exemplo & teſtimonio Ariſtotelis de ſtatus putredine confirmare volui. Ergo ſi maxime verum id eſſet, de quo vehementer ambigo, ſincerum ſpiritum putredinis expertem eſſe, falſum tamen non eſſet, quod de ſpiritus impuri putredine in theſibus affirmauimus. Verùm & de hoc & alijs libenter doctorũ hominum, inter quos tu mihi minime poſtremum locum tenere videris, ſententias audiam. 22. Septemb. anno 74.

Epiſtola XIIX.

AD D. BERNHARDVM PATERNVM.

Continet defenſionem ſuarum Theſeon de Contagio & contagioſis morbis. 2. Spiritus vtrum putreſcere nati ſint.

NVnquam auſus fuiſſem tuam humanitatem, vir præſtantiſſime, literis meis interpellare, niſi D. Theodoricus noſter mihi confirmauiſſet gratas tibi fore, & ad reſpondendum etiam paratum eſſe: quod & familiaritatem mutuam aliquam contrahere, contractamq́; mutuis literis fouere atq́; alere [illegible]garis.

gitaris. Pro qua tibi beneuolentia, cùm agere gratias pro dignitate non poſſim, non deſinam tamen memoriam eius rei colere: & eximiam ſuam humanitatem, cum rara præſtanteq́ doctrina copulatam, prædicare. Equidem ſi nil aliud potero, ſedulò id agam, vt tua familiaritate mihi nihil iucundius eſſe perſpicias. Miſit idem exemplum cenſuræ tuæ in Theſes noſtras: quæ mihi tam fuit grata quàm quod gratiſſimum eſſe potuit. Oro autem te pro egregia tua doctrina, vt & de his literis & ſcriptis meis alijs, ſi fortè in aliqua incideris, libere audacterq́ ſententiam feras: tibiq́ perſuadeas, hanc peſtem animũ meum non occupaſſe, vt me plus alijs ſapere credam: aut ab illis odio me haberi putem, qui non probant, quicquid mihi rectum & verum viſum fuit. Hos ego longè magis diligo, quam laudatores: qui nocere plerunq; plus ſolent, quam prodeſſe. Scio quamplurimos profiteri, ſe meliora docentibus paratos eſſe credere. Sed quam iniquo interim animo ferant ſua placita damnari, nimis quoq; ſcio. Ex horum numero, quod verè affirmare de me poſſum, ego non ſum: vt qui perſuaſum habeam, nullos hominum maiore amore complectendos eſſe, quàm eos, per quos veritatem cognoueris, & ab errore liberatus fueris. Quocirca tuæ excellentiæ, & D. Capiuaccio, tantum me debere arbitror, quantum perſoluere nunquam fortaſſe valebo.

Cæterum vt ad rem ipſam propius accedam, omninò probo, quod primo loco cenſes contagionem habere potius definiendum eſſe quàm actu: cum contagioſus eſſe morbus aliquis poſſit, tametſi nulli communicetur. Rectius ob id in ſecunda Theſi hoc modo legetur. Propriè ſumitur, cum de qualitate morborum eloquitur, qua commorantes contaminare habiles ſunt. Hoc me ſenſiſſe, tametſi non ſatis aptè expreſſerim, proxime ſequens. 3. ſatis declarat, in qua hæc habentur. Idem tamen contagioſus eſt, quatenus vi ſeipſum propagandi præditus eſt. Euidentius idem demonſtrat Theſis 6. vt alias pratercam. Probo non minus hoc etiam, quod contagioſos morbos, abſq; contagio naſci poſſe, aſſeris, vt ex 43. Theſi colligere vnuſquiſque poterit. Illud quomodo interpreter neſcio, quod ais qualitatem, per quam morbi habiles ſunt alios contaminare (aut, per quam actu contaminent) contagioſam potius dici debere quàm contagium. Nam ſicut quod vi ridendi donatum eſt, riſibile dicitur, ipſa autem habet viſionem viſibilis, ſed po-

uere, miſcere, ac mutare, valeant (ſolos enim ſenſus afficiunt ac mouent, guſtũ & viſum: quoad ſunt tales) quomodo primæ qualitates eã mutare poſſunt: Ergò cum in Theſi 8. de ſolis morbis loquamur, citra hæſitationẽ affirmauimus, morbos, de homine vno ad aliũ, non tranſire abſq; corpore aliquo: quod nunc etiã rectè affirmatũ arbitramur. De ſpiritualium virtutũ tranſmiſſione (qualis eſt Magnetis, aut lumen ſolis, &c.) objectionẽ non magni fecimus: propterea quod de qualitatibus nobis ſermo eſt in ſubjecto permanentibus. Debent enim inquinans & inquinatũ, eandem [illegible] qualitatẽ ſic obtinere, vt inquinante ablato, inquinatus nihilominus retineat, quod ab inquinante tranſmiſſum ac deriuatum ad ſe fuit: vt in 15. & 16 Theſi docuimus.

In 13. Theſi non hoc diximus, quod tua præſtantia videtur credere à nobis dictũ, nempe contactũ per mediũ nullum eſſe. Hoc enim per quam abſurdè affirmaretur. Quippe Sol, Ignis, Res aliæ per medium aerem vel aquam, in nos agunt. Hoc ſolum aſſeruimus, illos qui alios in ijs morbis, quibus ipſi laborant, inquinant, eoſdem non neceſſario tangere: ſiue per medium ſiue abſq; medio fieri cogitetur. Etenim qui putridum halitum exſpirat in veſtem aliquam, quæ deinde alium, poſt multos dies contaminet, is non rectè dicitur contaminatum tetigiſſe. Sol minus malè per aerẽ [illegible] dicitur radijs ſuis tangere, quia ab ipſo ad nos vis continuatur. Quod ſi hæc putrida exſpiratio, ab ægroto ad inquinatum [illegible] fieri poſſet, qui ſe contactu per medium [illegible]. [illegible] poſt mortem inquinantium [illegible] quas putridam exhalationem [illegible] de continuatione tali nemo cogitare audet. Hoc igitur ſolum volui indicare, [illegible] morbo laborantem, non neceſſario per contactum [illegible] quos commaculat. Poteſt enim venenatum halitum in veſtibus relinquere, à quibus deinde inficiatur, qui, dum æger viueret, [illegible] procul ab eodem abeſſet, vt de contactu ſomniare nulli liceret. Ergò [illegible] contactu per medium illos fœdari, qui continuatam [illegible] putridorum halituum fluxu ab ægro ad ſe [illegible] tamen per contactum læ dicerentur. Multò [illegible] per contactum [illegible] iudicabuntur propriè, qui [illegible], per [illegible] morbũ. Quid hic cum illis pugnet, quæ [illegible] tradidit, ipſe, vt liberè cũ tua excellentia loquar, [illegible] intelligere potui.

Vt 17. Theſin ſuperſtitioſè defendam, cauſa nulla eſt: præſertim verò cum argumento nullo tua præſtantia oppugnet. Quod enim dicis, morbos in numero & vlcera per contagium contrahi, non inficior: ſed per ſe primò transferri de corpore in corpus, nego. Rationibus in Theſibus commemoratis, hanc breuiter addam. Neceſſarium eſt, vt ſeminarium, quod morbum in corpore generaturum eſt, virtute præditum ſit alterandi & corrumpendi corpora, ad quæ arrepſit. Hoc autem vapor exiguus & plerunq; inuiſibilis vi alia nulla perficiet, quàm calefaciendi, frigefaciendi, &c. Etenim quatenus magnus eſt aut paruus, non mutabit corporis ſubſtantiam, tantillus exiſtens. Et qua ratione fingamus vaporem tantillum, continuum ſoluere abſq; caliditate? Præterea certum eſt, morbum abſq; vapore ſeu ſpiritu vel humore non tranſportari ab homine vno ad alium. Sed ſoluta vnitas & vitioſa partium formatio, non generant vel excitant vlla effluuia: multò minus procreant talia, quæ in ſe poteſtatem habeant figuram aliquam efficiendi. Quocirca rectè diximus, ſolas intemperies morbos, contagione in alios procedere poſſe, cùm hi ſoli effluuia ad alios tranſeuntia, gignere poſſint, quæ corrumpant corpora, quibus adhæſerunt. Sed de hac re plus ſatis.

Quum aduerſus 21 & ſequentes Theſes dicis, à calida & humida conſtitutione aëris, citra eius putredinem, peſtem ſuſcitari poſſe, contra ea, quæ nos aſſeueramus, nihil adfers. Nunquam enim id negauimus, quod tu affirmas. Quinimò conſtanter aſſeruimus, peſtem ſæpenumero abſq; eo, vt aër verè & integrè putruerit, gigni, ſicut alibi ex Galeno declarauimus. Non hîc quæritur, an omnis peſtis ab aëris putredine oriatur, ſed an morbus aliquis putredinis expers, contagioſus exiſtat? Si morbi contagioſi & putridi nulli darentur alij, quam qui ab aëre putrefacto exiſtunt, [illegible] obiectio. At contagioſi pariter atq; putridi plurimi quotidie pullulant, aëre corruptionem nullam patiente. [illegible] in loco [illegible] maximè fatear, [illegible] 3. Epidem. deſcribitur, [illegible] morbos, quibusuis occaſione non ſunt [illegible] Galeni expoſitio tam perſpicua [illegible] Hipp. etiam teſtimonium [illegible] in 35. Theſi citatum, [illegible] ſe illud

re illud etiam poſſem, me nondum conſtanter audere affirmare, omnes morbos, illo in loco enumeratos, contagioſos exſtitiſſe. Perſiſtunt ergò in ſuo adhuc robore argumenta, quibus morbos putredine carentes, contagione in alios [illegible] inuadere probauimus.

Ad 27. opponis hoc modo. Mihi ratio non videtur procedere, qua probatur, contagioſos morbos, non niſi ex putredine ortum ducere, eo quòd videamus, res in [illegible]gijs, tandem putreſcere. Nam quicquid corrumpitur, niſi violenta ſit corruptio, in putredinem tandem peruenit: multa tamen ſine putredine, corrumpuntur. Neq; Ariſtoteles id voluit, ſi, quæ [illegible] tribuuntur. 7. Probl. 4. (& potiſſimum de ſcabie & lepra) expendantur. Ego ſane ſic ratiocinatus non ſum. Contagium in putredine [illegible] quia in contagijs tandē omnia putreſcunt. Talis fuit ſecunda mea ratio: Abſq; putredine [illegible] & nuſquam reperitur vllum contagium. Ergò in putredine [illegible]. Ad verba tua quod attinet, ſic ea accipio, quaſi multa corrumpi citra putredinē principio putes: quæ tamen omnia tandem putreſcant. C[illegible] enim, Omnia [illegible] : & plurima nō putreſcere. Ego verò arbitror, Inductione demonſtraui, contagium nec in principio, nec medio, nec fine, putredinis expers inueniri. Quo fit, vt quæcunq; ſine putredine corrumpuntur, contagioſa non eſſe, nil dubitarim affirmare. Non [illegible] id omnia naturaliter occidentia, tandem fiunt contagioſa, quia tandem putreſcunt. Quippe non omnis putredo, contagioſa eſt. Et in theſibus [illegible]uerſos putre[illegible] [illegible] ſeu ſeueres, verum etiam gra[illegible] inue[illegible] [illegible]. Quanquam [illegible] [illegible] æſtimabimus, non hoc [illegible] Ariſtoteles, naturaliter [illegible] putredinē, de qua in theſibus nos [illegible] tandem vniuerſa. Etenim ponit eo loco duplicem putredinem, quarum alteram impropriè, alteram propriè ſic nominari [illegible]: quod vel ex illis verbis perſpicitur, quæ ex eo loco in hac ipſa Theſi 27. citaui. Si enim putredinis nomen propriè de illis effertur, quæ ſecundum partes corrumpuntur, quum ſcilicet extra naturam ſuam exceſſerunt, manifeſtum eſt, [illegible] ſine [illegible] naturali [illegible] propriè enu[illegible]. Prior & impropriè dicta putredo, quæ ſimpl[illegible] generationi [illegible] maximè [illegible] oppoſita eſt, terminus [illegible] finis exſiſtit [illegible] hoc eſt, [illegible] ſecundùm naturæ inſtitutū ſit ætatis decurſi, nulla violentia [illegible]

patientes qualitates, imperio agentium ſe conueniente naturæ modo, ſubtrahunt. Altera autem putredo, quæ propriè ſic appellatur, eſt violentæ corruptionis ſpecies. (Etenim corruptio, quæ à morbo efficitur, violenta eſt, ex Ariſtotelis ſententia) in qua qualitates patientes agentibus ſuperiores fiunt: non per ſolius ætatis aut temporis naturalē & ineuitabilē progreſſum. Non enim naturæ conuenit motus, quo res præter naturam putreſcunt: nec natiui caloris eſt actio propria hæc putredo: ſed omnino quæ ſic putreſcunt, contra naturæ legem atq; modum mouentur. Ergò naturaliter intereuntia non putreſcunt hac putredine: cùm ea non ſit finis interitus naturalis: ſed corruptio naturalem interitum impediens & antevertens. Ideo [illegible] hæc iam expoſui, quia Interpretes video longiſsimè abeſſe à mente Ariſtotelis et veritate, in præſentis loci expoſitione. Quod [illegible] Ariſt. non hoc voluiſſe, quod in Theſi affirmat, conſiderandum eſt. Tu id ex 7. Probl. 4. (ſecundum Latini exemplaris diſtinctionem [illegible]enſes: maximè vero ex eis quæ de ſcabie et lepra attulit. Ego verò me id minimè videre, conſtanter [illegible]. Etenim rationem reddituris, cur ex morbis alij ſint conta[illegible] non [illegible] cauſas affert quorundam particulatim, non omnium [illegible] Ac non negat, putridos eſſe omnes contagioſos morbos. Et de Ophthalmia nullus dubitat. Sed hæc cur ſolos oculos aliorum contaminet, quæri poterat. Ideo cauſam exponit ſeorſum Ariſtoteles. Poſtea cum propter [illegible] & grauem [illegible] ſcribis Phthiſicos appropinquantes [illegible], quis aliud [illegible] intellexiſſe poteſt, quàm propter putridam ex[illegible] eſſe cum his [illegible] conuerſationem [illegible] omnibus, vt [illegible] ſiplum & doctos alios taceam, compertum hoc eſt [illegible] Lepram [illegible] contaminare propius accedentes [illegible], quia [illegible] ſeu [illegible] [illegible] nequaquam negare. Quomodo enim [illegible] morbis [illegible] rem putridam exhalare [illegible] eſſe [illegible] Alios morbos, [illegible] contagione ad alios [illegible] quia vel [illegible] nulla emittant, vel eiuſmodi eſſe [illegible] & [illegible] [illegible] Nulla [illegible] morbi, qui neq; [illegible]

& vdus

& velut in ſuperficie ſolùm viciant. Tales enim emittere nulla dicuntur, quia emiſſi mox vim morbidam omnem exuunt, ac extra corpus exierunt. Quæ verò diutius qualitatem ſuam effluuia retinent, nec antequam extra corpus effluxerint eam amittunt, non ob id ſtatim etiam corpora, ad quæ perueniunt, corrumpunt, niſi viſcoſa & pertinaci quadam putredine affecta ſint. Quomodo hæc nobiſcum pugnent, ipſe certè ne nunc quidem intelligo. Morborum contagioſorum aliquot exempla producit: quos omnes conſtat cum putredine conſiſtere. Aliorum effluuia, quæcunque vel ſine putredine conſiſtunt, vel à leui minimeque pertinaci putredine excitata ſunt, aut ſaltem ſpiritum & exhalationes non corruperint eo modo, quo dictum eſt, offendere alios negat. Quippe celerrimè & facillime in alios diffundi ac diſpergi cenſet, qui ſpiritum viſcoſo corrumpunt, vt eum glutinoſa putredine afficiant.

Plus difficultatis habet, quod aduerſus 31. & ſequentes profers, ſcilicet ſpiritus non putreſcere. Neſcio, inquit, qua ratione probari poſſit ſpiritus putreſcere: cùm nulla in corpore caliditas maior eſſe poſſit caliditate ſpirituum: quia ab ea prius conſumuntur diſſipenturve, quam putreſcant. Qua forte ratione motus Galen. ſpiritus nunquam putreſcere exiſtimauit: ac proinde non niſi febres diarias ipſis accenſis fieri cenſuit: putridas autem ex humorum putredine. Hæc tua continent argumenta duo, quibus ſpiritus non putreſcere monſtrare conaris. Primum eſt, Quod putreſcit, ſeipſo calidius redditur. At ſpiritus calidiores facti, prius diſſipantur, quàm putreſcunt. Alterum tale eſt, Galenus negat ſpiritus putreſcere: id quod ex eo liquet, quod febres ab accenſis ſpiritibus ſuſcitatas putridis opponit. Spiritus calidiſſimos eſſe inter ea, quæ continent corpus noſtrum, quantiſper naturaliter affectum eſt, in præſentia libenter dabimus. (Dubitant nonnulli, vtrùm à cordis calore Spiritus calidi fieri cenſendi ſint, an à Spiritibus cor? Et quæ ſententia probabilior ſit, non eſt obſcurum.) At hoc non impedit, quo minus calidiores efficiantur: & conſequenter putreſcant. Et calidiores eos factos ſæpius fieri, ſatis demonſtrant febres diariæ. Nec ſatis eſt, quod in corpore

noſtro naturaliter habente, nihil ſit calidius ſpiritibus. Nam à rebus externis, ira, dolore, labore, obſtructione, alijs talibus, inflammari poſſunt. Multa quoq; præter naturam in nobis generantur calidiora ſpiritibus, à quibus eos accẽdi nihil vetat. Cur igitur nõ poſſint putreſieri? Quia prius diſſipantur? At hoc quis probabit? aut quo argumento demonſtrabitur? Nullo ſatis probabili: quas tum quidẽ perſpicere ad hunc potui. Quanquã ne illud quidem rectè dicatur, putreſcentia calidiora ſemper fieri. Nam quædã putria minus calent, quam imputria: quæcunq; ſcilicet participata caliditate magis calent, quã propria. Sic ſanguis ſi ad naturam & materiã eius reſpicias, frigidus eſt, licet influente & participato calore [illegible] ma[illegible] è calet. Quæ dico ex Ariſt. colligi poſſunt lib. de anim. [illegible] lib. de part. anim. 2. cap. 3. & 4. Item 4. Meteor. cap. [illegible] Cla[illegible] ex Hip. lib. de corde: quem his verbis [illegible] τὸ [illegible] φύσει θερμὸν [illegible] ἄλλο τι ὕδωρ [illegible] δοκεῖ [illegible] θερμόν. Sanguis, inquit, natura ſua calidus non eſt. Nec enim aqua alia calida eſt [illegible] calet, [illegible] videtur autẽ plurimis calidus eſſe. Hinc fit, vt ſanguis in [illegible] verſus & putr[illegible], quàm cum incorruptus in venis manet [illegible] ſymptomata frigiditatis eſſe [illegible] non caliditatis [illegible] At Gal. negat ſpiritus putreſcere. Non ſatis recordor à Galeno [illegible] aperte. Et quamuis ab eius ſententia nulla temere [illegible] non tamen mox tanquam verum [illegible] quicquid ille dixit. Sanguinẽ putreſcere & quidem facillime [illegible] Spiritus ergo qui ſanguineus eſt vapor [illegible] ex ſanguine [illegible] qui putabitur non poſſe putreſcere? Si dicatur [illegible] propter tenuitatẽ promptius, non difficilius putreſcit [illegible] ob id putreſcet: at [illegible] non putreſcet. Adde, quod [illegible] magis [illegible] pluribus m[illegible] ipſe ſanguine. Nam [illegible] ſanguine [illegible] docet Galenus. [illegible] certum [illegible] Sed [illegible] non eſt [illegible] e facil[illegible] ex pluribus [illegible] putre[illegible] [illegible] eſſe dicemus? [illegible]

eius

eius vacuatione febris nõ ſoluetur. Si madorẽ hũc ex reliquijs accenſi ſpiritus fateamur, periclitabimur, ne in omni diaria cogamur ſpirituum putredine 1 admittere: quam nos in peſtilentibus tantùm aliquando accidere putamus. Poſtremò, vt nodum hunc diſ[illegible] ſcire conuenit, me, cùm ſpiritus putreſcere dico, non de [illegible] ſpiritibus loqui (quales fortaſſe nec facilius nec fre[illegible] repe[illegible] quàm ſanguinem ſyncerum ab alijs om[illegible] ſecretum) ſed de ſpiritibus, qui cum fuligine, aëre im[illegible] ex ſa[illegible] humor[illegible]bus eleuatis vtilibus pariter [illegible] ſti & [illegible], agere. Et ne tuam præſtantiam hac in parte [illegible] neam, nihil [illegible] quod non prius [illegible] G[illegible] docu[illegible]. Si vel vnum illum locum ex[illegible] ſimpl. pharm. fac. cap. 9. habetur, non habebo ne[illegible] addere, vt medicos ſic loqui mo[illegible]trem. Ad A[illegible] liquet ex Problemate nuper citato: in quo P[illegible] aſſerit, quia ſpiritum vitioſum gr[illegible] exhalent. [illegible] non intelligat, eum per ſpiritum [illegible] nem emittimus. Spiritum ergo cùm [illegible] telligimus, quod vaporoſum [illegible] ſtum. Hoc pacto accep[illegible] ſurdè errat. Quinetiam i[illegible] T[illegible] A[illegible] tis comprobauimus, [illegible] plum non ſatis [illegible] ceroq; ſpiritu, qui [illegible] ueniitur, d[illegible] cùm purum a[illegible] conſtet. Nam putredo eſt [illegible] rum, non ſimpliciter. Cur ergo Gal[illegible] quia ſpirituum pu[illegible] do plurimum d[illegible] d uerſa eſt earum curatio. Nam ſpiritus pu[illegible] pharma[illegible] eu[illegible] in corp[illegible] humoris al[illegible].

Quod dicis, dubia tibi vide[illegible] Theſ[illegible] firmamus, propter ea, quæ ab A[illegible] dicta ſunt, reſponſione [illegible]

gi poſſe locum illum prorſus noſtræ ſententiæ ſuffragari.

Quæ de odore, vltimo loco poſuimus, ita concedis, ſi de odore exactè nominato dicta ſint. Quare non eſt, vt aliquid hic addamus: cùm de odore propriè dicto locuti fuerimus.

Hæc ad obiectiones tuas, vir præſtantiſsime, & mihi ſemper colendiſsime, reſpondere placuit, te ita petente: non vt contradicerem, ſed vt quibus argumentis permotus conſcripſerim illas Theſes, planiùs perſpiceres. Si quid non ſatis expoſitum fuit, non grauabor pluribus declarare: ſi te cupere cogi ouero. Quanquam id iam feci in reſponſione ad virum clariſsimum D. Hieron. Capiuaccium: cuius [illegible] exemplum tibi mittendum duxi. Quod principio dixi, nunc repeto: me nil aliud, quàm veritatem quærere. Hanc qui mihi monſtrauerit, is mihi inter omnes mortales præcipue ſemper coletur. Die 24. Septemb. Anno 1574.

Epiſtola XIX.

AD D. BERNHARDVM PATERNVM.

Eiuſdem, cum præcedenti, argumentum [illegible] eſt, & præterea, An omne peſtilens [illegible] genus, putridum ſit.

Non grata ſolùm & iucunda, verumetiam [illegible] & fructuoſa mihi fuit reſponſio tua, vir clariſsime & doctiſsime, quam 4. Calend. Februar. accepi. Equidem magnum ex collatione iſta fructum ad me rediſſe, iam nunc intelligo. Clariùs enim video nunc non nulla, quàm ante vidiſſem. Nec alio conſilio eruditorum cenſuram expetiui, quàm vt cauſa explicaretur plenius. Quare tuæ præſtantiæ pro præſtito mihi [illegible] pariter & [illegible] immortales gratias ago.

Secundæ [illegible] probare te video. At in 3 & 6. ([illegible] lib. 8.) nihil te videre addes, [illegible] eadem eſſe, morbos [illegible] & [illegible] video. Nam [illegible] eſſe iudicemorbos [illegible] mouerit, morbos qui [illegible], [illegible] contagium

tagium non poſſe. At de qualitate, qua morbi ad alios ſe extendunt, alterum rectè efferri poteſt, quod nimirum ſit contagium, alterum vt de ea dici poſſit, non tamen æquè propriè dicetur, quòd ſcilicet etiam ſit contagioſa. Hoc enim nomen propriè concretum ſignificat ſubiectum ſcilicet hac virtute prædi[illegible]um. Rectius igitur contagium quam contagioſum nominabitur. Certum ergo manet quod affirmaui [illegible] pe de morbis impropriè co[illegible]um e[illegible]unciari. Tibi autem a[illegible]tum fero, quòd qualitatem [illegible] nunc intelligo, non ſolũ contagium, ſed etiam contagioſam non ineptè nu[illegible]ari. Exemplum quod de potestate videndi attuli non congruere, [illegible] diſſimile eſſe, itidem fateor. Cùm me hic ludere aut fallere [illegible] [illegible]noſti. Si veritatem rerum vtilium & neceſſariarum [illegible] tale quid ommitterem, & improbiſſimum, & omniũ bonorum [illegible] nißimum me pronuntiarem. Fefellit me, quod exemplum nullum occurrebat. Nam morbo, quod inter alia adducis, non quadrat. Quippe nomen, morboſus, morbo infectum & valetudinarium ſignificat [illegible] cientiam non ſignificat. Dubito etiam, an qualitas eadem, [illegible] pernicies, & pernitioſa nominetur. Congruit magis qualitas qua [illegible] na nocent. Hæc enim rectè tum venenum tum veneno[illegible]ſa denominatur. Fruſtra [illegible] vereri[illegible], vt de qualitate, quale, aut de caſa, effe ctum enuntie[illegible] qu[illegible] morborum, qua in alios inuadunt, contagium pro[illegible] [illegible]. Nam contagium, non quale, ſed qualitatem [illegible]. Sic certum qu[illegible] recte di[illegible] albedinem eſſe, & [illegible] qualitatem, ita in hac qualitate, cur [illegible] rectè [illegible], [illegible] ratio eſt. N[illegible] de cauſa effectum enu[illegible] qualitatem, qua morbi alios contingi[illegible]nare habiles ſunt, [illegible] cauſa & effectus res ſint cognomines: quemadmodum [illegible] gignens & gemma. Cont[illegible] etiam de eo nobis, quo[illegible] præ[illegible] ſe, oſtendi. Equidem vt putredo, & [illegible], & à [illegible] efficitur, ita contagioſi morbi, no[illegible] reſſo cõt[illegible]. Poteſt enim non [illegible] contagi[illegible] morbum. Contagi[illegible] etiam vel [illegible] aliquando inuexit. Di[illegible] efficientes cauſæ no[illegible] effectus pariunt diſſimiles.

Quæ ad 8. Theſis defenſionem attuli, non pari felicitate accuſas. Etenim ſolæ primæ qualitates (non de ſummis ago) aptæ ſunt, materiam atq; rem quamlibet occupare: propterea quod ſubiectum certum non poſtulant. Secundas qualitates, quia in certa miſtione ſolummodò conſiſtunt, impoßibile eſt, in ſubiecto ineſſe, quod aliter eſt miſtum. Non minus verum eſt, quod hîc dico, quàm bis duo efficere quatuor. Declaraui hanc rem tum in 28. theſi, tum in priore defenſione, exemplo amaritatis & rubedinis apertè ſatis, vt puto. Non pugnat cum his quòd putredo ab acino extremo racemi ad alterum extremum tranſit. Semper enim acinum vnum, contactu putredinem proximo communicat: Sicut poma quoq; aliosq; fructus coinquinari conſpicimus. Quòd ſi acinos ſe non tangere ponamus, tunc nego proximum putredinem à putrido vicino participaſſe abſq; halitus putridi tranſmiſſione. Si nihil tale tranſiſſe à putrido contendatur, tam ſecundus non per contagium à primo putredinem concepit: ſed in eo ſic nata eſt, quomodo prior putrefactus [illegible] enim [illegible] multa putreſcere a[illegible] contactu re[illegible]. [illegible] enim non putrida, putrefacere poteſt. Tantum [illegible], vt corpus diſtitum à corpore putrido, per putridi vaporis expirationem inquinari non poſſe opinatus ſim, vt nihil frequentius ferè in peſte contingere exiſtimem. Putridos halitus ab ægris aliquando continuari ad inficiendos, interdum per aërem ſparſos hauriri, ſæpiſſimè in veſtibus recipi, atq; ex eis in nos irrepere [illegible]: quod ex 14. Theſi conijcere [illegible]. Nullo ex [illegible] modis aër ſiue putrida ſubſtantia [illegible] alteratur, quomodo ab ignis, [illegible] ſubſtantiam, calore mutatur: ſed putridi ſemper aliquid ab ægro ad contaminatum peruenit.

In 13. Theſi [illegible] aliquid [illegible], rationem nullam video. Nam [illegible] nihil [illegible] eſt, quàm [illegible], [illegible] Ariſtotel[illegible] [illegible] contactu [illegible]. Argument[illegible] non dicitur proprie tangere. Hoc enim corporum eſt [illegible] contagium [illegible] [illegible] qualitates [illegible] [illegible] [illegible] putridæ,

tridæ, quæ in ægrotis eſt (quanquam propriè contagium nominari dixi) plerunq; euenirent. Cùm enim tangentia extrema ſimul habere oporteat, non dicetur per contactum fœdatus, quiſquis ſpatio quantolibet ab ægro abfuit. Nec licet excuſare diſtinctione contactus per medium. Quippe impropriè ſe tangere dicuntur, inter quæ corpus ſeu ſpatium aliquod interiectum eſt. Si pugnare cum his aſſeueremus, quæ Ariſt. lib 7. de pulſu et tractu diſputat, præterquam quod errabimus, ſummæ eum inconſtantiæ accuſabimus. Si non pugnant, à culpa liber ego ſum. Tu prudenter dicis, pulſum & tractum per quendam contactum, id eſt (ut ego interpretor) impropriè fieri. Non enim amplius tango propriè lapidem qui per aërem volitat e manu excuſſus. Nec lapis Herculeus ferrum propriè tangit, quod per medium aliquod ad ſe attrahit.

Sententia mea hæc eſt: Contagium contactu finiri non debet, cùm neq; propriè neq; impropriè ſemper tangat. (De Contagio primæ, tertiæ & quartæ notionis loquor.) Propriè nunquam tangit, quia eſt qualitas. Impropriè non ſemper, quia modus excogitabilis non eſt. Quæ nanq; per medium tangunt, ea vel immutant medium qualitate reali & perſeuerante: vel ſpirituali ac minimè durabili: vel ſpiritualem vim ex ſe, abſq; medij ſenſibili mutatione vſq; ad rem tangendam, emittunt: vel deniq; res aliqua corporata ab eo, qui tangit, ad id quod tangitur, perfertur. Primi modi exemplum eſt ignis: ſecundi, lux Solis: tertij, vis Herculei lapidis: quarti, lapis aut telum. Contagium propriè dictum nullo ex his modis ſemper tangit, dum alij inquinantur. Quòd primus modus ei non competat, ex theſibus liquet. Idem alibi etiam demonſtratum nobis eſt: & mox etiam tangetur. De ſecundo & tertio nullus cogitat. Quarto aliquando tangit inficiendos, at non ſemper. Quocirca cum alius modus mihi nullus occurrat, contactu finiri non debere cenſui.

Ad 17. quid aliud dixero, quàm quod nuper dixi? Quippe ſolutio continuitatis nihil in ſe continet, cuius opera & auxilio ſe poſſit ad aliena corpora promouere. Quocirca contagioſa non eſt vnitas ſoluta, vbi vbi ea conſiſtat. Vt id affirmem, his permoueor rationibus. Morbum contagioſum oportet virtute præditum eſſe alterandi & corrumpendi. At vlcus vel ſoluta continuitas, nullius actionis prin-

principium exſiſtit. Item [illegible], qui de corpore ægro ad ſanum tranſit, eandem ſpecie qualit[illegible] primo ineſſe (eo ſcilicet modo, quo Geometria actu ineſt in do[illegible] Geometria) oportet, vt, quod efficitur, ſpecie non differat ab [illegible]. Hoc Ariſtoteles ſect. 7. problem. 18. his verbis indicauit. [illegible] τόπον, ὅτι ᾧ ἂν ἀσθενῇ ση, τούτῳ ἀναπνεῖ τοιοῦτον, διότι εἰ [illegible]ως ᾖ. *Halitus autem, ſolutam vnitatem vel vlcus ſecum de corpore ægro, aſportare non poteſt. Præterea contagioſi morbi [illegible] ſunt naturæ, vt in quauis minima particula ſubiecti toti inſint. Quod quia neque vlceri vlli, neque inſtrumentalibus morbis competere poteſt, (ſoli intemperiei hoc cõuenit) per ſe contagioſi non ſunt. Sani halitus contagioſorum ex quacunq; ſubiecti parte effluxerint, [illegible] ſeminis totam morbi eſſentiam obtinent. His adde, quod contagioſum morbum, neceſſe eſt, poteſtate præditum eſſe, corpora, quæ occupauit, in halitus ſeu vapores putredinem pertinaciter adeò retinentes, vt eandem alijs inprimere apti ſint, diſſoluendi. Qui hac poteſtate carent, quî poſſint ad vicinos ſe exporrigere. Etenim nec [illegible], nec qualitates eorum ſine ſubiecto ſiue putrida ſanie, de corpore vno in aliud tranſmigrant. Iam quòd omne vlcus, quoad vlcus eſt, virtute iſta deſtitutum ſit, dubitatione caret. Conſtat hoc etiam, vlcus nullum putredinis expers, contagioſum dici aut videri. A putredine igitur aliqua vlcera hoc acquirunt, vt ſeipſa veluti propagent. At vlceri omni accidit putredo. Per accidens igitur ſolùm contagioſa ſunt quædam vlcera. Denique certum eſt, malam temperationem ſeu [illegible] & [illegible] vlcere & cum vlcere [illegible] in alio [illegible] nullum ſine [illegible] putredine, contagioſum eſſe poſſit. [illegible] poteſt aut debet contagium vlceri adſcribi. ſed putr[illegible] intemperiei, quæ cum vlcere copulata eſt, attribui debet. Cæterum de putredine [illegible] prædicamus [illegible] modo per ſe primo. [illegible] vlcus nullo [illegible] prædicatur. Quamobrem [illegible] intemperie [illegible] vlcere [illegible]. Accedit his [illegible], qui [illegible] contagioſum [illegible] vlcus [illegible] eſt [illegible] putridam. [illegible],*

βαρὺ. Quid aliud indicare his voluiſſe cenſebitur, quàm putredinis ratione, tabides eſſe alijs moleſtos? Etenim putridum eos exſpirare, nemo tam rudis eſt, qui neſciat. Idem Galenus libro primo de febrium diff. indicat cùm tabidorum conuerſationem periculoſam eſſe monet: ſicut & aliorum omnium, qui putridum exſpirant.

Tua iam conſideremus. Pulmonis vlcera, [illegible] ſe contagioſa qui negat, vel per ſe & primò ſecus, quàm Ariſtoteles & Galenus intelligit, vel in re manifeſtiſſima cæcutit. Conuenit enim [illegible] vlceribus contagium efficaciter & ſine medio. Per ſe primo, cùm vlcera contagioſa eſſe [illegible] intelligo, per ſe quarti modi apud Ariſtotelem: quo fit, vt [illegible] ſerpem, atque ille cum Galeno [illegible] pa-pauit. Cum vlcera pulmonis putrido[illegible] non putrida enim [illegible] commorantes) eſſe [illegible] competere contagium ais, aſſentiri non poſſum. Nam cùm eiuſmodi vlcus, non ſit per ſe vnum aliquid, ſed per accidens vnum, hoc eſt, compoſitum quid ex vlcere & putredine, ſcire velim, vtrum contagio ad vtriuſque eſſentiam pertinet, an alterius tantùm? Primum dari nequit. Quare vel ad ſolius putredinis, vel ad ſolius vlceris pertinebit. Cæterum eſſentiæ vlceris pars nulla eſt, contagium. Nam nec in definitione vlceris vel definitio vel pars definitionis contagij comprehenditur: nec in huius finitione vlceris definitio ponitur: nec alterum de altero prædicatur. At in definitione contagij, neceſſario fit mentio putredinis. Quare ad huius non ad illius eſſentiam attinet. Quod porro vlcus & putredo diſtinctæ quædam res ſint, eadem ratione demonſtrabile eſt: atque ex eo inſuper intelligitur, quod & putredo ſine vlcere, & vlcus citra putredinem conſiſtit: ac neutrum de altero prædicatur. Quoniam nec vlcus eſt putredo, nec putredo eſt vlcus. Sane Galenus præclarè monuit in Com. Aphor 45. libr. 6. nec depaſcens nec putridum vlcus, propriam eſſe vlceris differentiam: ſed paſſionem compoſitam ex vlcere & putredine ſignificare. Scimus autem, inquit, quod & abſque vlcere putredo ipſa per ſeipſam [illegible] conſiſtit. Ne illud quidem non liquet, putre[illegible] vlcus nominemus, qui [illegible], quod [illegible] ſoluit. [illegible] vlcera fuerit.

Equidem vapor putridus per ſe primò putrefacit: per accidens & ſecundò continuum diuidit. Et qui ex diuiſis aut vulneratis partibus exſpirant halitus, virtutem per ſe primo vnitatem ſoluendi nequaquam ſunt nacti. Obijcies forte, non vlcus te dicere contagioſum eſſe, ſed vlcus tale: ſcilicet pulmonis, quale eſt in phthiſicis. At iam reſpondi, duo hîc eſſe: vlcus, & intemperiem putridam. Huius dixi proprium eſſe alios contaminare: non illius. At nec peſtilens febris, ais, in vapore putrido tranſuehitur. Magnum diſcrimen eſſe aio inter id, quod ego aſſero, & quod tu affirmas. Fateor in vapore tranſeunte, non eſſe febrem peſtilentem actu (nam extra cor febris non eſt imaginabilis) ſed intemperiem in eo actu ineſſe, conſtat, quæ à peſtilente febre ſolo ſubiecto differt: quæq; per ſe primo talem inducere poſſit. Quare ſi hunc vaporem ad cor peruenire contingat, eandem ſpecie qualitatem, quam ipſe poſſidet, cordi communicabit. Nam vt calor calorem generat, ſic putridus vapor putridum calorem in co[illegible]bit per ſe, non per aliud quicquam. At impoſſibile eſt, vt vapor vlcus in ſe actu poſſideat qualitatem eandem ſpecie cum vlcere, quam imprimere ſine medio corpori alieno poſſit. Qui[illegible] neceſſarium eſt, vt vehementem prius intemperiem inducat. Quocirca non eſt hîc, vt ibi, actio vniuoca: ſed æquiuoca. Deinde pars definitionis febris ſcilicet intemperies in putredinis definitione comprehenditur, (omnis enim putredo, eſt intemperies calida) cum nulla pars definitionis vlceris, in ea contineatur. Itaq; per ſe enunciamus, [illegible] malam calidam de putredine, de qua vlcus enunciari non poteſt. Nec mirum id videri debet: cum vlcus & intemperies morbi ſpecies ἀντιδιῃρημέναι exſiſtant: ac proinde de vna eademq; re prædicari nullo pacto poſſint. Ergo ſi, vt iubes, eſſentiam contagioſorum morborum, expendamus, nil aliud eſſe deprehendemus quam putredinem quandam. Quæ cum ſit praua quædam [illegible] temperatio, (non autem vlcus aut ſoluta continuitas) ad intemperiem rectius refertur contagium, quam ad vnitatis diuiſionem.

Valdè velim me, tum [illegible], tum in alijs, ſic tibi mentem meam, probare potuiſſe, [illegible] probaſſe videor. Sine putredine contagium non conſiſtere omnino credo: [illegible] eius eſſentiam eſſe arbitror. Probaui id non hac ſola ratione, quia in omni contagio putredo reperiatur

reperiatur (non eget enuntiatio hæc vlla vel correctione vel adiectione: ſi conſideretur, quid ſignificet, dici de omni, apud Ariſtotelem) ſed alijs præterea: quibus omnibus iunctis, validè ſatis propoſitum demonſtratum fuiſſe, mihi perſuadeo. Illam ergo rationem rectè infirmas: nec ego non vidi per ſe ſolam nihil efficere: ſed coniecturam duntaxat aliquam parere. Veriſimile nanq; eſt, a putredine proficiſci contagium, quando in externis, ſola putrida, vicina contaminare cernimus: & in omni contagio eam inueniri obſeruamus. His ſi poſtea reliquas addiderimus, negotium conficiemus. Quæ de problem. Ariſt. 7. ſect. 4. ſecundum Latini Codicis diſtinctionem adfers, nobis nihil incommodant. Clarum enim eſt ex verborum ſerie, me in priore epiſtola genuinam Ariſtotelis ſententiam propoſuiſſe. Cum enim lippitudinis cauſam, præterita tabe, referre ſcribis, quòd vtriuſq; ferè ſit eadem ratio, te corruptum exemplar habere declaras: de Latino loquor. Codex Oporini, pro, Tabis, habet, Talis. Sic enim legitur. Talis autem contagio: cùm Græci codices habeant, ἡ δὲ φθίσις. Quare manifeſtum eſt, erratum eſſe, non ab interprete, ſed à typographo. Senſus problem. vt nuper etiam ſcripſi, hic eſt. Lippi vitiant alienos oculos, quia patibiles ſunt, facileq; rebus viſis aſſimilantur. Tabidi, quia ſpiritum putridum habent. Scabies, quia effluuia in ſuperficie habet prurientia. Reliqui morbi non ſunt contagioſi: quia vel non ſunt in ſuperficie: vel non habent pluſcula effluuia: vel ſpiritum non reddunt putridum & lentum. Cum verò Ariſtotelem ſcripſi exhalationes ſcabioſorum non negauiſſe putridas eſſe: quî enim negaſſet, quòd omnibus idiotis exploratum eſt? non hoc mihi axiomatis loco ſumpſi, omnia pruritum excitantia, putrida eſſe: quin imò ne in mentem quidem mihi tunc venit. Haud ſcio interim, an veris rationibus refelli poſſit, qui corporis noſtri exhalationes morbidas (de his enim ſermo eſt in problemate) quæcunque lentæ ſimul ſunt & prurientes, putridas eſſe contendat. Salſa & acria pruritum excitare poſſe, tunc etiam, cùm putredine affecta non ſunt, non neſcio quidem: ſed num ex ſanis corporibus exhalantia pruritum inducere alienis corporibus valeant, id illud eſt, quod me nondum perſpicere aio. Quippe adhæreſcere, & proinde lentorem acquiſiuiſſe oportet. Ariſtoteles certè apertè ait, τὰ κνησμώδη talia eſſe, [illegible]. At ſalſa & acria

non ſunt neceſſariò glutinoſa. Quare vel eſt falſa Ariſtotelis ſententia, vel de ſolis morbificis exſpirationibus eſt exponenda. Dico exſpirationibus ſeu exhalationibus. Nam quæ per os, nares, veſicam, aluum, craſſa educuntur, etiam ſine lentore inhæreant: cùm per inſenſibiles meatus effluentes halitus, ſine inſigni lentore, tam diu inhærere, vt morbum inferant, minimè poßint. Quæ vero ratione alia tantùm lentorem nanciſcantur quàm putrefactione? Sed hæc obiter pro defenſione Ariſtotelis dicta mihi ſunto.

Vltima eſt de ſpirituum putredine diſputatio. Tu hos putreſcere poſſe negabas duobus argumentis ſubnixus. Ego cùm hac de re non eſſem valde ſolicitus, diſcendi cauſa ad vtrunque retuli, quæ rectè proferri poſſe videbantur. Etenim de ſynceris ſpiritibus nihil cogitabam, dum theſes ſcriberem. Prius argumentum tuum non vrges: vt ſuſpicer meas tibi ad id reſponſiones non diſplicuiſſe. Poſterius duobus alijs defendis. Primum hoc eſt. Galenus contra Athenæum diſputans aſſerit, febres Ephemeras dari non putridas. Alterum tale eſt. Galenus 11. Methodi ait ſola corpora calida & humida, quæ in calido loco detenta, neque perflantur neque ventilantur, putreſcere. Spiritus autem, quin continuè perflentur ac [illegible], impediri non poſſunt. Nam obſtructio humores potius quàm [illegible] natura ſua mobiles, effecerit ſtabiles, ac putrefactioni obnoxios. Si ſpiritus intelligentur ſynceri ac puri, ne verbum quidem hac de re cum quopiam commutauerim. Etſi enim putreſcere illos quoque poſſe credo, rarò tamen euenire non minus credo. Ego ſane vix [illegible] quoque ſpiritus in corde putreſcere [illegible] aliarum partium alia eſt ratio [illegible] extra peſtilentem febrem, aut ſaltem non ita grauiter & planè putreſcere [illegible]. Quod ad Galeni [illegible] nihil ea [illegible] ne valere [illegible] [illegible] a Galeni [illegible] [illegible] ſententia [illegible] [illegible] prob[illegible] [illegible] [illegible] de [illegible] [illegible] abs putredine

putredine ſpirituum putarit naſci. Hoc reprehendit, quòd omnes illæ febres ſtatuerent à putredine humorum ſuſcitari. Voluit ergo non alias tantùm, ſed & diarias è putreſcentibus ſuccis gigni, quod Galeno non videtur. Ex hoc certè loco probare nullus poterit, Galenum ſpirituum putredinem abſolute negauiſſe. Nihilo firmius eſt, quod ex 11. Meth. promis. Quid enim? an non aer aliquando putreſcit multò, quàm ſpiritus, liberior? Non de illo intelligi volo, qui alicubi incluſus detinetur: ſed de eo, qui a ventis ſubinde agitatur & mouetur. Difficilius putreſcunt mota, quam quieſcentia: Sed non prorſus non putreſcunt. Non ſemper etiam requiritur obſtructio ad putredinem ſpirituum. [illegible] ſi ex Galeni principijs [illegible]endam ſpiritus putreſcere? Loco [illegible] hæc habet: ἐπεὶ δὲ τῶν λοιμωδῶν [illegible] μόνη μὴ δύναται [illegible] ὑπὸ σηπε[illegible] ἀπάντων γινομένων. Huic propoſitioni adiungito aſſumptionem hanc. At quædam febris peſtilens eſt Ephemera: ſicut authores omnes Galeni doctrinæ conſtanter docent. An non efficietur ex his, Spiritus in peſte putreſcere? Atqui vnum hoc ego volui. Confeſſum certè eſt cunctis, ſpiritus in peſte ſic aliquando corrumpi, vt & febrem gignant, & mortem adferant. At nec occidunt propter inflammationem. Quippe febris tanta non apparet: at plurimi ne quidem laborare ſe febre opinantur. Taceo quòd Ephemeræ aliàs lethales non ſint. Quocirca præter inflammationem aliud [illegible] oportet, quod mortem inducit. Hoc autem quid [illegible] aliud quàm putredo, [illegible] non [illegible] poteſt. Venenoſitatem [illegible]. A[illegible]nominatione non contentus, quæro quidnam ſit illa [illegible]? Spiritus corrumpuntur exſtinctione, ſuffocatione, vacuatione, diſſipatione, alteratione præter naturam. In peſte tali, nec exſtinctionem imaginari, nec ſuffocationem fingere, nec vacuationem aut diſſipationem prætexere ſemper poſſumus. Reliquum [illegible] eſt, vt alterari eos præter naturam iudicemus. Etenim in[illegible] aer, [illegible] extinguit, nec ſuffocat, nec vacuat, nec diſſipat eos ſemper tempore peſtis. Quocirca putrefacit eos. Sicut enim humores putrefaciendo corrumpit, ita & ſpiritus corrumpere videtur. Nulla enim alia qualitas tam citò, tam facilè, tam crebro eos ita mouet, vt tam breui tempore necet.

Tu febres die vno vel occidentes vel ægrum deſerentes Ephemeras eſſe negas, vt nec Anglicanam illam Ephemeram fuiſſe concedis. Verùm ad hoc iam pridem reſpondimus, nos ſinceri ſpiritus putredinem vel ob id non vrgere, quòd eum actu ſeparatũ reperiri non credamus. Anglicanam febrem inter putridas ipſe quoq; numero. At ſolos humores, vel eorundem vapores ſine ſpiritibus putreſcere, mihi prius perſuadere non potero, quàm argumenta audiam ſolidiora. Quòd ad veras diarias attinet, cùm omnes & ſemper cum madore cutis ſoluantur: (& neq; prius neq; poſterius ſoluantur) valde dubito, an rectè dicatur, per madorem illum aliud vacuari ab eo, quod febrilem ſuſtinuit calorem. Locum ex 5: ſimpl. fac. cap. 9. ob id citaui, vt probarem ſpiritus in corporibus noſtris non eſſe ſinceros, ſed aliâs puriores, aliâs impuriores exiſtere. Et hanc Galeni opinionem eſſe, hoc teſtimonium ſic probat, vt firmius probari nil poſſit.

Dubitabile opinaris, an omne peſtilens morbi genus putridum ſit? Ad id reſpondeo, nomen peſtilens multa ſignificare. Quòd ſi accipiatur, pro [illegible] contagioſo pariter & pernicioſo, incunctanter affirmo putridum eſſe. Quod cum aſſero, nil aliud dico, quàm quod Galenus prius dixit, qui febrem omnem peſtilentem, putridam eſſe palàm ſcripſit. Si autem pro pernicioſo ſumatur, minime putridum eſt, quicquid peſtilens eſt. Nam hoc pacto venenum peſtilens eſſe dicimus: quamuis ex eo morientes nullos contaminent. Ariſtoteles quoq; non dicit, omne peſtilens genus contagioſum eſſe: cuius hæc ſunt verba. τάχιστα δὲ τῶν νοσημάτων ταῦτα ἅπτεται πάντων, ὅσα τούτου φθειρομένου γίνεται, διότι τὰ λοιμώδη. *Omniũ celerrimè ſiue promptiſsimè contagione adhærent morbi, qui hoc (ſcilicet ſpiritu) corrupto fiunt, ſicut peſtilentes. Vitium interpretis eſt, cum dicit quale eſt omne peſtilens genus, tametſi verũ eſſe quod dicit, ac mentis Ariſtotelis conſentaneum putem.*

Cùm ad extremum dicis, me, amore propriorum inuentorum de[illegible] veritatem clarius per[illegible], id certè cogitaſti apud te, me mihi ipſi in meis rebus nimium blandiri. At ego nil mihi arrogo, aliis plura & [illegible] conceſsi non tantum [illegible] ſed etiam opto. Proprium quod mihi [illegible], nihil habeo. Præclariſsimè actum mecum putabo, ſi, quæ [illegible] rectè prodita ſunt, rectè intelligam. Verum

amo-

amore meorum à recta via abripiar, haud difficulter ex binis meis literis colliges. Sanctè tibi affirmo, me, quòd iuſtè reprehenſum vidi, defendere nequaquam ſtatuiſſe. Glorioſius (quin honeſtius ſit ne dubitatum quidem cenſeo) iudico, demonſtratum errorem libere profiteri, quàm eundem argumentis velle tutari aut excuſare. Malo certè mea ſolidis argumẽtis refelli, quàm aliena ratiunculis leuibus impugnare: cùm illud fructuoſum & laudabile, hoc damnoſum & vituperabile exiſtat. Finem faciam, ſi te prius admonuero, te Eraſtum habere tui amantiſſimum, dignitatis tuæ fautorem ſummum, laudem & virtutum tuarum prædicatorem ſtudioſiſſimum, & beneficiorum non immemorem. Quanto verò me abs te beneficio, amica illa de Contagio diſceptatione, affectum putem, quantum porrò abs te ſperem, quanti deniq; iudicium tuum faciam, vel hinc cognoſces, quod paulo poſt Theſes de morbis totius ſubſtantiæ (quos nulla iuſta cauſa introductos à recentioribus arbitror, ad te mittere conſtitui, vt quemadmodum in Contagio me erudiuiſti, etiam in altera iſta controuerſia inſtituas: vt magis magisq; me tibi obſtrictum reddas. Vale. Dat. prid. Non. Febr. 75.

Epiſtola XX.

AD D. HIERON. CAPIVACCIVM.

Vtrum rectius Medici de morbis ita differant, vt Logici ſolent, in abſtracto eos conſiderantes, an vt Phyſici ſolent, qui non ſine ſubiecto & cauſis, eos contemplantur. Reſpiciunt verò ferè omnia ad ea quæ in ſuperioribus ſunt tractata, vti etiam quæ de ſpirituum putredine in fine dicuntur.

Reſponſum ad meas literas tuum, vir doctrina & virtute ornatiſſime, 4. Calend. præſentis menſis accepi, idq; ſumma cum voluptate perlegi. Miratus ſum me homuncionẽ, vix tibi de nomine notum, tanti abs te, viro doctrina & virtutis laude clariſſimo fieri, vt tam facile reſponderes. Hæc tua inſignis humanitas facit, vt nil dubitem, quin & quæ ſcripſi antea, & quæ nunc ſcribam, iudicaturus ſis ab homine tui ſtudioſiſſimo ac dignita-

R

eis tuæ fautore maximo profecta fuiſſe. Si quid ſcripſi aut ſcribam fortè imprudentius, in o[illegible]nam partem vt accipias, te pro tua virtute obteſtor. Me certè non tantùm non offendet, quiſquis mea ſtrenuè oppugnarit, ſed magno ſibi potius beneficio obſtringet, cum præter vnam veritatem nihil quæram, deq́ mea exiſtimatione hac in parte prorſus non laborem. Infinite plus [illegible] debere puto, qui placita mea firmis argumentis refutat, quam [illegible] ſe eadem laudat. Hunc enim adulatorem, niſi ex imperfecta laude [illegible], illum [illegible] amicum iudico, eiq́ me omnem gr[illegible] debere pr[illegible]. Ad rem venio.

Morbos generatim & logicè potius quam [illegible] aut Phyſicè conſideratos, contagioſos non [illegible] in Theſibus nos docuimus, quam contag[illegible]undam morborum, cuius ope alios apprehend[illegible]. [illegible] nulla inter nos lis eſt. Tu etiam nuper etiam a[illegible] etiam affirmas, quoſdam morbos propter [illegible] contagioſos exſiſtere. Nec tuam ego ratiocination[illegible] ſi abſolutè negares morbos cõtagioſos dari. Eſſet enim [illegible] viri, qui inter principales laudatiſſ. Academiæ Pat[illegible] iã olim numeratur, præclariſſimæq́ doctrinæ laudem apud er[illegible]tos conſecutus eſt. Hoc igitur inter nos quæri deinceps oportere puto. Vtrum rectius Medici de morbis ita diſſerant, vt Logici [illegible] abſtracto eos conſiderantes, an vt Phyſici ſolent, qui non [illegible] ſubiecto et cauſis eos contemplantur. Hanc ego tractationem non tantum [illegible] vtilem, verumetiam in opere ſiue curatione, pr[illegible] neceſſariam iudico: illam vel nullam vel obſcuram vtilitatem [illegible] arbitror. De hac morborum diſtincta conſideratione nuper [illegible], & nunc quoq́ aliquid dicendum [illegible]. Quando de morbis [illegible] quando cum Phyſico cum Medico [illegible] de[illegible] morbis aliquot [illegible] cogi[illegible]. Quippe nil aliud morborum [illegible]. Cap. [illegible]. [illegible]atum ipſe facis, quam [illegible]. Ac eſſentia cauſæ re. [illegible]. Quoniam [illegible] aliqui ſint, qui nec [illegible] ea qualitate, quæ con-

tagium

tagium nominatur, id eſt, qua ſe morbi ad alios extendere valent, neceſſariò concedi oportebit, tales per eſſentiam ſuam contagioſos eſſe. Cæterùm conſtat febrem peſtilentem, exempli gratia, iuxta Phyſicorum & Medicorum placita, nec plenè intelligi nec ritè definiri poſſe abſque putredine venenata. Quippe in peſtilentis febris definitione ſecundum analogiam id eſt maligna putredo, quod in hominis definitione eſt, rationis particeps. Etenim de putredine veluti primo modo ſic ferè prædicatur intemperies: vt de homine animal: & de contagioſa putredine eodem modo effertur peſtilens atque contagioſa intemperies. Hæc porro putredo per ſe eſt in certo ſubiecto: nec ſine eo poteſt finiri: vt nec ſimitas ſine naſo, vt per ſe primo [illegible] eſt. Iam vero certum eſt, quæ per ſe alicui inſunt primo & ſecundo modo, ad eiuſdem pertinere eſſentiam. Quare ſicut ad eſſentiam putredinis pertinet intemperies calida, ita ad putredinis prauæ cor infeſtantis finitionem, requiritur praua cordis calida intemperies.

At, ſi quis, hæc qualitas putrida non ineſt febri peſtilenti, [illegible] ad febris eſt. Reſpondeo, verè id dici. Nam eſt pars eſſentiæ febris, non cuiuslibet ſed tantum peſtilentis: quemadmodum rationis particeps pars eſt definitionis, non cuiuslibet animalis, ſed hominis tantum. Ergo cum nec putredinem, nec contagium febrium dari aſſeris, at iam dictas diſtinctiones prætereas, non Medicum agis ſed Logicum. Medicus enim, non [illegible] conſiderat febrem, quatenus eſt intemperies calida [illegible], ſed quatenus eſt talis partis, nempe cordis calida intemperies, vel a ſpiritu calefacto vel humore putrefacto dependens. Priore modo qui febres conſiderat, nec quæ nunc diximus addit, non magis eas aut intelliget, aut Methodo ſanabit, quam tumoris generali notione contentus, naturam ſingulorum vel nouerit, vel curare poſſit. Quod erit diſcrimen inter intemperiem calidam quamlibet, ac febrem, ſi loci affecti nulla habetur conſideratio? aut quæ res alia diſtinguet malam temperationem ſine materia, ab ea, quæ cum materia iuncta eſt, ſi logicè de his ac non phyſicè diſſerendum eſt? Niſi fallor, tu febrem ab intemperie calida partium aliarum ſubiecto, corde ſcilicet, diſtinguis, cùm formale eius [illegible] eſſe dicis, morbum calidũ totius à corde proficiſcente: quod ego [illegible] puto.

Equidem morbi pro diuerſitate cauſarum, & locorum affectorum, variant quodammodo naturam. Hinc eſt, (vt Galenus de Opt. ſecta diſputans, ſcite ait,) quòd nec vnius affectus à cauſis diuerſis geniti, vnam curationem poſtulat: nec diuerſi, cum ab vna cauſa procreati ſunt, eiſdem ſemper remedijs ſanantur. Si locum affectum non putemus negligendum, ſed formam ab eo mutari credamus, cur non idem faciat τὸ αἴτιον ὁμόγονον ſiue continens cauſa? His certè cauſis res, quas continent ac fouent, ſic ferè ſubſiſtunt, quomodo ſuis formis corporea ſubſiſtunt: nec alio medio demonſtrari poſſunt. Diſcrimen finitionis formalis & cauſalis hîc locum non habet. Quippe accidentia non habent formam, qua inſtar ſubſtantiarum definiantur, ſed ipſamet formæ ſunt quædam, nimirum accidentales.

Rerum quarumlibet eſſentia definitione recta intelligitur & exprimitur. Definitio porrò recta & vera ea eſt, quæ rem, ſicut eſt, exponit. Accidentia autem non ſeipſis & per ſe tertio modo ſubſiſtunt, inſtar ſubſtantiarum, quarum hoc eſt prop[illegible]. Accidentium enim eſſe, vt ſcite quidam dicunt, [illegible] eſſentiæ ſuæ ſint formæ [illegible] ſubſtantiarum ſeu [illegible] ſubſiſtentes. Definiri igitur debent, non vt ſeipſis ſubſiſtentia, ſed vt ſubiectis ſuis inhærentia. Cæterum aliqua certum ſubiectum non habent, ſed in plurimis reperiuntur diuerſis rebus. aliqua in certis tantùm ſubiectis inueniuntur: in quibus Eſſe habent. De his [illegible] de illis, hoc loco & tempore agimus. Huiuſmodi accidentia, quæ [illegible] & propria & proprietates appellare, per ſe inſunt ſecundo modo certis duntaxat ſubiectis. nec extra ea, vel exſiſtere vel intelligi poſſunt. Quo fit, vt in perfecta talium definitione ſubiectum omitti, nulla ratione debeat: cum eam habeat in horum definitionibus rationem, quam differentia vera ſeu forma in ſubſtantiarum definitionibus obtinet, ſiue vt magis accommodate dicam, quam Genus habet in dif[illegible] definitionibus. Eſt porro duplex propriorum accidentium [illegible] ſiue ſpecies ſeu claſſis. Quædam enim ſubiecto perpe[illegible] ab ipſa [illegible] differentia [illegible] vt vis ridendi [illegible]. Huius ordinis proprietates [illegible] ſubiectis ſuis, nec eſſe nec [illegible], nullaque [illegible] ſubiecti oriri [illegible] in eadem inſunt:

inſunt: quæ vt cum ſua cauſa propria accedunt, & cùm eadem manente manent, ita cum abeunte abeunt. Huius naturæ atq; ordinis ſunt ecclipſis Lunæ, & morbi plurimi, vt Epilepſia, Apoplexia, febres putridæ, &c. Dicuntur ob id tales affectus aliquando fieri: quia ſcilicet ſimilitudinem quandam habent cum iis, quæ verè [illegible]. Nam vt hæc cauſis fiunt efficientibus, ita ſubſiſtunt illa cauſis [illegible]bus. Verè autem non fiunt, ſed exiſtunt, quoad continentes habent cauſas, nec cauſæ eorum ſunt motus ſeu generationis cauſæ, quod proprium eſt verè ac propriè efficientium cauſarũ, ſed eſſentiæ. Cuius rei gratia continentes cauſas Ariſtoteles ὁμογ[illegible] appellat, quod nimirum ſimul ſint cum effectu. At quæ propriè dicuntur [illegible], cum effectu non iunguntur: cùm et motus intercedat, & effectus ipſis abeuntibus vel agere ceſſantibus remanere valeat: quæ de continentibus ne quidem fingere licet. Harum itaq; proprietatum cauſæ, quibus & ſunt & demonſtrantur & intelliguntur, cũ ſint partes eſſentiæ, in definitionibus earum cum ſubiectis nec[illegible] ponendæ ſunt. Quippe differentiæ rationem cum ſubiectis copulatæ habent. In cauſa eſt, quòd non per ſolam ſubiecti eſſentiam, vt priores ſubſiſtunt: ſed certis præterea cauſis ad exiſtentiam indigent. Quæ cauſæ, cùm ſint ὁμόγονοι, & contineant eſſentiam talium accidentium, nec poſſunt nec debent pro verè ac propriè efficientibus reputari. Definitio quoq; talium pro cauſali definitione non debet [illegible] quò[illegible] non ex efficiente, ſed ex continente con[illegible] cauſa. Quin[illegible] per [illegible] in definitione poſitam, aliam quam propriè efficientem [illegible], negabo, cauſalem definitionem nullam exprimere formam & eſſentiam definiti. Clarè oſtendi iam, ſi non fallor, diſcrimen definitionis formalis & cauſalis non euertere ſententiam noſtram: cùm continentes cauſæ non ſint effectrices cauſæ propriæ nominatæ, ſed quodammodo [illegible] λόγοι ſint formis [illegible] in ſubſtantiarum def[illegible]. Cùm morbis tribuunt materiam ex qua [illegible], eam[illegible] per metaphoram ſic nominari poſſe, valde [illegible] petitam arbitror. Nam cùm morbi ſint accidentia, & ob id formæ quædam in ſubiectis ſubſiſtentes, nõ video per quam metaphoram poſſint fingi, ex materia conſtare. Quantum memoria [illegible] vel [illegible] puto [illegible] formas ſubſtantiales, ne [illegible] accidentales, ex materia [illegible] ma-

teria formā ineſſe dicimus: at ex materia formā conſtare nō dicimus: cùm quod materiā habet, compoſitū ſit, non ſimplex. At formæ ſubſtantiarū, ſicut & accidentia, ſunt res omninò ſimplices. Cum hanc materiā ſcribis eſſe facultatis læſionē, minus adhuc me expedio. Nam morbus per nullam tranſlationē, poteſt aptè dici ex læſione facultatis factus. Etenim ſicut operationis oblæſio morbi effectus, et ob id morbo natura poſterior eſt, ita facultatis læſio ipſemet morbus exiſtit. Qua ratione aliquid per tranſlationē ſcite fingi queat ex ſeipſo, tanquā materia factum, nondum me videre libere profiteor. Per facultatis læſionē, intelligo inſtrumentorū ſeu partium offenſionem. Quippe facultas aliter lædi non poteſt: quod tumet ipſe quoque rectè affirmas, cùm animam eiuſque facultates, non oblædi ſcribis. Ego ſanè nos aliter neque ſentire debere, nec loqui poſſe, pro confeſſo pono. Putas hactenus de facultatibus dici poſſe, quod lædantur, quatenus ad certum munus peragendum, à partium diſpoſitionibus contrahuntur, Sed ne hoc quidem conceſſerit Ariſtot. (De noſtris probationibus non eſt, quod moneamus) quando negat facultatem videndi in ſene deteriorem factam, oculo iam non rectè officium faciente.

Malle re probabilitate, vt mihi quidem videtur, diſtinctiorē [illegible] læſa operatione, facultate & inſtrumento nil perpe[illegible] ne sic quidē ſit, cui tuto acquieſcere poſſ[illegible]. [illegible] prima & vera cum ſit actionū laudatarum, [illegible] primam & verā eſſe cauſam vitiatarū. At tum [illegible] ſunt [illegible] corporis veſtri, ſeu membrorū. Ergo [illegible] eſt natura conuenienter habere fieri non poſſe, quin quid[illegible] vt actio eius impedita ſit, (tametſi opus [illegible] vituperabile [illegible] [illegible] ex contrario fieri [illegible] vt in corpore vitio exiſtente, non pro[illegible] oblæſa [illegible]. Si abſque morbo [illegible] lædi actio, etiam ſine [illegible] conuenienter [illegible] quod nullus [illegible] eſt, ac [illegible] debet.

[illegible] inter alienum, [illegible] tantum [illegible] co Galen[illegible] & [illegible]

reprehenſione careat. Differt igitur oratio, qua dicimus, actionem aliquam non fieri decenter: ab ea, qua opus ipſum vitioſum eſſe affirmamus. Illud ſine morbo contingere non poteſt, hoc poteſt. An oculi actionem aptè contendero læſam, quia non exactè perficit, quæ longius, quàm par eſt, abſunt? Aut rectè affirmauero puerum imbecillem aut debilitatum, qui centenarium pondus tollere nequit? Si inter agens & patiens ſit iuſta proportio & conuenientia, & actio non edatur concinne, iure dicitur oblæſa. Ad Gal. teſtimonia ipſemet lib. de loc. aff. 1. cap. 3. & 4. [illegible] reſpondet. Tertio de ſympt. [illegible] docet diſtinguere, num res vel opus aliquod in corpore præter naturam repertum, morbi culpa euenerit. Quis enim neſcit, ingeri vel per imprudentiam, vel neceſſitatem, vel vitioſitatem, & petulantiam, quæ deuorata non oportuit? Delirium accidere, propter acres halitus ſiue intemperie cerebri facta (ſi libet, adde etiã, ſiente) mirabile nõ [illegible]. Etenim ratiocinatio non eſt actio pure ſimilaris, ſed inſtrumentalis. Requiruntur ad eam ſpiritus puri, & modicè quieti, hoc eſt, a re nulla agitati. Acres autem fumi, eos & turbidos reddunt, & nimium exagitant.

Reſtat de ſpiritus putredine velitatio: quem ego putreſcere poſſe, arbitrari me dixi. Eſt enim corpus miſtum calidum & humidum, quæ putreſcere poſſe certum eſt. Deinde eſt ex ſanguinis vapore genitus [illegible] putredinem [illegible] aliquis putauit. Denique cum [illegible] putreſcat, quod eſt ex pluribus putreſcibilibus miſtum. Spiritus [illegible] putreſcere non poſſe, veriſimile eſt. Quippe conſtans ex ſanguinis vapore & aere non ſyncero per [illegible] quæ duo corpora ambo, putredini obnoxia videntur. Tu [illegible] argumentis contrarium oſtendere nitebaris. E [illegible] habitu non nego: at re [illegible] non poſſe, nego. Sangui [illegible] hoc argumento fultus, quod [illegible]. At [illegible] idem [illegible] infinitis alijs, quæ pu [illegible]. Non enim quæ putredine propriè dicta corrumpuntur [illegible] diffluunt [illegible]. At verò grumum in corpore [illegible] pau [illegible] manere vix eſt credibile. Et [illegible] ſanguis [illegible], cum participato venenum & [illegible]. Qua [illegible]

ſe tueatur calore illo beneficio orbatus? Tum certè putridum eſſe oportet, cùm grauia & horrenda illa ſymptomata inducit. Gal.lib.2. de fracturis ſic de eo ſcribit. Sanguis ex concretione fit grumus: niger fit colore: ac deinde etiam prauè putreſcit. Satis apertè indicat, non diu extra venas imputrem in loco calido permanere. Putrida calidiora fieri ſeipſis, ſi proprio calore, non participato, æſtimemus, ſponte conceſſi: atq; idem ab Ariſtotele rectè affirmatum in problem. noni. θερμότερον γίνεται, inquit Ariſtot. τὸ σηπόμενον ἅπαν. Sanguinem grumoſum ob id non inficias eo, calidiorem effici, cum putreſcit. Sed hunc putridum ſanguinem minus calere aio, quàm dum in venis incorruptus continebatur, caleret. Putrida attenuari itidem concedo: immodicè extenuari ſemper quæ putreſcunt, nego. Nam ſic nec aër, nec vapor pilorum, nec alia quædam putredinem contraherent, ſed diſſiparentur. De hac eadem re, quæ nuper ſcripſi, confutata nondum ſunt.

Putredinis duplicis mentionem facere Ariſtotelem in 4. Meteor. certum eſt. Alteram propriè putredinem vocari, eam ſcilicet, quam ipſe κατὰ μέρος σῆψιν nominat, æquè perſpicuum eſt. Annon ex his neceſſario efficitur, priorem impropriè hoc nomine efferri? ſiue non vſitatè putredinem nuncupari? Ego ſic arbitror. At loquitur, inquis, de vera miſtorum generatione. Ergo & de eius oppoſito, tanquam vera & propria miſtorum affectione loquitur. Concedo omnia. Et hanc affectionem appellat putredinem. Fateor hoc etiam. At ex hoc non efficitur, hanc affectionem, vſitato loquendi more, putredinem nominatam fuiſſe ipſius ætate. Non de re, ſed de nominatione rerum duarum diſtinctarum hic agimus. Vtramque cum vocaſſet putredinem, de altera propriè nomen hoc dici, de altera non item vſitatè dici, monuit: ne cùm nominibus res quoque ipſas confudiſſe cenſeretur. Mens Ariſtotelis, vt ex alijs eiuſdem autoris locis probatur, breuiter hæc eſt. Putredinem finit eſſe, corruptionem inſiti in re qualibet caloris ab adventitio [illegible] calore profectam. Etenim corrumpitur [illegible] leniter. Et ſecundum Naturam quidem corrumpi [illegible], ὅταν ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ: καὶ ἡ τοῦ μορίου σύ[illegible] ἐκπίπτει τι πάθ[illegible]: id eſt, quando principium [illegible]

calitu-

extrinſecus,ſed in ipſa re ineſt:quia ſcilicet naturaliter ſic facta,non per affectum acquiſititium,ſeu per morbum,ſic reddita eſt. Hanc naturalem ingeniti caloris corruptionem, alibi non minus ſignificanter vocat μάρανσιν διὰ χρόνου μῆκος καὶ τελειότητα γινομένην: id eſt, exſiccationem tractu & diuturnitate temporis ortam. Eandem hanc in 4. Meteorol. putredinem generationi naturali oppoſitam,& interitus naturalis finem nuncupat. Violentæ porrò congeniti caloris corruptionis,(Huius cauſam extrinſecus aduenire, atq; ἐπίκτητόν τι πάθος eſſe oportet) duas facit ſpecies: quarum alteram σβέσιν,id eſt,exſtinctionem,alteram μάρανσιν,hoc eſt,marcorem vel exſiccationem appellat. Exſtinctionem à contrarijs effici ait:marcorē ſeu arefactionem ſeu tabem,ab ipſomet calore proficiſci,aſſerit. Quo fit,vt duo ipſi ſignificet nomen μάρανσις:ſcilicet naturalē caloris interitum,& violentum: ſicut ex 17.cap.lib.de Reſpir.& 4.de iuuent.& ſenect.clarè perſpicitur. Iam quod putredo,de qua nos loquimur, quæq; proprie ſic appellatur,ſpecies quædam ſit violentæ corruptionis caloris naturalis,extra controuerſiam poſitum reor. Quare ſiue ſub σβέσει, ſiue ſub μαράνσει contineri patetur, mea nil refert: cùm ſemper hoc verum permaneat, putredinem hanc,& illam, quæ naturalis interitus finis exſiſtit,ſic differre, quomodo Naturale à violento & morboſo diſtat. Quare ſi altera proprie nominatur putredo alteram impropriè ſic dici neceſſarium eſt. Cùm porro tu voce, proprie ſignificari dicis putredinem Elementorum, quomodo probaturus ſis ignoro. Nam putredo eſt affectio miſtorum, non Elementorum: vt in omnibus ſuis libris Ariſt.conſentientibus omnium ſeculorum eruditis,docuit. An aliquis hæc eius verba de putredine Elementorum exponenda putarit, neſcio. Hoc affirmare interim non verear, Elementorum corruptionem neq; Ariſtotelis,neq; vllo alio ſeculo, magis vſitatè & propriè putredinem fuiſſe nominatam, quàm miſtorum corruptionem. Et cum Ariſt.ibi agat de miſtorū affectionibus, quoad miſta ſunt,quomodo Elementorum corruptionem potuerit affirmare putredinem propriè vſitatéq; appellatam fuiſſe,ipſe non intelligo. Etenim nec inſtituto eius quadrat, nec vllius authoris Græci teſtimonio ritè probari poterit. His adde, quod nullus adhuc dubitauit, quin definitio putredinis ibi tradita,congrueret ei putredini,quam ibidem proprie ſic dici monuit.

Quæ, quomodo Elementorum corruptioni aptari queat, ignorare me fateor. Quo pacto in terra & aqua puris corrumpetur calor inſitus & natiuus a calore alieno? cùm non magis calida ſint hæc elementa, quàm ignis frigidus. Item cùm in omni putredine humidi à ſicco ſecretio fiat, quî putabitur hoc in ſimplicibus fieri? Quod ſi etiam putredo generaliter ſumta, eſt miſtorum, quoad inſita ſunt, atq; Elementa propriè miſta non ſunt, quî poterunt Elementa propriè putreſcere? Etſi enim vſitatè dicimus aërem putreſcere, cum vapores in eo contenti putreſiunt, ipſe tamē aër ſincerus non putreſcit. Quando cū halitibus miſcetur, aut permiſtus eſt: ſic ferè putreſcit, quomodo in miſtis perfectioribus putreſieri poteſt. Sūma ſententia mea eſt, ſpiritus putreſcere poſſe, præſertim peſtis tempore. Intelligo autem ſpiritus nomine, non purum & ſincerum ſpiritū, qui animo concipitur, [illegible] ſa non magis inuenitur, quàm ſanguis ſincerus actu reperiatur. Et hoc pacto acceptū ſpiritum putreſcere, docent experientia & ſenſus, [illegible] Ariſt. et Gal. authoritatē ſileam. Hic certe peſte correptos ſcribit putri[illegible] um exſpirare euidenter adeò, vt idiotæ obſeruarint. Ille morbos ſpiritū putrem efficientes maximè cōtagioſos eſſe monet, atq; inter hos peſtilentes in primis cōnumerat. Reliqui authores peſtilentē Ephemerā dari, omnes penè cōtendunt, eamq; cōtagioſam. Quare ſi omnis peſtilens febris eſt putrida (quod Gal. affirmat, ac res ipſa docet) etiam Ephemeræ tales putridæ ſunt. Neceſſariū igitur eſt, vt in his ſaltem putreſcere ſpiritus fateamur. Nec opus eſt profunda illa putredine, quam videris ex Fracaſtorio fabricari, ſed ſatis eſt peculiarem ſiue modum ſiue gradum eius cogitare.

Hæc in præſentia mihi occurrerunt, quæ perquirendæ veritatis gratia tibi, politiſſimo iudicio tuo examinanda proponerem. Perſuaſiſſimum interim & habui, & nunc etiam habeo, te de reipſa idem mecum ſentire, & illuſtrandæ veritatis, atq; excitandi mei cauſa, quod maxime expetiui, oppugnare voluiſſe. Quamobrem tantùm me tibi debere intelligo & profiteor, quantùm perſoluere fortaſſe nunquam potero. Dabo tamen operam, vt grati animi, & tuæ dignitatis atq; exiſtimationis ſtudioſiſſimi hominis officium, temerè non ſis deſideraturus, ſi modo opportunitas aliqua offeratur. Quoniam verò ex hac [illegible] plus me didiciſſe ſentio, quam verbis exprimere norim, te pro

te pro inſigni tua eruditione rogo, vt & in hac cauſa, & ea, quam proximè miſſurus ſum, de totius ſubſtantiæ morbis. pergas me exercere ac docere. Scripſi enim ſuperioribus diebus Theſes, quibus incaſſum, totius ſubſtantiæ morbos confictos, demonſtrare conatus ſum: ſi aſſequi non potui: ſpero doctos ſtudium & conatum noſtrum non improbaturos. Dominus Ieſus tuam præſtantiam incolumem Reip. ſeruet. Amen. Sexto Id. Febr. 75.

Epiſtola XXI.

AD D. HIERONYMVM CAPIVACCIVM.

Quod nullus morbus, quatenus morbus, contagioſus dici poſsit. 2. Vtrum actio aliqua lædatur, inſtrumento non læſo. 3. Galenici loci cap. 1. lib. 3. de ſympt. cauſ. explicatio. 4. De putredine.

S. D.

MAgna verò me voluptate affecerunt literæ tuæ, vir doctiſs. atq; clariſſime: partim quòd me à te amari perſpexi, partim quòd in plerisq; diſputationis noſtræ capitibus idem nos ſentire, tametſi non eiſdem verbis vtamur, cognoui. Quanti prius æſtimem, non facilè dixero: cum minimè ignorem, quantum ſit bonum viris principibus placuiſſe. Cæterum inter principes Academiæ veſtræ te partes nequaquam poſtremas tenere, iam olim ſciui. Nec minus amorem tuum erga me tum ex adoleſcentum, quos tibi commendaram, literis, tũ ex tua ipſius epiſtola didici. Scribunt enim illi mihi, maximè autem Petrus Monauius, ſe à te non modò diligi, verùm etiam vehementer amari. Pro quo beneficio, ſi gratias referre potero, faciam equidem, vt nec ingratos nos nec immemores eſſe intelligas. Poſterius illud, veritatis maximè cupido & ſtudioſo, non poteſt non eſſe gratiſſimum. Quid enim magis optem, quàm tanti viri iudicio rectè ſtatuere de rebus controuerſis? Equidem ſi quid eſt inter nos diſſenſionis, id in eo conſiſtere potiſſimum arbitror, quòd non eodem modo loquimur: eiuſdemque verbis animi cogitationes non exprimimus.

Equidem quod morbum nullum formaliter, vt tu loqueris, vel quoad morbus eſt, ſicut ego dicere ſoleo, contagium aut contagioſum eſſe dicis, omninò probo & laudo. Nec ego diuerſum vnquam vel dixi, vel ſcripſi, vel ſenſi: quantum quidem memoria repetere poſſum. Semper enim contagium, affirmaui, accidens eſſe certorum morborum: ad eſſentiam morbi, quoad morbus eſt, pertinere nunquam putaui. Quinimo nec breuitas ſeu acuties, & tarditas ſeu diuturnitas ad morbos, quoad morbi ſunt, ſpectant: ſed accidunt, hæc & his alia plura, certis quibuſdam morbis. Ergo quod tu cauſaliter aut concomitanter adeſſe nonnullis aſſeris, hoc ego eiſdem accidere aio. Quod etiam contagium, tu vocas, ſeminarium, ego autem qualitatem, quæ à ſeminario vnà cum morbo, in corpus inducitur, nomino, diſcrepantes ſententias nos defendere minimè probat: ſicut vnuſquiſque videre poteſt.

In eo arbitror aliquid eſſe inter nos differentiæ (ſi tamen seriò mecum in hac parte agis: & non potius meam ſententiam expiſcari ſtudes: quod & nuper me ſuſpicari oſtendi) quod actionem lædi aſſeueras, inſtrumento non læſo. Idem nanq; in hoc loco Gal. quem citas, (quemq; bis repetita petitione diligenter, vt attentè legam, rogas) ſignificat nomen τῆς δυνάμεως ſeu facultatis, quod inſtrumenti diſpoſitio denotat. Quippe facultatem lædi apertè ait, quoties vel temperies ventriculi, vel organica eius diſpoſitio (ſub his etiam vnionem complectitur) vitiatur. Ego ſanè locum hunc ſæpe & in natiua Galeni lingua, & in Latinum ſermonem conuerſum, minimè oſcitanter legi: ſed quòd mecum pugnaret, inuenire nunquam potui. Fateor, ſi quis verba magis quàm ſententiam ſpectet (hoc eſt, corticem potius intueatur, vt tu ſcribis, quam medullam rimetur) videri ea tale quid aſſerere: nempe actionem aliquam ſine vitio facultatis ſeu inſtrumenti quandoque lædi. Sed aliter rem habere, firmiſſimè & clariſſimè demonſtrabo: licet in proximis literis, idem hoc ſatis declaratum.

Demonſtrationis noſtræ fundamenta & propoſitiones hæ ſunt. Corporis noſtri actio non eſt, quæ à nulla eius parte efficitur. Corpus noſtrum ſuas omnes actiones, bonas pariter & malas, per partium diſpoſitiones conuenientes & inconuenientes, exercet. Diſpoſitio na-

tura

turæ congruens,ſanitas,& incongruens morbus nominatur. Sanitas porrò affectus eſt naturalis,actiones primò producens bonas & laudabiles: At morbus huic contrarius, eſt affectus,actiones primò lædens,ſeu malas & culpabiles proferens. Quocirca cùm corporis noſtri actiones omnes vel ſint bonæ & laudatæ,vel vitioſæ & damnabiles (De affectu medio ſiue neutro, non eſt, cur hîc nobis lis moueatur) neceſſarium eſt,vt illæ à ſanitate,hæ à morbo cuncta per ſe & primò proficiſcantur. Et hactenus ita omnia ſunt certa,vt à nullo vnquam docto Medico aut Philoſopho,in dubium fuerint vocata.

His ſtantibus,impoſſibile eſſe aio,vt actio aliqua noſtra (De illis agimus,quas anima,non abſque inſtrumento corporis , exercet) lædatur,illæſo permanente inſtrumento,à quo illa primò & per ſe editur. Quippe actiones omnes primò eduntur à ſanitate & à morbo. Et à ſanitate ſanæ,à morbo autem vitioſæ,tanquam à cauſis proximis manant. Sanitas autem & morbus ſunt affectiones corporis animati. Quamobrem neceſſarium eſt, vt actio omnis læſa vel à ſanitate vel à morbo primò prodeat. Non à ſanitate efficitur. Nunquam enim ſanitas cõtrarius affectus morbo,actionẽ producet morbi propriã. Dictum verò poſitumque eſt,culpabilẽ actionẽ morbi propriũ eſſe effectũ. Quocirca vel non erit actio deprauata corporis noſtri actio, vel à morbo, vt à prima & proxima cauſa ortum habet. Si corporis noſtri actio non ſit , nihil ad nos pertinet. Si eſſe concedatur,neceſſarium eſt,vt vel cauſa careat, vel à morbo primò ſit edita. Sine cauſa actionem aliquam fieri,non eſt imaginabile. Quare morbum habet cauſam. Inſtrumentum igitur,à quo editur,morbo affectum eſt tunc,cùm non agit laudabiliter. Repeto breuius hoc modo.

Omnis actio corporis noſtri praua & incongrua procedit à morbo per ſe & primò:quòd morbi definitio ab omnibus omnium ætatum Medicis & Philoſophis probata, demonſtrat. Ergo omnis actio praua & incongrua corporis noſtri ab inſtrumento præter naturam affecto,procedit. Quippe morbus nil aliud eſt,quàm talis affectus animati corporis. Quòd porrò inſtrumentum præter naturam affectum eſt,læſum eſt. Nulla igitur actio læſa fingi poteſt ab inſtrumento ſecundum naturam habente,proceſſiſſe. Conuertitur bona definitio cum definito. Si ergo morbus id eſt , quod ſolùm & primò lædit cor-

poris noſtri operationes, certum eſt læſam actionem omnem primò à morbo effectam fuiſſe. Sanitas certè ſic ſe ad morbum habet, vt actio bona ad malam. Ergo ſicut non poteſt actio bona eſſe mala, nec mala eſſe bona, ita nec ſanitas poteſt eſſe morbus, nec morbus ſanitas. Si autem ſanitas poneretur primò producere actionem malam, concedi etiam oporteret, ſanitatem eſſe morbum. Quoniam opere & potentia definiuntur hi affectus: nec alia eſt illorum ſubſtantia, quæ propter operationem & finem certum facta ſunt, quàm eorum operatio: vt ſæpè docuêre tum Galenus, tum Ariſtoteles. Idcirco cùm non poſſit ſanitas eſſe morbus, nec opus morbi proprium efficere poteſt.

His addi hoc etiam poteſt, ſi tua hypotheſis valeat, vel Galeni verba ſic accipiantur, vt tu exponis, totam methodum medendi, maximè autẽ eam, qua inueniri docemur locũ affectum, euerti. Nam Galenus in 1. lib. de locis aff. in fine ſecundi capitis aſſeueranter hoc huius methodi principium ſtatuit, Nullam actionem lædi, inſtrumento eius non læſo. Hoc inquit, principium eſt, τὸ μηδ᾽ ἄνευ βλάβης μηδεμίαν ἐνέργειαν ἄνευ τοῦ πεπονθέναι τὸ ποιοῦν αὐτὴν μόριον. Satis opinor multis propoſitum demonſtraui: nec te vel tertio[illegible] vel latiora petiturum mihi perſuadeo. Si hoc loco ex me quæ[illegible] aliquis, num ſecum pugnet Galenus, dum expreſſè contraria videtur affirmare, à ſe diſſentire hac in re negabo: & neque difficilem neque obſcuram eſſe conciliationis rationem affirmabo. Quæ igitur eſt conciliatio?

Etſi dicere vel exiſtimare aliquis poſſet, Galenum hoc in loco, nempe capite primo libr. 3. de ſymptom. cauſ. diſpoſitionem, quæ à cauſa vel re externa tota adhuc pendet, nondum pro morbo cenſer[illegible], atque ob id eas ſolas diſpoſitiones morbos appellare, quæ impr[illegible] membris: non tamen ea mihi ſatis facit reſponſio: tamet[illegible] textus verbis argumenta aliqua conſtrui valeant id [illegible] ſtis. Mihi verior eſſe illa reſponſio nunc etiam videtur, [illegible] ſuperiore Epiſtola quoq; attigi: eum hîc voluiſſe docere nos [illegible] actionem ab opere: quorum differentiam Galenus non [illegible] in loco docuit. Intelligit ergo per ſymptomata non ipſam tanti[illegible] actionem, verum etiam opus: ac ſi iſto modo dixiſſe[illegible]. Fruſtratæ act[illegible] cauſæ duæ ſunt, vna eſt vitium facultatis ſeu inſtrumenti: altera eſt obiectum

inconue-

inconueniens. Quando inſtrumentum vitio laborat, coctio non fit, tametſi obiectum culpa vacet, quia ipſa actio tunc eſt læſa. Cùm autem actio integra eſt, ac nihilominus finem non aſſequitur, cauſa eſt in obiecto. Notandum eſt, quòd non idem ſunt ἀποτυχία πέψεως, *id eſt, concoctionis fruſtratio, &* ἡ βλάβη τῆς πέψεως, *hoc eſt, coctionis vitium. Multi enim rectè & ſecundum naturam agentes, fine tamen fruſtrantur. Sic & ventriculus, cùm obiectum habet incongruum, licet pro viribus ſuis agat in ipſum, fruſtratur tamen fine ſuo: & generatur opus præter naturam, quamuis actio eius non ſit læſa. Sic ignis non propterea virtutem inflammandi non habet illæſam, qui ſaxa & aquam in flammam non vertit. Nec ideò Magnes non agit pro naturæ ſuæ modo, quia ferri nimium pondus, aut alia metalla ad ſe non pertrahit. Non actiones horum corporum ſunt deprauatæ aut vitiatæ, cùm iſta ſic eueniunt, ſed obiecta non ſunt idonea ſic pati. Ex his manifeſtè patet, quomodo ſymptomata ſeu fruſtratæ coctiones fiant (id eſt, quomodo vel crudi vel praui humores nonnunquam in ventriculo generentur) actione ventriculi ſecundum naturam habente. Hinc autem nullo pacto efficitur, actionem partis alicuius eſſe læſam, parte ipſa nullo morbo laborante. Aliud enim eſt actionem lædi, & aliud rurſus opus aliquod præter naturam oriri. Non enim ſemper eſt læſa actio, quæ finem & ſcopum non aſſequitur.*

Hæc vera eſt huius loci declaratio, vt ex primo libro de loc. affect. cap. 2. 3. 4. perſpicere licet: vt alia teſtimonia præteream. Quare etiam ratiocinationem tuam ex hoc loco exſtructam neceſſarium eſt corruere. Niſi enim aliter, quàm verba ſonare videntur, interpretemur, à nullo mortalium vindicari à contradictione poterit Gal. Quin imò grauiſſimi erroris reus conuincetur: niſi artis noſtræ principia labefactare quis velit. Quod de Magnete adfers, eum propter præſentiam Adamantis ferrum non attrahere, id ego periculo ſæpius & in optimis & mediocribus facto, falſum reperi. Vt experirer, mouit me Conciliator, qui tot retrò annis, imò ſeculis, huius rei vanitatem aperuit. Clarius idem hoc demonſtrauit D. Garzias ab Horto, Indorum proregis Medicus, in lib. de Aromat. & ſimplicib. aliquot medicamentis in India naſcentibus. Aſtipulatur experientiæ ratio. Nam affectus naturales per occultam alterius rei

diſſenſionem non tolluntur, teſte vniuerſitate rerum tota. Alteratione & mutatione inducuntur & auferuntur naturales diſpoſitiones, cùm ex certa miſtione oriantur, & ea non mutata minimè abeant.

De putredine ideo pauca dico, quia decreui hanc rem, pluſculum otij nactus, accuratè ac fuſe tractare. Haud ſcio interim, an ſatis rectè putredinem, quam Ariſtoteles propriè ſic nominari ſcribit, improprie ita nomines, et in ea miſtionem diſſolui aptè neges. Equidem verba hæc Ariſtotelis χωρισθῆναι τῆς φύσεως, non ſignificant ſolùm à natura ſua diſceſſum, qui per alterationem, aut alienæ rei admiſtionem duntaxat fiat, ſed ipſius naturæ deſtructionem. Si putredo eſt corruptio, & particularis putredo etiam continetur ſub putredine, ſequitur hanc quoq; eſſe rei corruptionem, non alterationem ſolùm. Nam corrupta reſtitui nequeunt, alterata poſſunt. Putreſcentia quoq; cur nunc ſeipſis calidiora efficit magis, non intelligo, cùm nuper hoc argumento conatus fueris probare, ſpecieq; putreſcere, quia calidiora oporteat fieri, quæ putreſcunt. Ego tum reſpondi, diſtinguendum eſſe inter participatum calorem, & quem res quæq; ex ſuo temperamento propriè obtinuit. Scio enim, & totam naturam probare, calidiora ſeipſis effici putreſcentia ab aduentitio calore, & Ariſtotelis eſſe verba hæc, θερμότερον γίνεται, τὸ σηπόμενον ἅπαν. id eſt calidius fit, quicquid putreſit. An nõ idẽ hoc definitio putredinis probat? Frigidiora quoque fieri eadem non inficior, ſi de innato calore intelligamus dici. Sed & putrefacta, calore putrido diſsipato, frigidiora eſſe quam ante putredinem fuiſſent, nihil fortè prohibet.

Probo & laudo, quòd contagij ſeminarium putridum vocari ais, quia & à putredine ortum ſit, & putrefaciendi potentiam in ſe contineat.

Morbum totius ſubſtantiæ dari inficiaris vnà mecum, & ratione probas, quæ aduerſus illos plurimum valet, qui totius ſubſtantiæ morbum, dicunt eſſe morbum formæ. At neq; omnes eodem modo de tota ſubſtantia loquuntur, nec iidem eadem ſemper hac de re proferunt. Quid Ariſt. & quid Gal. totam ſubſtantiam cenſuerint eſſe, tibi viro doctiſsimo & acutiſsimo compertiſsimum eſſe arbitror. Quare nihil hîc amplius addo.

Ad extremum te, vir clariſsime, mihiq; ſumma obſeruantia colende,

de,etiam atq; etiam oro,ne putes me vllius alius rei gratia tecum diſſerere de iſtis rebus,quàm vt abs te, ſicubi fortè exorbitem ,in viam reducar: & magis exercear. Quamobrem tantùm abeſt, vt mea r[illegible] felli nolim,aut reprehendi animo iniquo patiar , vt ſummum in reprehendendo conatum maximi beneficij loco ſemper & habeam & habiturus ſim. Si enim iuſtè accuſor,rectiùs inſtituor ac doctior fio: ſi iniuſtè,tamen exerceor, & res pleniùs comprehendo: inq; ſententia magis confirmor. Et quia ſentio me ex mutua collatione plurimum profeciſſe, & ago & habeo tuæ humanitati gratias, dum referendi facultas detur. In Chriſto Ieſu Domino & Seruatore noſtro feliciſſimè vt valeas, ex animo precor. Die 26. Ianuar. anni 76. quem tuæ præſtantiæ, tuis auſpicatiſſimum opto.

Epiſtola XXII.

AD D. D. LVCAM STENGLIVM MEDIcum Auguſtanum clariſſimum.

De contagio & vera eius definitione , quomodo item contagium fiat, & qui morbi contagioſi eſſe dicantur.

Accepi heri veſperi literas tuas, 20. Decemb. ſcriptas. Vir ornatiſſime , tantaq; cum voluptate legi , quanto eaſdem deſiderio exſpectaui , ex quo tempore te meditatum aliquid hac de re fuiſſe cognoui. Ago tibi pro humanitate tua ingentes gratias: teq; rogo, vt reſponſum hoc meum, ſic accipias, vt me meam ſententiam planius exponere, non tuam refellere voluiſſe exiſtimes. Equidem perſuaſiſſimum habeo, te, quæ aduerſus noſtra protuliſti, bis de cauſis præcipuè attuliſſe , vt & petitioni meæ ſatisfaceres, & quàm eſſem aptè veritatem defenſurus, perſpiceres. Quod in definitione contagij cenſes pro qualitate putrida, debuiſſe poni , affectum præter naturam, mihi non admodum diſplicet , quamuis iudicauerim aptiùs poni genus propinquius. Etenim affectus præter naturam multò latiùs patet, quàm putredo: quæ ſpecies quædam eſt affectus præter naturam. Quod in 6. theſi dixi, proprietatem ac vim morborum eſſe, qua ſe proferre ad vicina corpora poſſint, in 38. preſſiùs & apertiùs expoſui: dum hanc vim putridam qualitatem exiſtere docui. Putrida verò qualitas, ſiue putredo, cùm ſit qualitas corporum miſtorum

quatenus miſta ſunt (ſiue qualitas ſecunda, vt tu vocas, & in theſi 23. ipſe quoq; affirmaui) in genere affectuum præter naturam prorſus continetur, vt ſpecies in ſuo genere. Quare propius naturam contagij exprimit quàm nomen affectus. Illud interim concedi non poteſt, quod ais, caliditatem putridam motum eſſe circa materiam, qui adhuc fiat: cuiusq; finis ſit corruptio. Nam vt diſcrepant res mobilis (ſeu mota) & motus, ita differunt caliditas & calefactio. Quocirca nõ poterit vllo pacto caliditas putrida motus eſſe: cùm ſit finis & terminus mot⁹. Putridæ etiã qualitatis finis, nequaquã eſt corruptio: ſed ipſamet corruptio exſiſtit: nec fit, ſed facta eſt qualitas. Ne illud quidem intelligo, cur, quia putredo eſt qualitas ſecunda, contagium aptius qualitate quàm putredine definiatur. Pauciora comprehendit qualitas putrida quàm abſolutè vocata qualitas. & in definitionibus propinquiſſima genera rectius ponuntur remotioribus. Ideo autem contagium corruptione definitur potius quàm contactu: quia ſine putredine, quæ corruptionis quædam ſpecies eſſe ſtatuitur, definiri nequit: cùm ſine contactu propriè dictum contagium, neceſſario definiri oportere demonſtrauerim. Equidem qualitas illa morbi mei, quæ inficere alium poteſt, nequaquam rectè poterit dici me tangere (cùm inter corpora duntaxat contactus propriè dictus exiſtat) nihilò minus alienum, & minimè omnium ſpatio aliquo diſſitum corpus, tangere putandum eſt. Quis enim dixit vnquam, morbum, qui in meis membris inhæret, alienũ corpus contigiſſe? Iam ſi morbos tangere corpora non poſſe certum eſt, qua ratione aptè affirmabimus, eorundem qualitates & proprietates, contactu lædere? Ergo cùm contagium ſit morborum certorum affectio & proprietas quædam, qua ſe poſſunt veluti multiplicando ad alios proferre, non debet in eius finitione contactus poni. Tunc enim ſolùm habet locũ, quando pro ſeminario, quod corpus eſt, ſumitur. Quocirca nihil probat argumentum hoc. Contagium alteratione indiget. Alteratio porrò contactu fit. Ergo & contagium inducitur contactu. Primum enim naturali contactu ſola corpora ſe contingunt: vt in 11. theſi oſtendi: & in his literis ipſe confiteris. Morbi igitur eorumq; proprietates, non rectè dicentur tangere. Deinde tres, de quatuor contagij notionibus, non ſignificant corpus. In horum ergo definitionibus fruſtra poſueris contactũ: vt in 10. theſi declaraui.

Præ-

Prætereà falleris, ſi iſta ratiocinatione te confeciſſe putes, contagium per contactum rei contagioſæ ſemper naſci. Haud enim rectè collegeris, contagium per cōtactum inducitur, quia ſine alteratione non gignitur. Ergo per contactum contagioſæ rei ſemper ſuſcitatur. Quippe non concluditur particularis ex vniuerſali aiente. Non enim ſequitur, hoc animal eſt: Ergo equus eſt: cùm poßit eſſe aliud. Eodem præciſe argumento, vno ſolo termino mutato, probabo putredinē contactu rei putridæ generari. Putredo non generatur abſq; alteratiõe. Alteratio porrò omnis contactu fit alterantis. Ergo putredo fit contactu alterantis. Hoc rectè concluditur, malè autem ſubiecero complexionem hanc particularem: Ergo putredo ſemper gignitur per contactum rei putridæ. Hanc enim omnes homines falſam eſſe vident, atque ex præmißis non effici. Ita contactu generari contagium omne fatemur. At non verum ob id erit, per rei contagioſæ contactum ſemper generari: quod ipſa rerum euidentia liquidè probat. Nam morbi contagioſi aliquando ſuſcitantur à ſimplici caliditate Solis: à laboribus: ab animi affectibus, &c. Contagio nullo antecedente: quemadmodum & contagioſus nonnunquā in corpore ſalubri vel nullum, vel non contagioſum, morbum parit. Variant agentium affectiones pro patientium varietate: naturam agentes non ſemper ſeruant. Quod ſi non de hoc ſpeciali cōtactu, ſed de generali te loqui aſſeueraueris, prætérquam quod definitio tua, aliaq; omnia refragantur, nihil cōtra theſes, menteq; noſtram attuleris. Deniq; ſi contactu definiendū ſtatuatur, quod abſq; contactu non efficitur, in omniū penè rerū definitionibus requiretur contactus. Aliud agit, qui, quid contagiū ſit, docet: atq; aliud rurſus agit, qui, quomodo, & quibus contagiū inferatur, exponit. Num caliditas ſine contactu non definietur, quam ſine corporis calidi cōtactu generatā non fuiſſe ponimus? aut putredo per cōtactum neceſſariò finiēda erit, quia ſine alterantis rei cōtactu nō oritur? Nō magis cōſtat altera ratio, ſcilicet contagiū perpetuò creari per contactum qualitatis ſimilis, ſeu cōtagioſæ, quia motio exſiſtat inter duo corpora, cōtaminans & contaminatū. Primū enim dici nequit, omne contagiū eſſe mo::o::ē ſed quoddā ſolū, vt in 2. & 5. theſi docui. Deinde nō definiui ego contagiū, quoad motionē ſignificat, ſed quoad certam certorum morborum qualitatem exprimit, quod ex 6. theſi perſpicitur.

Præterea parùm ſcitè diceretur motus aliquid tangere. Poſtremò nō ſequitur, hoc à corpore in corpus aliud inducitur: Ergo tangit corpora, ad quæ propagatur. Iam enim dictū eſt, inter qualitates nō exſiſtere cōtactū. Manifeſtū feci cōtagiū, de quo me agere monui, nō debere cōtactu definiri: nunc de tua definitione paucula dicemus, vt res explicetur ampliùs. Contagiū, inquis, eſt affectus præter naturā ex vno corpore in aliud tranſiēs, putrida qualitate eius, ſubſtantiā per cōtactum cōtaminans atq; corrumpens. Hæc mihi definitio nō tam videtur limpida, quàm tibi: quin imò laborat magnis incōmodis. Primùm ſignificat affectus, alterationē permanentē: vt paulò ante rectè affirmabas. At non longè pòſt in eo argumento, ad quod iam poſteriore loco reſpondi, tu contagiū ponis eſſe motionē: cum ſic argumentaris. Inter ſola corpora fit contactus naturalis. At motio, quæ contagiū de vno corpore in aliud diffunditur, exſiſtit inter duo corpora. Quare contagium fit per contactum. Niſi idem ſignificent contagium & motio, quæ de vno corpore in aliud tranſit, vitioſa prorſus eſt tota ratiocinatio: imò nulla eſt. Si pro eadem re poſita ſint, pugnat cū definitione. Cur nihil probet argumentū, dictū ſupra fuit: quibus addi hoc poteſt, quòd, cùm dicimus inter corpora cōtactū duntaxat inueniri, hoc dicere volumus, ſola corpora ſe mutuò tangere poſſe. Hoc modo ſi tu quoq; intellexiſti, nō equidē video quid efficias. Nō enim quod inter corpora eſt, tangere aliud poteſt: cùm de ipſis tantùm corporibus hoc affirmemus. Cùm addis in definitione, affectū de corpore in corpus tranſire, nō malè ſentire te, ſed nō ſatis ꝓpriè loqui arbitror. Quippe affectus nō tranſit: ſed quiddā generat, quod tranſiens ſimilē in corporibus alijs qualitatē gignere, aptum eſt. Rectiùs proinde, ſi non me fallit animus, in theſibus 6.7.8. & 38. naturam contagij expreſſi. Putridam qualitatem rectè quoq; aſſeris corruptionis cauſam in alio corpore exſiſtere: ſed tecum ſic pugnas, vt quomodo te tibi reconciliem, neſciam: dum ad 30. theſin ſic ſcribis. Sunt morbi aliqui contagioſi, qui nulla inducta putredine magna vi ſubſtantiā diſſoluunt, vt putrefactioni tempus nō ſuppetat. Si morbus aliquis contagioſus eſt, nec putredinē indiuulſum habet comitem, male pars eſſentiæ in definitione ponitur putredo. Item ſi contagioſi morbi qualitate putrida corpora aliena inuadūt & corrumpunt, quomodo iſtæ citra putredinē irrepunt eademq; corrumpunt? De contactu ſatis multa diximus.

Iam

Iam ad reliqua deſcendamus. In Theſi 12. dixi, non ſemper fieri contagium, quia contaminans contaminatum tangat, propterea quòd multi inficiantur, qui ad ægrum propius nunquam acceſſerint: hoc eſt, quorum extrema ſimul nunquam fuerunt. Iam cùm ſe contingant, quæ extrema ſimul habent, patet multos infici abſque contactu ægri. Quia verò hic poterat reſponderi, contactum eſſe per medium, in 13. monui, hoc non ſatisfacere argumento. Nam quæ per medium aliquod ſe contingunt, extrema non habent ſimul. Ergò impropriè ſe contingere dicuntur. Et cùm obijci hic etiam poſſet, effluuia ex ægro corpore manantia ad inficiendum vſq; pertinere: ſicq; contactum per medium aliqua probabilitate defendi. (Sic Sol dicatur fortaſſe lumine ſuo nos attingere: & aliquis gladio, vel ſclopetto cenſeatur alium attingere) in 13. oſtendi, hoc quoq; effugium fruſtra quæri. Etenim in contagioſis morbis non ſic vapores contagium tranſportantes ab inficiente ad infectum uſq; ſemper continuantur: ſed ſæpè in pannis, culcitris, rebus alijs longo tempore ſeruantur: & deniq; eos contaminant, quos æger nunquam vidit, dum æger fuiſſet. Non nego igitur contactum per medium dari, ſed impropriè ſic appellari, indico. Quin ne ſic quidem rationibus noſtris ſatisfieri monſtro. Ignem ac Solem à nobis diſsitum per medium aërem prius calefactum nos calefacere quis neget? aut quis Magnetem ferrum ad diſtantiam certam attrahere? vel res viſibiles nulla reali in aërem mutatione impreſſa oculum per ſpeciem tangere? Apud Auerrhoëm nihil reperitur cum noſtra ſententia pugnans.

Cur ophthalmia contagioſa ſit, in 37. Theſi generatim expoſitum eſt: cui repugnare, videtur, quod in ſequente ponitur contagioſos morbos eſſe, quicunq; inſignem putredinem nacti ſunt. Hac enim ratione excludetur ſcabies, lepra, ophthalmia, &c. vt argutè tu obijcis. Reſpondere poſſem, inſignem putredinem à me nominari, non vulgarem, ſed certo gradu modoq; (ſicut in præcedente legitur) ab alijs differentem. Quippe inſigne dicitur, non tantùm, quod eximium & magnum eſt, verumetiam, quod ab alijs ſigno vel nota qualibet diſtinguitur. Poſſem etiam dicere, me non negare, præter morbos inſigniter putridos alios nullos leuiter putridos eſſe contagioſos. Non enim qui valde dulcia nobis amica ait, minus dulcia amica negat. Sed errores excu-

ſare non ſoleo, nec debeo iſta ratione. Puto enim hoc me tum ſenſiſſe, illos ſolùm morbos contagione ſerpere, qui valde putridi ſunt. Rectè igitur reprehendis meam negligentiam & oſcitantiam. Quippe contagioſi ſunt, vt ex 7. proble. Ariſt. 4. liquet, quicunq; vaporem putridum, glutinoſum & κνησμώδη, id eſt, acrimoniæ aliquid retinentem (talia enim pruritum mouere poſſunt) emittunt. Qui enim ſiccos et lentore deſtitutos halitus effundunt, quia adhæreſcere non facilè poſſunt, rarò alios inquinant. Atq; hoc eſt, quod in theſibus ſæpè repetiui, vapores contagij tranſuectores pertinaciter putredinem retinere oportere. Qui tales non ſunt, non niſi partes iniuriæ valdè obnoxias & expoſitas inficiunt: ſicut in ophthalmia vſuuenire cernimus. Interim neſcio, an tibi peſtilentes morbos citra inſignem putredinem exſiſtere affirmanti, tuto aſſentiri poſſim. Putreſcunt enim vel ſpiritus vel ſanguis in corde, vel ſucci per eius ſubſtantiam diffuſi. Videmus etiam cadauera ex his morbis defunctorum grauius ac citius contabeſcere.

Eſt aliud præterea in 38. theſi à te bona ratione reprehenſum: nempe quod ex ſubſtantia, cui morbi contagioſi inhærent. (Inhærent autẽ morbi membris: non humoribus) putrefacta vapores putridos exſpirare oporteat. Hic etſi in ſententia non ſum lapſus, parum cogitatè tamen ſcripſi. Scribere debuiſſem: atq; ex ſubſtantia putrefacta, vt caloris, &c. Hoc ſenſi, vapores ex ea ſubſtantia exhalare, quæ putrefacta eſt. At putredo non ſemper in membris, vt ſubiecto ineſt. ſed frequentius in humoribus & ſpiritibus inſidet.

Contagioſos morbos citra putredinem exſiſtere, nunquam debo, priuſquam argumentis demonſtratum videro. Arbitror contrariũ me in theſibus firmè oſtendiſſe: nec vidi adhuc, qui vllam probabilem rationem contra eas produxerit: illis exceptis, quas in ipſis theſibus confutatas legis. Pugnat idem hoc modis omnibus cum tua definitione: vt ſupra quoq; indicaui. Generari autem nonnunquam morbos contagioſos à ſimplici aëris intemperie in corporibus diſpoſitis, itidem dixi. Nam & abſq; contagio præeunte ſuſcitantur, & morbos aliquando inducunt non contagioſos: quanquam hoc fortè eſſe, quàm illud, rarius contingit. Quare non hoc negamus: ſed illud defendimus. Contagionem aëris quid voces ignoro: niſi putredinem ſic appelles. Nam contagioſo morbo aërem non eſſe obnoxium per ſe natum,

& ti-

& in 41. theſi à nobis repetitum eſt. Contraria ſententiæ noſtræ nullum vel ex Epidem. vel ex Aphoriſmis teſtimoniũ productum iri reor.

Non dixi ego vſquam, corruptionem omnem eſſe putrefactionem: cùm ſit apertè falſum: niſi quis nominibus vſitatis abuti prorſus velit. In 27. Theſi illam duntaxat corruptionis ſpeciem, qua partiũ natura ſeu eſſentia particulatim, (Nihil enim ſecundum ſe totum vt ſimul putreſit propriè vocata putredine) deperditur, propriè dictã eſſe putredinẽ ex Ariſt. affirmo: nec adhuc video, quid reprehendi poſsit.

Si quid eſt in Theſibus noſtris, de quo neminem dubitaturum mihi perſuaſeram, hoc ipſum illud eſt, quod in 15. & 16. de qualitate ſpiritali ſeu intentionali diſputaui. Neq; enim excogitari aliquid contra id potuiſſe putaui, eo dempto, quod in viſione aliquando contingit: quod tamen explicatu non eſt admodum difficile. Etenim omnes omniũ ætatum viri docti (quorum ego ſcripta vidi) ſummo conſenſu tradunt, ſpirituales iſtas qualitates nullam realem alterationẽ (quæ ſcilicet poſt abitum ſubſtantiæ cuius eſt qualitas, in alieno ſubiecto perſiſtat) in peregrinum ſubiectum inducere, aut ſe ipſas ſic traducere poſſe, vt dictum eſt. Demonſtrarunt hoc phyſici ratione indiſſolubili: quòd tàm non debeat fingi (aut poſsit exſiſtere) propria rei naturalis qualitas aut virtus in ſubiecto alieno, quàm non fingi debet (aut exiſtere poteſt) vis ridendi in re alia ab homine. Quæ cùm ſint in prædictis theſibus clarè admodum expoſita, cur refutare tu tentaris cauſam aliam reperio nullam, quàm quod, quid reſponſuri ſimus, audire cupis. (Nam de rei huius certitudine ac veritate dubitare te non velle, ego nihil dubito.) Quamuis ſpirituales qualitates, inquis, ſecundum modum & exiſtentiam, qua exſiſtunt, per ſe actionem corpoream non edunt, per accidens tamen nihil prohibet eas per medium idoneum propagari. Medium hoc putas eſſe ſpiritum (mediæ cuiuſdam inter corporatas & incorporatas ſubſtantias naturæ) qui ſpirituales actiones in ſe recipiat, atque repræſentet: & cum ſit corporeus, contactu ſuo corpora vere ac realiter alteret. Ego verò animo concipere non poſſum, quo pacto & modo qualitates ſpirituales per medium aliquod tranſportari in ſubiectum alienum valeant, in quo poſt proprij ſui ſubiecti receſſum inhæreant. Modus exſiſtentiæ earum is eſt, vt vbi temperies & forma talis eſt, ibi etiam ipſæ ſint: & vbi temperatio & for-

ma talis non eſt, ibi ipſæ quoque non exſiſtant: niſi quatenus è ſuo proprio ſubiecto, ſicut lumen ex Sole continuè profluunt. Riſibilitatis (hanc enim tanquam proprium hominis ponimus) exſiſtentiæ modus is eſt, vt, vbi temperamentum & forma, ſeu anima, humana eſt, ibi etiam ipſa adſit: vbi hæc non ſunt, ipſa quoq; non adſit. Ergò ſi in ſpiritu per aërem diſperſo, aut in re alia qualibet, ſic putes ineſſe ridendi poteſtatem, vt in eo firmè inhæreat, prorſus neceſſarium eſt, vt ſpiritus, vel ſubiectum illud, idem cum homine habeat temperamentum atque animam ſeu formam: hoc eſt, vt ſit homo. Si hominem eſſe neges, nec temperamentum atque animam hominis habebit. Quocirca nec proprietatem humanam in ſe retinebit. Ratio par eſt proprietatum aliorum omnino omnium. Apparet igitur fieri nulla vi naturali poſſe, vt iſtæc fiant, aut verè defendantur.

Hæc reſpondere ad tua, vir doctiſſime & colendiſſime, volui: quod cenſerem tibi non minus gratum hoc fore, quàm iucundum mihi fuit, obiectiones cùm aliorum tùm tuas videre ac legere. Equidem longè gratiores fuerunt, quàm ſi pretioſas mihi gemmas, aurum, argentumq; miſiſſes. Videor mihi iam videre veritatem huius diſputationis nos perſpexiſſe, poſtquàm ſummos viros nihil adferre animaduerto, quo ſententia noſtra in periculum aut ſuſpicionem falſitatis deuocetur. Hoc tibi ſanctè affirmo, me nunquam in animum meum induxiſſe lapſus & errores quocunq; modo commiſſos excuſare aut defendere. Quin ſi quid reperiſſem in tuis & aliorum literis, quo labefactari noſtra fundamenta viderentur, aut quod dubitationem nobis pareret, non minus liberè confeſſurus fuiſſem, quàm et tibi & alijs faſſus ſum, iuſtè me nonnunquam reprehendi. Impugnarunt acutè quædam Patauini Medici, (Reſponſionum exempla ad te mitto) atq; alij nonnulli, ſed nullus tamen craſſiores mendas illas detexit, quarum tu me commonefeciſti. Ago igitur tibi pro eo beneficio immortales gratias: operamq; dabo, vt emendatiores deinceps legantur. Vale. Die 10. Ian. anno 75. quem tibi tuiſq; omnis felicitatis plenum ex animo precor.

Epiſtola XXIII.

AD D. IOHAN. CRATONEM A KRAFTHEIM.

Virum

Vtrum in Methodica doctrina ſtatui poſsit Morbus totius ſubſtantiæ. 2. De putredine, quid, quotuplex, & quid inter ſe differat. 3 De calore natiuo, & quibus modis ille extingui poſſit. 4. Morbum peſtilentem longè ab intemperie ſimplici diſtare 5 De ſpirituum putredine 6. Cur venena & morbida in peſte expiratio, ſubito extinguant. 7. Ad operationes, non ſufficere partibus animalium, proprium ſiue calorem ſiue temperamentum, ſed egere inſuper influente à corde, à quo de potentia in actum quodammodo perducatur. 8. Nullo modo poſſe probari contagium peſtiferũ tum demum eſſe receptũ, quando efficientia ſua ſe manifeſtũ fecit 9. Num actio aliqua lędi poſsit, inſtrumento eius non læſo. 10 Inſitum calorem ex ijſdem principijs naſci, ex quibus corpus noſtrum conflatum eſt 11. Actionem ſingularem nullam edi poſſe, quæ non aut conuenienter naturæ, aut inconuenienter edatur. 12 Leporem marinum & Cantharides, quod hæ ſolos renes & veſicam: ille ſolos pulmones exulceret, alijs partibus illæſis.

AD ea, quæ ex amici cuiuſdam Medici excellenter docti literis excerpſiſſe te affirmas, ſcripto reſpondere placuit: propterea quòd inter illa ſunt, quæ verboſius & dilucidius expoſuiſſe valdè ſit vtile, & propè neceſſarium.

Principium diſputationis tuæ hoc eſt. Veriſsimum eſt, ſiue genus ſiue differentias morborum ſpectemus, non ſtatui in methodica doctrina poſſe morbum totius ſubſtantiæ. Optimè iſtud à te dictum affirmo: propterea quod in doctrina methodica locum habere non poteſt, quod nullibi eſt, aut fuit. Tibi verò, qui tales morbos exſiſtere credere videris, vt conſentanea dicas vereor. An enim quod methodo nulla, ſed experientia ſolùm cognoſcitur & inuenitur, cognitum & inuentum methodo tractari non poteſt? Fernelius certè & Argenterius facilius, quem in methodo locum habituri ſint tales morbi, oſtenderunt, quàm eoſdem exſtare demonſtrauerint. Purgantia propriè totius ſubſtantiæ viribus, humores detrahere, magno cõſenſu omnes affirmant. At in methodica doctrina de medicamentis locum non inueniſſe, quæcunq; ſcilicet vſu cognita fuerunt, non auſim dicere. Ratio par eſt alimentorum. Et quod propius ad cauſam pertinet, curationis peſtis methodum, tradi poſſe certum eſt: licet totius ſubſtantiæ morbus eſſe credatur. Cur ergo à methodica doctrina alij, qui vſu cogniti iam po-

ponuntur, excludantur? Quia inquis, diſsimilis eſt ratio, cum temperamentum læditur, & cum ὕστερον ἀπόχυσις extra ſuum ſubiectū ſe effundens, alia corpora ſimiliter afficit: ac in peſtilentibus ſubitò, ſpiritum & calorem inſitum, extinguit. Nego morbum aliquem ſeminarium ex ſeſe effundere, quo alia corpora ſimiliter inquinet, vel ſpiritum natiuumq́; calorem perimat, ſine læſione temperamenti. Nam omnes morbi, qui per ſeminarium aliena corpora contaminant, neceſſariò temperationem eorum primò offendunt: quod in theſibus de contagio ſic eſt demonſtratum, vt probabiliter contra diſputari non facilè poſsit.

Nec diuerſum tua probat ratio. Non enim non deſtruunt temperamentum partium, morbi contagioſi & peſtilentes, quia ſeminaria diffundunt, quæ arcem vitæ rectà ferè inuadunt, & congenitum cordis calorem, ſicut venena corrumpunt, vel alioqui morbum, cuius ſeminaria ſunt, tranſportant. Planius ex eo perſpici veritas poteſt, quòd te quoq; conſentiente ſemina illa, corpora ſunt putredinem in ſe continentia, cuius vi corpora, ad quæ fortè arrepſerint, coinquinant. Impoſsibile autem eſt, vt res putrida, quatenus putrida eſt, corpus aliud maculet, abſq; temperamenti corruptione. Quoniam nihil aliud eſt putredo, quam vitioſa temperatio: niſi fortè temperatum ſtatuatur, quod inſito calore ſuo ſpoliatum, ab alieno tenetur & regitur. Gradus quoq́; neutiquā mutat ſpeciem. Quemcunq; igitur putredinis gradum ponamus, ſemper ei conueniet definitio, quod videlicet ſit Natiui caloris, ab alieno introducta, corruptio. In hoc ſolo diſcrimen reperietur, quòd vna quàm alia ſæuior, efficatior, mitior, ignauior exiſtit. Quocirca vna eademq́; ſpecie operationis, tum hæc tum illa agit. Confirmarem hanc meam affirmationem pluribus argumentis, ſi non & per ſe eſſet manifeſta, & tumet ipſe eandem, tuo ſuffragio, comprobares, dum ſic ſcribis. Neq; ego inficior, ſicut à venenis, ſic etiam à morbida inſpiratione, affici atq; ledi temperiem. Sed tamen putredo quæ inducitur, alia eſt à vulgari putredine ſimplici: aliaq́; ratione & interimit & curatur.

Morbida inſpiratio, quam peſtilente contagioſoq́; morbo laborantes efflant, putrida eſt: & proinde tota ſua natura & ſubſtantia, vitæ

caloriq́;

caloriq; noſtro contraria eſt. Quocirca rectè colligis, diuturnam contagij in ſeminario perſeuerationem, primis reclamare qualitatibus, quæ facile admodum hebetantur & corrumpuntur. Contagium certè qualitas prima non eſt, ſed ſecunda: quæ nō perit ſubiecto incolumi exſiſtente. Iam certum habetur etiam apud Fernelium & Argenterium, putredinem tota ſubſtantia nobis aduerſari. Agunt igitur in nos putridi halitus ratione & vi putredinis, quam in ſe habent. Putredo verò omnis, quemcunq; tandem gradum nacta ſit, eſt calida quædam intemperies. Quamobrem non agunt in nos putridæ exhalationes, virtute ſimplicis caloris, ſed poteſtate putridi caloris: nec alia vi dui potentia nos alterant. Sed diuerſa eſt, inquis, ſimplicis & putridæ intemperiei curatio. Concedo. Nam in putredine eſt facta intemperies, in ſimplici adhuc fit. In illa non habet locum alteratio, propterea quod corruptum in integrum reſtitui nequit: in hac, quod corruptū non eſt, per oppoſitam qualitatem corrigitur. Quo fit, vt à putrido calore alterata, ſui oblationem: ſimplici calore affecta, ſui emendationem poſtulent. At ex hoc effici quiſquam opinabitur, putridas exhalationes alia vi, quàm intemperie aliena, corpora contaminare, quibus fortè adhæſerint? Interimunt igitur putrefaciendo (Nam per ſe vt aliud agant, impoſſibile eſt) id eſt, temperationem ſeu calorem natiuum diſſoluendo. Quod dum fit, ac factum nondum eſt, alteratione contraria prohiberi, quis non videat?

De putredine cuius plures in tuis literis mentionem facis, dicendum aliquid videtur: præſertim cùm valde multos, ne dicam omnes, hîc impingere animaduertam. Putredinem corruptionem eſſe τῆς ἐν ἑκάστῳ ὑγρῷ οἰκείας καὶ κατὰ φύσιν θερμότητος, ὑπ' ἀλλοτρίας θερμότητος profectam, ab omnibus receptum eſt, tum Philoſophis, tum Medicis. Æquè certum eſt, Ariſtotel. in 4. Meteorol. capit. 1. duplicem ſtatuere putredinem. Alteram ſimplici & naturali generationi, vt maximè commune contrarium, opponit: & corruptionis rerum naturalium, quæcunque ſecundum naturam intereunt, finem ac terminum communem ſtatuit. Eandem hanc & καθόλου ſeu vniuerſalem & naturalem appellari: denique impropriè putredinem nominari oſtendit. At ille nihil horum attribuit: ſed contraria adſcribit. Nam & propriè putredinem dici, ac violen-

tam & morbidam affectionem eſſe, & κατὰ μέρος corruptionem vocari ait. Et nec interitus naturalis terminum, nec naturalis ac ſimplicis generationis communiſſimum contrariū facit. Eſt igitur hæc illi contrapoſita. Sanè dum hanc propriè putredinem vocari ſcribit, illam impropriè ſic nuncupari indicat: &, dum illam finem naturalis diſſolutionis facit, hanc violentæ ac morbidæ corruptionis cuiuſdam terminum eſſe commonet. Hanc ab eo particularem, illam contra vniuerſalem nominari, ex ipſo textu manifeſtum eſt.

Differentia in eo eſt, quòd in naturali putredine tum demum calor inſitus ex ſubiecto exit, cùm ætatis longo tractu ſeipſum ita debilitauit ac fregit, vt à leuiſſimo circumſtantis aëris calore, ſine omni violentia vel morbo, diſperdi queat. In propria putredine violenta eſt corruptio inſiti caloris: vt quæ tunc eueniat, cùm calor adſcitic robuſtius ac copioſius adeſt, quod ſine vi aut morbo fieri non poteſt. Ideò aduentitium calorem valdè potentem eſſe oportet. Præterea in naturali putredine totum æqualiter, ſeruata partium proportione, contabeſcit: in morbida, pars vna aliqua præ cæteris corrupta eſt, reliquis naturam ſuam conſeruantibus. Non enim neceſſum eſt, vt ſanguine putrefacto, etiam carnes putrefactæ ſint: aut carne in manibus corrupta, etiam quæ in pedibus eſt, putris ſit reddita. Sæpenumero putreſcunt pulmones, cæteris partibus illæſis aliquandiu permanentibus. Præterea naturalis putredo, ab inſito et proprio calore ſolo, inducitur: morbida à peregrino quouis ſuſcitatur: frequentiſſimè ab obſtructionibus, perſpirationem inſiti caloris prohibentibus, naſcitur. Item naturalis putredo eſt affectio miſtorum, quoad miſta ſunt, ac ſolis miſtis ſeu inanimatis accidit: morbida tum animata, tum inanimata corripit, & communis eſt vtrorumq; affectio, quatenus ſcilicet in vtriſq; in eſt miſtio. Illa enim generationi ſimplici miſtorum, tanquam communiſſimum contrarium, oppoſita eſt, hæc, miſtioni cuilibet, contraria eſt. In illa, res in cineres & lutum atq; elementa ſoluuntur: in hac rarò aliquid tale mox ab initio vſuuenit. Deniq; naturalis putredo finis eſt interitus ſecundùm naturam: at putredo propriè nominata impedit, quò minus naturaliter res corrumpantur.

Ambas modo dictas corruptionis ſpecies, vocauit Ariſtot. putredines: licet alteram inuſitatè ſic nominari & ſciret & moneret. Facti

cauſam

cauſam hanc videtur habuiſſe, quòd terminus ille corruptionis naturalis, nomine proprio carebat, & magnam cum altera ſimilitudinem habere videbat. Omnis enim putredo ſiue natura eueniat, ſiue à morbo aut violenta cauſa inducta ſit, corruptio eſt inſiti, in re qualibet, caloris, vel ab inſito & proprio, vel ab aduentitio profecta calore: quod primo loco poſitum nunc volo. Deinde ponere alterum hoc oportet, rem quamq; tantiſper ſaluam eſſe, quantiſper proprium ſuum calorem retinet: perire autem, cùm eodem illo priuatur: vt Ariſt. tū alibi, tum de iuuent. & ſenect. 4. de reſpiratione 8. de breui & longa vita 5. cap. docuit. Cùm de animæ expertibus rebus ſermo eſt, controuerſia caret, quod dicimus. Quid enim in his aliud temperamentum conſeruat quàm congenitus calor, qui idem etiam ab initio induxit? Ipſo incolumi exiſtente perſiſtit miſtio: eo corrupto, neceſſarium eſt temperationem diſſolui. De interitu animatorum, quoad animata ſunt, dubitare quidam auſi ſunt, an is quoq; caloris extinctio ſeu corruptio rectè diceretur. At expreſſè hoc affirmat Ariſt. de iuuent. & ſenect. cap. 4. his verbis: ἀνάγκη τοίνυν ἅμα τό, τε ζῆν ὑπάρχειν, καὶ τὴν τοῦ θερμοῦ τούτου (συμφύτου ſcilicet, de quo agebat) σωτηρίαν: καὶ τὸν καλούμενον θάνατον, εἶναι τὴν τούτου φθοράν. Sanè calor hic inſtrumentum illud eſt, quo forma vtitur in temperando, effingendo & conſeruando proprium ſubiectum: & ſine quo ne momento quidem vel ſeipſam in ſubiecto ſuo conſeruare poteſt. Hac de cauſa effector, opifex, author, conſeruator, rerum omnium dicitur. Videndum igitur eſt, quot modis Ariſtot. (de huius enim ſententia quæritur, cùm idem cum Medicis de putredine ſenſerit) cenſuerit calorem ingenitū extingui poſſe. Hoc declarato, patebit, quæ eius de putredine mens fuerit. Perſpicuum illud quoq; fiet, rectè ſecus ne à nobis dicta ſint, quæ ex eius verbis attulimus. Deniq; deciſa habebitur tota de hac re inter Philoſophos & Medicos diſceptatio.

Duplex ſtatuitur caloris corruptio apud Ariſtotelem, vt ratione & teſtimonijs demonſtrari poteſt. Si enim res nulla poteſt interire, dū calor eiuſdem incolumis manet, neq; plures interitus ſunt modi ſeu ſpecies quàm duæ, neceſſarium eſt, vt totidem quoq; ſint (& nec plures nec pauciores) caloris corruptiones. At quicquid occidit vel natura vel morbo ſeu vi perit, id eſt, vel ætatis tractu paulatim ab-

ſumitur, vel per vim ſeu morbum aliquem interimitur. Mors igitur omnis vel eſt naturalis propter inſitas in natura vires, abſque aliena & externa cauſa eueniens: vel violenta & morbida, quæ ſcilicet ab aduentitia aliqua cauſa ſuſcitatur: quemadmodum teſtatur Ariſtoteles tum aliâs ſæpè, tum capite quinto de Iuuentute & Senectute. Item capite quarto & decimoſexto de Reſpiratione. Etſi autem violenta corruptionis ſpecies non eſt indiuidua, ſicut naturalis, ſed in alias ſpecies ſiue modos diuiditur, tamen, quoties eam naturali opponit, quocunque nomine vtatur, eandem ſemper intelligit. Quocirca manifeſtè liquet, putredinem propriè ita nuncupatam ſub naturali corruptione (cui, vt propria impropriæ, vt violenta naturali ſeu non violentæ, vt particulare vniuerſali, contra poſita eſt) nequaquam contineri: ſed violenti interitus ſpeciem quandam exſiſtere.

Etſi verò inſiti caloris, ſicut & ignis exſtinctionis, proxima cauſa, ſi ſuperſtitioſius, quàm par eſt & conducibile, rimari velimus, vnica eſt, alimenti ſcilicet defectus (Nam ſiue ſeipſum pabulum ſuum ſibi præripiendo vel quocunque modo conſumendo perimat, ſiue ab alia quauis cauſa deperdatur, alimenti inopia exſtinguitur: vt expreſſè affirmat Ariſtoteles in capite quarto & quinto lib. de Iuuentute & Senectute) nihilominus reſtinctionis modos, vt rei natura plenius cognoſcatur, ex mente Ariſtotelis, diſtinguam. Ergo bifariam interit calor. Nam vel ipſe ſemetipſum conſumit, vel à contrario diſſipatur: quod in libris modò citatis, in Problem. & 2. de cœlo cap. 6. ab Ariſtotele ſæpius repetitum, inuenies. Illa ſpecies interitus a Græcis μάρανσις, id eſt, marcor, tabes, ariditas (Noſtri vocant Die dürre/, *&* μαραίνεσθαι außdörren) *nominatur: hæc ab eiſdem σβέσις, hoc eſt, extinctio appellatur. Verba Ariſtotelis lib. de Iuuentute & Senectute cap. 4. hæc ſunt:* καλοῦμεν δ' ἐπὶ μὲν ἀφ' ἑαυτοῦ μαράνσιν, τὴν δ' ὑπὸ τῶν ἐναντίων σβέσιν.

Duobus porrò modis abſumit ſemetipſum calor: & proinde duplex eſt apud Ariſtotelem μάρανσις. Etenim vel paulatim, longo temporis tractu, nullo morbo interueniente, nulloq́ aduentitio affectu perimente pabulum ſibi ſuum conſumit: vel breui tempore, propter morbum ſiue ὑπ' ἀλλοτρίου τινὸς πάθους, *violenter ſeſe ipſe ſtrangulat.*

Prior

Prior τῦ μαρασμοῦ ſeu marcoris ſpecies apud Ariſtotelem 4. Meteor. σῆψις & ξηρότης dicitur, alibi ab eodem γῆρας & κατὰ φύσιν μάρανσις, quemadmodum altera ſeu poſterior βίαιος μάρανσις nominatur. Nam decimoſexto capite de Reſpiratione hæc habentur: θάνατος δ' ἐστὶν ὁ μὲν βίαιος, ὁ δὲ κατὰ φύσιν: βίαιος μὲν, ὅταν ἡ ἀρχὴ ἔξωθεν ᾖ. κατὰ φύσιν δὲ, ὅταν ἐν αὐτῷ, καὶ τῦ μορίου σύστασις ἐξ ἀρχῆς τοιαύτη, ἀλλὰ μὴ ἐπίκτητόν τι πάθος. τοῖς μὲν οὖν φυτοῖς αὔανσις, ἐν δὲ τοῖς ζώοις καλεῖται τῦτο γῆρας. Supra verbis Ariſtotelis oſtendi, τὸν θάνατον nihil aliud eſſe, quàm inſiti caloris interitum. Quare idem dicit, qui mortem aliquam naturalem, aliquam violentam dicit, cum eo, qui caloris inſiti corruptionem aliquam naturalem, aliquam violentam aſſerit. Violenta igitur eſt caloris extinctio, quæcunque propter aduentitiam cauſam incidit, ſiue ab ipſomet calore, ſiue à contrario eius inuecta ponatur, hoc eſt, ſiue μαράνσει ſiue σβέσει perierit. Naturæ autem conſentanea eſt, quæ propter ingenitam corporum temperationem, abſque vllius acquiſititij affectus interuentu, ab ipſomet ingenito calore, inducitur. Sic enim capite decimoſeptimo eiuſdem libri legimus. τελευτὴ δὲ καὶ φθορὰ, βίαιος μὲν, ἡ τῦ θερμοῦ σβέσις καὶ μάρανσις (φθαρείη γὰρ ἂν δι' ἀμφοτέρας ταύτας τὰς αἰτίας) ἡ δὲ κατὰ φύσιν, τῦ αὐτῦ τούτου μάρανσις, διὰ χρόνου μῆκος γινομένη καὶ τελειότητα. Quid clarius dici poteſt, quàm μάρανσιν aliquando violenter euenire, aliquando naturaliter, propter perfectam temporis durationem accidere.

Violenti marcoris, ſeu τῦ βιαίου μαρασμοῦ, plures ſunt modi (naturalis vnicus eſt) pro cauſarum efficientium diuerſitate, varioq; agendi modo. Quicquid enim efficit, vt calor auctus alimentū ſibi præripiat, itaq; ſeipſum ante illud tempus, quod ſecundùm naturam ſuam attingere poterat (aliæ res alijs, & in vna, & in diuerſis ſpeciebus, natura ſua durabiliores ſunt), conſumat, μάρανσιν inuehunt. Hi ſc ſtrangulantia, ſuffocantia, obſtruentia, vel aliter calorem inſitum, ſupra modū naturæ congruentem acuentia, marceſcere eundem faciūt. In horum ordine ac cenſu, putredinem propriè ſic appellatam, quæ τῶν κατὰ μέρος φθειρομένων corruptio exiſtit, collocari oportere,

nullus ſana mentis homo porrò dubitabit,ſpero. Etenim ante tempus à natura conſtitutum interficit:imò in florentiſsima ætate ſæpe necat. Naturalis ergo non eſt caloris natiui extinctio,quam putredo hac infert,ſed violenta. Violenti porrò interitus caloris cùm duæ ſint tantùm ſpecies, μάρανσις & σβέσις, ac putredo τῆς σβέσεως ſpecies cenſeri non poſsit,neceſſariò efficitur, inter marcoris ſpecies numerari eam oportere. Nam σβέσις ea eſt corruptionis caloris ſpecies, in qua calor non augetur & acuitur,ſeu ſe ipſo potentior efficitur,ſed in qua à contrario frigore extinguitur. Fit hoc ab aëre frigido, cibis, potu,medicamentis,iugulatione,diſſectione,repentina vacuatione,et omnino caloris ac ſpirituum celeri diſsipatione ſine caloris incremento accidens.

Summatim repetam,vt clariora ſint omnia, & ſic ad vlteriora pergamus. Calor perit vel à ſeipſo,vel à contrario:ſeipſum corrumpit,vel naturaliter (ad quam corruptionem via eſt ſenectus) vel violenter. Vtraq; corruptionis ſpecies vocatur μάρανσις. Quæ naturæ ordine fit, vnica eſt. At violenta ſpecies τῆς μαράνσεως habet modos plures:ſtrangulationem, exuſtionem (quoties enim maior minorem calorem perdit, μάρανσιν vocat Ariſtoteles, vt ex retrò dictis liquet) putredinem propriè dictam,febrem tabefacientem, &c. Exſtinctio etiam, quæ à contrario efficitur, pro cauſarum refrigerantium diuerſitate,diſtinguitur. Patet ex omnibus his,putredinem priuatim ſic nuncupatam non alienam eſſe à putredine Medicorum: Tametſi illa,quæ inuſitatè ſic eſt ab Ariſtotele nominata, toto cœlo alia ſit. Hæc enim morbus non eſt,illa autem morbus eſt. Patet etiam,quo modo accipi debeant verba Ariſtotelis, οὐ μὴν ἀλλὰ ἰδίως γε λέγεται σῆψις ὅτι τῶν κατὰ μέρος φθειρομένων. In naturali enim putredine prorſus neceſſarium eſt,vt partes omnes æquè reſiccentur: pro ſuæ naturæ modo tamen,ſingulæ. In violenta,pars vna corrumpitur, cæteris incorruptis permanentibus.

Facillimè iam perſpicis,minimè nos tibi conceſſuros, quòd dicis Ariſtotelem cenſuiſſe,omnem putredinem generationi oppoſitam, naturalisq; corruptionis finem eſſe. Euidenter ſanè oſtendimus, quandam ſolummodo putredinem, non omnem ab Ariſtotele naturali ac ſimplici generationi,tanquam contrariũ communiſsimum,contra poſitam

ſitam

ſitam fuiſſe: eam ſcilicet, ad quam per ſenectutem & naturalem ætatis decurſum, ſenſim peruenitur: quæq́; impropriè putredo ſit nominata. In altera putredine tam conſentit cum Medicis Ariſtoteles, quàm conſentimus nos cũ Arithmeticis, bis duo quatuor eſſe affirmantibus: vt liquidò ſupra demonſtrauimus. Quocirca non eſt alia diſceptatio de hac, & de illa, quam tuentur Medici. Nec quadrat ad cauſam noſtram ſimilitudo de eo, qui madet ſolùm, & altero, qui totus eſt madidus. Cùm Ariſtoteles non ſic diſtinguat duas putredines, quomodo madeſcens à madido differt. Quoniam totis naturis diſcrepant: cum altera naturalis, altera violenta & naturæ aduerſiſsima ſit.

Cùm morbum peſtilentem longè ab intemperie ſimplici diſtare ſcribis, noſtra non impugnas. Idem enim nos quoq; & ſentimus & ſcribimus. Pars ſimplici intemperie laborans non amiſit naturam ſuam: & nec nomen nec definitionem perdidit. At putrefacta neutrum ſeruat: & proinde corrigi nequit. Ariſtoteles certè, in putredine propriè dicta, hoc requirit, vt res, cui inſederit, corrupta ſit. Nam de ſolis κατὰ μέρος φθειρομένοις, ὅταν χωρισθῇ τῆς φύσεως rectè efferri putredinem, quæ propriè ita vocatur, ſtatuit. Quamobrem non alterari, quod putridum eſt, ſed prorſus tolli poſtulat. Plurimum ergo differe huius & illius curatio, nec diſcrepant ſententiæ noſtræ in iſta parte. Tantum igitur abeſt, vt vel tibi vel alijs eripere hoc tentemus, INDICAT CVRATIO, vt nihil attentiùs obſeruari velimus. Duplex eſt intemperies, fiens & facta. In priore ſubſtantia non interijt, ſed naturam ſuam ſeruat: & proinde alterationem ſolam poſtulat. In altera ſubſtantia, quam occupauit, corrupta eſt: quo fit, vt alteratione reuocari nunquam poſsit. Quare non indicant alterationem ſui partes hac intemperie obſeſſæ, ſed ablationem ſui petunt. In putredine igitur, quæ ad factam intemperiem pertinet, non alteramus partes iam putrefactas, quia corrigi non poſſunt. At illas, quæ ſic intemperatæ ſunt redditæ, vt naturam & ſubſtantiam adhuc retineant, oppoſitione contrariæ qualitatis, priſtinæ conditioni reddere ſtudemus. Mirum igitur videri non debet, ſi peſtis curatio ſolis alterantibus non perficiatur.

Cùm Ariſtotelem de vulgari & ſimplici putredine tum non cogitauiſſe ais, quando phthiſicos πνεῦμα φαῦλον καὶ βαρὺ exſpirare

ſcripſit, quid vulgarem & ſimplicem putredinem voces, non ſatis equidem intelligo. Nam duas tantùm putredinis ſpecies agnouit Ariſtoteles, naturalem vel impropriam, & violentam ſeu morbidam. De naturali non loquitur, ſed de violenta & morbida. Hanc pro natura rerum, ſiue partium putrefactarum magis minuſq́ perniciosam, proq́ graduum diuerſitate, ſæuiorem aut mitiorem, adeoq́ vni quàm alijs partibus nocentiorem eſſe, prorſus eſt rationi atq́ experientiæ conſentaneum. Loqui autem de putrido ſpiritu Philoſophum, ex eo eſt euidens, quod corruptum eſſe ait. At ſpecie aut modo corruptionis alio non poteſt corruptus cenſeri quàm putredine propriè dicta. Quod vt verum eſſe videas, ponere oportet, quod ex Ariſt. ſupra probauimus, & de quo peritus & intelligens ambigere nullus poſſit, ſcilicet, rem nullam corrumpi, quantiſper calor eius proprius incolumis permanet. Hic enim & opifex eſt miſti, & conſeruator. Idcircò neceſſariū eſt, vt, cùm ſpiritus corrumpuntur, calorem proprium amittant. Omnis porrò inſiti caloris corruptio vel eſt σβέσις vel μάρανσις. Quare cùm in peſte & phthiſi laborantibus (de his enim nunc loquimur) ſpiritum corrumpi dicat Philoſophus, omnino calorem eorum vel extingui vel marceſcere oportet. Non extinguitur autem in his morbis. Nihil enim adeſt refrigerans. Ergo marceſcit. Cæterum duplex eſt marcor, Naturalis & Morbidus. Certum verò eſt, in his morbis ſpiritus non marceſcere naturaliter. Reliquum igitur eſt, vt violenter interire eos concedamus. Iam ſi violenti marcoris ſpecies omnes conſideres, ad nullam aliam referre poteris ſpirituum in his morbis corruptionem quàm ad putredinem. Etenim non perit combuſtione: nec interit ſuffocatione. Sed nec lenta tabe conſumitur. Reſtat igitur, vt putredine corrumpi fateamur. Magis credes, ſi eo corruptionis genere corrumpi cogites, quo fœtor ſeu graueolentia rebus corruptis conciliatur. Nullus enim dubitat, quin à putredine hæc rebus accidat, quæcunq́ propter corruptionem, cùm prius non fœterent, fœtere incipiunt.

Spiritus putreſcere non tibi videtur, etſi rationes diuerſum probantes, nulli deeſſe fatearis. Ego verò facilè probem, ſi res poſtulet. Hîc nihil nos cogit, cùm de ſpiritu in theſibus locuti ſimus, non puro & ſincero, ſed omni halituum & fuliginum genere miſto. Ariſtoteles

certè, cùm phthiſicos putridum exſpirare ait, non de ſincero ſpiritu accipere nos voluit, ſed de eo, quem ægroti exhalant, quem impurum eſſe certum eſt. Et cùm non minus, imò magis fortaſſe difficilè ſit, ſpiritum purum in corpore noſtro inuenire quàm ſincerum ſanguinem ab omnibus alijs humoribus, bile, pituita, melancholia, ſero nimio ſecretum, neſcio cur dubitent nonnulli, an putreſcere poſſit? Miſtus profectò eſt, & magis miſtus ſanguine. At quantò res quæuis ex pluribus putreſcere aptis, concreta eſt, tantò magis putredini obnoxia eſt. Nec dubito ego, quin ſæpius alijs humoribus putreſcerent, ſi non in motu ferè continuo eſſent, nec tam facilè diſsiparentur. Quoniam & miſti & humidi ſunt, calefieri etiam et frigefieri præter naturam poſſunt. Cur ergo non etiam putreſcere poſſint? Eſto, reſiſtant putredini propter commemoratas cauſas, & conceptam excutiant, facilius. An propterea putreſcere nunquam potuerunt? An inſpiratus & permiſtus ipſe aër inquinatus, nullo vnquam tempore contaminare eos valebit? Quod humor aut vapor putridus non efficit: quia non ſimiliter cum ipſis confunditur, aut in quaſuis partes mouetur, aër permiſtus citius perficit, quoties excellente profundaq; putredine affectus, penituſq; cum eis confuſus, quaqua verſum mouetur.

Vnde igitur, inquis, ſubitus interitus? aut quæ putredo tam citò morbum in temperatura peperit? Vellem enim ſcire, cùm omnis actio fiat in tempore, nec temperamentum ſubitò poſſit diſſolui, cur venena & morbida exſpiratio in peſte, ſæpè ſubitò exſtinguant? Ad iſta mihi facilis & in medio poſita videtur reſponſio: quæ tamen ob id fuſiùs explicanda videtur, quia à paucis notata fuit.

Primùm ſcire conuenit, ſermonem nobis eſſe de viuentibus & operantibus partibus. Quæ operandi potentiam prorſus amiſerunt, æquiuocè inſtrumenta naturalium operationum dicuntur, quorum eſſentia & differentiæ functione atq; vſu definiuntur; teſte, poſt Ariſtotelem, Galeno 1. de plac. Hipp. & Plat. cap. 8. & 2. itidem cap. 8.

Præterea nouiſſe oportet, ad operationes non ſufficere partibus animalium (in alijs rebus aliter res habet) proprium ſiue calorem ſiue temperamentum, ſed egere inſuper influente ex corde calore, à quo de potentia in actum quodammodo perducantur. Si dubitabilis eſſet hæc ſententia, facilè inſolubilibus rationibus

ma talis non eſt, ibi ipſa quoque non exſiſtant: niſi quatenus è ſuo proprio ſubiecto, ſicut lumen ex Sole continuè profluunt. Riſibilitatis (hanc enim tanquam proprium hominis ponimus) exſiſtentiæ modus is eſt, vt, vbi temperamentum & forma, ſeu anima, humana eſt, ibi etiam ipſa adſit: vbi hæc non ſunt, ipſa quoq; non adſit. Ergò ſi in ſpiritu per aërem diſperſo, aut in re alia qualibet, ſic putes ineſſe ridendi poteſtatem, vt in eo firme inhæreat, prorſus neceſſarium eſt, vt ſpiritus, vel ſubiectum illud, idem cum homine habeat temperamentum atque animam ſeu formam: hoc eſt, vt ſit homo. Si hominem eſſe neges, nec temperamentum atque animam hominis habebit. Quocirca nec proprietatem humanam in ſe retinebit. Ratio par eſt proprietatum aliorum omnino omnium. Apparet igitur fieri nulla vi naturali poſſe, vt iſtæc fiant, aut verè defendantur.

Hæc reſpondere ad tua, vir doctiſſime & colendiſſime, volui: quod cenſerem tibi non minus gratum hoc fore, quàm iucundum mihi fuit, obiectiones cùm aliorum tùm tuas videre ac legere. Equidem longè gratiores fuerunt, quàm ſi pretioſas mihi gemmas, aurum, argentumq; miſiſſes. Videor mihi iam videre veritatem huius diſputationis nos perſpexiſſe, poſtquàm ſummos viros nihil adferre animaduerto, quo ſententia noſtra in periculum aut ſuſpicionem falſitatis deuocetur. Hoc tibi ſanctè affirmo, me nunquam in animum meum induxiſſe lapſus & errores quocunq; modo commiſſos excuſare aut defendere. Quin ſi quid reperiſſem in tuis & aliorum literis, quo labefactari noſtra fundamenta viderentur, aut quod dubitationem nobis pareret, non minus liberè confeſſurus fuiſſem, quàm et tibi & alijs faſſus ſum, iuſtè me nonnunquam reprehendi. Impugnarunt acute quædam Patauini Medici, (Reſponſionum exempla ad te mitto) atq; alij nonnulli, ſed nullus tamen craſſiores mendas illas detexit, quarum tu me commonefeciſti. Ago igitur tibi pro eo beneficio immortales gratias: operamq; dabo, vt emendatiores deinceps legantur. Vale. Die 10. Ian. anno 75. quem tibi tuiſq; omnis felicitatis plenum ex animo precor.

Epiſtola XXIII.

AD D. IOHAN. CRATONEM A KRAFTHEIM.

Virum

Vtrum in Methodica doctrina ſtatui poſsit Morbus totius ſubſtantiæ. 2. De putredine, quid, quotuplex, & quid inter ſe differat. 3 De calore natiuo, & quibus modis ille extingui poſſit. 4. Morbum peſtilentem longè ab intemperie ſimplici diſtare 5 De ſpirituum putredine 6. Cur venena & morbida in peſte expiratio, ſubito extinguant. 7. Ad operationes, non ſufficere partibus animalium, proprium ſiue calorem ſiue temperamentum, ſed egere inſuper influente à corde, à quo de potentia in actum quodammodo perducatur. 8. Nullo modo poſſe probari contagium peſtiferũ tum demum eſſe receptũ, quando efficientia ſua ſe manifeſtũ fecit 9. Num actio aliqua lędi poſsit, inſtrumento eius non læſo. 10 Inſitum calorem ex iiſdem principiis naſci, ex quibus corpus noſtrum conflatum eſt 11. Actionem ſingularem nullam edi poſſe, quæ non aut conuenienter naturæ, aut inconuenienter edatur. 12 Leporem marinum & Cantharides, quod hæ ſolos renes & veſicam: ille ſolos pulmones exulceret, aliis partibus illæſis.

AD ea, quæ ex amici cuiuſdam Medici excellenter docti literis excerpſiſſe te affirmas, ſcripto reſpondere placuit: propterea quòd inter illa ſunt, quæ verboſius & dilucidius expoſuiſſe valdè ſit vtile, & propè neceſſarium.

Principium diſputationis tuæ hoc eſt. Veriſsimum eſt, ſiue genus ſiue differentias morborum ſpectemus, non ſtatui in methodica doctrina poſſe morbum totius ſubſtantiæ. Optimè iſtud à te dictum affirmo: propterea quod in doctrina methodica locum habere non poteſt, quod nullibi eſt, aut fuit. Tibi verò, qui tales morbos exſiſtere credere videris, vt conſentanea dicas vereor. An enim quod methodo nulla, ſed experientia ſolùm cognoſcitur & inuenitur, cognitum & inuentum methodo tractari non poteſt? Fernelius certè & Argenterius facilius, quem in methodo locum habituri ſint tales morbi, oſtenderant, quàm eoſdem exſtare demonſtrauerint. Purgantia propriè totius ſubſtantiæ viribus, humores detrahere, magno cõſenſu omnes affirmant. At in methodica doctrina de medicamentis locum non inueniſſe, quæcunq; ſcilicet vſu cognita fuerunt, non auſim dicere. Ratio par eſt alimentorum. Et quod propius ad cauſam pertinet, curationis peſtis methodum, tradi poſſe certum eſt, licet totius ſubſtantiæ morbus eſſe credatur. Cur ergo à methodica doctrina alij, qui vſu cogniti iam po-

ponuntur, excludantur? Quia inquis, diſſimilis eſt ratio, cum temperamentum læditur, & cum σπέρμα λοιμώδης extra ſuum ſubiectũ ſeſe effundens, alia corpora ſimiliter aſſicit: ac in peſtilentibus ſubitò, ſpiritum & calorem inſitum, exſtinguit. Nego morbum aliquem ſeminarium ex ſeſe effundere, quo alia corpora ſimiliter inquinet, vel ſpiritum natiuumq́; calorem perimat, ſine læſione temperamenti. Nam omnes morbi, qui per ſeminarium aliena corpora contaminant, neceſſariò temperationem eorum primò offendunt: quod in theſibus de contagio ſic eſt demonſtratum, vt probabiliter contra diſputari non facilè poſſit.

Nec diuerſum tua probat ratio. Non enim non deſtruunt temperamentum partium, morbi contagioſi & peſtilentes, quia ſeminaria diffundunt, quæ arcem vitæ rectà ferè inuadunt, & congenitum cordis calorem, ſicut venena corrumpunt, vel alioqui morbum, cuius ſeminaria ſunt, tranſportant. Planius ex eo perſpici veritas poteſt, quòd te quoq; conſentiente ſemina illa, corpora ſunt putredinem in ſe continentia, cuius vi corpora, ad quæ forte arrepſerint, coinquinant. Impoſſibile autem eſt, vt res putrida, quatenus putrida eſt, corpus aliud maculet, abſq; temperamenti corruptione. Quoniam nihil aliud eſt putredo, quam vitioſa temperatio: niſi fortè temperatum ſtatuatur, quod inſito calore ſuo ſpoliatum, ab alieno tenetur & regitur. Gradus quoq; neutiquã mutat ſpeciem. Quemcunq; igitur putredinis gradum ponamus, ſemper ei conueniet definitio, quod videlicet ſit Natiui caloris, ab alieno introducta, corruptio. In hoc ſolo diſcrimen reperietur, quòd vna quàm alia ſæuior, efficatior, mitior, ignauior exiſtit. Quocirca vna eademq́; ſpecie operationis, tum hæc tum illa agit. Confirmarem hanc meam affirmationem pluribus argumentis, ſi non & per ſe eſſet manifeſta, & tumet ipſe eandem, tuo ſuffragio, comprobares, dum ſic ſcribis. Neq; ego inficior, ſicut à venenis, ſic etiam à morbida inſpiratione, affici atq; lædi temperiem. Sed tamen putredo quæ inducitur, alia eſt à vulgari putredine ſimplici: aliaq́; ratione & interimit & curatur.

Morbida inſpiratio, quam peſtilente contagioſoq́; morbo laborantes efflant, putrida eſt: & proinde tota ſua natura & ſubſtantia, vitæ caloriq́;

caloriq́; noſtro contraria eſt. Quocirca rectè colligis, diuturnam contagij in ſeminario perſeuerationem, primis reclamare qualitatibus, quæ facilè admodum hebetantur & corrumpuntur. Contagium certè qualitas prima non eſt, ſed ſecunda: quæ nō perit, ſubiecto incolumi exiſtente. Iam certum habetur etiam apud Fernelium & Argenterium, putredinem tota ſubſtantia nobis aduerſari. Agunt igitur in nos putridi halitus, ratione & vi putredinis, quam in ſe habent. Putredo verò omnis, quemcunq; tandem gradum nacta ſit, eſt calida quædam intemperies. Quamobrem non agunt in nos putridæ exhalationes, virtute ſimplicis caloris, ſed poteſtate putridi caloris: nec alia vi aut potentia nos alterant. Sed diuerſa eſt, inquis, ſimplicis & putridæ intemperiei curatio. Concedo. Nam in putredine eſt facta intemperies, in ſimplici adhuc fit. In illa non habet locum alteratio, propterea quod corruptum in integrum reſtitui nequit: in hac, quod corruptū non eſt, per oppoſitam qualitatem corrigitur. Quo fit, vt à putrido calore alterata, ſui oblationem: ſimplici calore affecta, ſui emendationem poſtulent. At quis ex hoc effici quiſquam opinabitur, putridas exhalationes alia vi, quàm intemperie aliena, corpora contaminare, quibus fortè adhæſerint? Interimunt igitur putrefaciendo (Nam per ſe vt aliud agant, impoſſibile eſt) id eſt, temperationem ſeu calorem natiuum diſſoluendo. Quod dum fit, ac factum nondum eſt, alteratione contraria prohiberi, cur non videat?

De putredine cuius paucis in tuis literis mentionem facis, dicendum aliquid videtur: præſertim cùm valde multos, ne dicam omnes, hîc impingere animaduertam. Putredinem corruptionem eſſe τῆς ἐν ἑκάστῳ ὑγρῷ οἰκείας καὶ κατὰ φύσιν θερμότητος, ὑπ' ἀλλοτρίας θερμότητος profectam, ab omnibus receptum eſt, tum Philoſophis, tum Medicis. Atquè certum eſt, Ariſtotel. in 4. Meteorol. capit. 1. duplicem ſtatuere putredinem. Alteram ſimplici & naturali generationi, vt maximè commune contrarium, opponit: & corruptionis rerum naturalium, quæcunque ſecundum naturam intereunt, finem ac terminum communem ſtatuit. Eandem hanc & καθόλου ſeu vniuerſalem & naturalem appellari: denique impropriè putredinem nominari oſtendit. Atqui nihil horum attribuit: ſed contraria adſcribit. Nam & propriè putredinem dici, ac violen-

tam & morbidam affectionem eſſe, & κατὰ μέρος corruptionem vocari ait. Et nec interitus naturalis terminum, nec naturalis ac ſimplicis generationis communiſſimum contrariū facit. Eſt igitur hæc illi contrapoſita. Sanè dum hanc propriè putredinem vocari ſcribit, illam impropriè ſic nuncupari indicat: &, dum illam finem naturalis diſſolutionis facit, hanc violentæ ac morbidæ corruptionis cuiuſdam terminum eſſe commonet. Hanc ab eo particularem, illam contra vniuerſalem nominari, ex ipſo textu manifeſtum eſt.

Differentia in eo eſt, quòd in naturali putredine tum demum calor inſitus ex ſubiecto exit, cùm ætatis longo tractu ſeipſum ita debilitauit ac fregit, vt à leuiſſimo circumſtantis aëris calore, ſine omni violentia vel morbo, diſperdi queat. In propria putredine violenta eſt corruptio inſiti caloris: vt quæ tunc eueniat, cùm calor adhuc robuſtius ac copioſus adeſt, quod ſine vi aut morbo fieri non poteſt. Ideò aduentitium calorem valdè potentem eſſe oportet. Præterea in naturali putredine totum æqualiter, ſeruata partium proportione, contabeſcit: in morbida, pars vna aliqua præ cæteris corrupta eſt, reliquis naturam ſuam conſeruantibus. Non enim neceſſum eſt, vt ſanguine putrefacto, etiam carnes putrefactæ ſint: aut carne in manibus corrupta, etiam quæ in pedibus eſt, putris ſit reddita. Sæpenumero putreſcunt pulmones, cæteris partibus illæſis aliquandiu permanentibus. Præterea naturalis putredo, ab inſito et proprio calore ſolo, inducitur: morbida à peregrino quouis ſuſcitatur: frequentiſſimè ab obſtructionibus, per ſpirationem inſiti caloris prohibentibus, naſcitur. Item naturalis putredo eſt affectio miſtorum, quoad miſta ſunt, ac ſolis miſtis ſeu inanimatis accidit: morbida tum animata, tum inanimata corripit, & communis eſt vtrorumq; affectio, quatenus ſcilicet in vtriſq; in eſt miſtio. Illa enim generationi ſimplici miſtorum, tanquam communiſſimum contrarium, oppoſita eſt, hæc, miſtioni cuilibet, contraria eſt. In illa, res in cineres & lutum atq; elementa ſoluuntur: in hac raró aliquid tale mox ab initio vſuuenit. Deniq; naturalis putredo finis eſt interitus ſecundùm naturam: at putredo propriè nominata impedit, quò minus naturaliter res corrumpantur.

Ambas modo dictas corruptionis ſpecies, vocauit Ariſtot. putredines: licet alteram inuſitatè ſic nominari & ſciret & moneret. Facti

cauſam hanc videtur habuiſſe, quòd terminus ille corruptionis naturalis, nomine proprio carebat, & magnam cum altera ſimilitudinem habere videbat. Omnis enim putredo ſiue natura eueniat, ſiue à morbo aut violenta cauſa inducta ſit, corruptio eſt inſiti, in re qualibet, caloris, vel ab inſito & proprio, vel ab aduentitio profecta calore: quod primo loco poſitum nunc volo. Deinde ponere alterum hoc oportet, rem quamq; tantiſper ſaluam eſſe, quantiſper proprium ſuum calorem retinet: perire autem, cùm eodem illo priuatur: vt Ariſt. tũ alibi, tum de iuuent. & ſenect. 4. de reſpiratione 8 de breui & longa vita 5. cap. docuit. Cùm de animæ expertibus rebus ſermo eſt, controuerſia caret, quod dicimus. Quid enim in his aliud temperamentum conſeruat quàm congenitus calor, qui idem etiam ab initio induxit? Ipſo incolumi exiſtente perſiſtit miſtio: eo corrupto, neceſſarium eſt temperationem diſſolui. De interitu animatorum, quoad animata ſunt, dubitare quidam auſi ſunt, an is quoq; caloris extinctio ſeu corruptio rectè diceretur. At expreßè hoc affirmat Ariſt. de iuuent. & ſenect. cap. 4. his verbis: ἀνάγκη τοίνυν ἅμα τό,τε ζῆν ὑπάρχειν, καὶ τὴν τοῦ θερμοῦ τούτου (συμφύτου *ſcilicet, de quo agebat*) σωτηρίαν : καὶ τὸν καλούμενον θάνατον, εἶναι τὴν τούτου φθοράν. *Sanè calor hic inſtrumentum illud eſt, quo forma vtitur in temperando, effingendo & conſeruando proprium ſubiectum: & ſine quo ne momento quidem vel ſeipſam in ſubiecto ſuo conſeruare poteſt. Hac de cauſa effector, opifex, author, conſeruator, rerum omnium dicitur. Videndum igitur eſt, quot modis Ariſtot. (de huius enim ſententia quæritur, cùm idem cum Medicis de putredine ſenſerit) cenſuerit calorem ingenitũ extingui poſſe. Hoc declarato, patebit, quæ eius de putredine mens fuerit. Perſpicuum illud quoq; fiet, rectè ſecus ne à nobis dicta ſint, quæ ex eius verbis attulimus. Deniq; deciſa habebitur tota de hac re inter Philoſophos & Medicos diſceptatio.*

Duplex ſtatuitur caloris corruptio apud Ariſtotelem, vt ratione & teſtimonijs demonſtrari poteſt. Si enim res nulla poteſt interire, dũ calor eiuſdem incolumis manet, neq; plures interitus ſunt modi ſeu ſpecies quàm duæ, neceſſarium eſt, vt totidem quoq; ſint (& nec plures nec pauciores) caloris corruptiones. At quicquid occidit vel natura vel morbo ſeu vi perit, id eſt, vel ætatis tractu paulatim ab-

ſumitur, vel per vim ſeu morbum aliquem intcrimitur. Mors igitur omnis vel eſt naturalis propter inſitas in natura vires, abſque aliena & externa cauſa eueniens: vel violenta & morbida, quæ ſcilicet ab aduentitia aliqua cauſa ſuſcitatur: quemadmodum teſtatur Ariſtoteles tum aliâs ſæpè, tum capite quinto de Iuuentute & Senectute. Item capite quarto & decimoſexto de Reſpiratione. Etſi autem violenta corruptionis ſpecies non eſt indiuidua, ſicut naturalis, ſed in alias ſpecies ſiue modos diuiditur, tamen, quoties eam naturali opponit, quocunque nomine vtatur, eandem ſemper intelligit. Quocirca manifeſte liquet putredinem propriè ita nuncupatam ſub naturali corruptione (cui, vt propria impropriæ, vt violenta naturali ſeu non violentæ, vt particulare vniuerſali, contra poſita eſt) nequaquam contineri: ſed violenti interitus ſpeciem quandam exſiſtere.

Etſi verò inſiti caloris, ſicut & ignis exſtinctionis, proxima cauſa, ſi ſuperſtitioſius, quàm par eſt & conducibile, rimari velimus, vnica eſt, alimenti ſcilicet defectus (Nam ſiue ſeipſum pabulum ſuum ſibi præripiendo vel quocunque modo [illegible] ſumendo perimat, ſiue ab alia quauis cauſa deperdatur, alime[illegible] exſtinguitur: vt expreſſè affirmat Ariſtoteles in capite quarto & [illegible] lib. de Iuuentute & Senectute) nihilominus res [illegible] rei natura plenius cognoſcatur, ex mente Ariſtotelis, diſti[illegible]. Ergo bifariam [illegible]terit calor. Nam vel ipſe ſemetipſum co[illegible], [illegible] à contrario diſſipatur: quod in libris modò citatis, in Probl[illegible]m. & 2. de cælo cap. 6. ab Ariſtotele ſæpius repetitum, inuenies. Illa ſpecies interitus à Græcis μάρανσις, id eſt, marcor, tabes, ariditas (Noſtri vocant die dürre, *&* μαραίνεσθαι außdörren) *nominatur: hæc ab eiſdem σβέσις, hoc eſt, extinctio appellatur. Verba Ariſtotelis lib. de Iuuentute & Senectute cap. 4. hæc ſunt:* καλ[illegible] μὲν δ' ἡ μὲν ὑφ' ἑαυτ[illegible] [illegible]ανσις, ἡ δ' ὑπὸ [illegible] σβέσις.

Duobus porrò modis abſumit ſemetipſum calor: & proinde duplex eſt apud Ariſtotelem μάρανσις. Etenim vel paulatim, longo temporis tractu, nullo morbo interueniente, nulloq; aduentitio affectu perimente pabulum ſibi ſuum conſumit: vel breui tempore, propter morbum ſiue ἀλλότριόν τι πάθος, violenter ſeſe ipſe ſtrangulat.

Prior τῆς μαράνσεως ſeu marcoris ſpecies apud Ariſtotelem 4. Metheor. σῆψις & σαπρότης dicitur, alibi ab eodem γῆρας & κατὰ φύσιν μάρανσις, quemadmodum altera ſeu poſterior βίαιος μάρανσις nominatur. Nam decimoſexto capite de Reſpiratione hæc habentur: θάνατος δ' ἐστὶν ὁ μὲν βίαιος, ὁ δὲ κατὰ φύσιν: βίαιος μὲν, ὅταν ἡ ἀρχὴ ἔξωθεν ᾖ. κατὰ φύσιν δὲ, ὅταν ἐν αὐτῷ, καὶ τοῦ μορίου σύστασις ἐξ ἀρχῆς τοιαύτη, ἀλλὰ μὴ ἐπίκτητόν τι πάθος. τοῖς μὲν οὖν φυτοῖς αὔανσις, ἐν δὲ τοῖς ζῴοις καλεῖται τοῦτο γῆρας. Supra verbis Ariſtotelis oſtendi, τὸν θάνατον nihil aliud eſſe, quàm inſiti caloris interitum. Quare idem dicit, qui mortem aliquam naturalem, aliquam violentam dicit, cum eo, qui caloris inſiti corruptionem aliquam naturalem, aliquam violentam aſſerit. Violenta igitur eſt caloris extinctio, quæcunque propter aduentitiam cauſam incidit, ſiue ab ipſomet calore, ſiue à contrario eius inuecta ponatur, hoc eſt, ſiue μαράνσει ſiue σβέσει perierit. Naturæ autem conſentanea eſt, quæ propter ingenitam corporum temperationem, abſque vllius acquiſititij affectus interuentu, ab ipſomet ingenito calore, inducitur. Sic enim capite decimoſeptimo eiuſdem libri legimus. τελευτὴ δὲ καὶ φθορὰ, βίαιος μὲν, ἡ τοῦ θερμοῦ σβέσις καὶ μάρανσις (φθαρείη γὰρ ἂν δ' ἀμφοτέρας ταύτας τὰς αἰτίας) ἡ δὲ κατὰ φύσιν, τοῦ αὐτοῦ τούτου μάρανσις, διὰ χρόνου μῆκος γινομένη καὶ τελειότητα. Quid clarius dici poteſt, quàm μάρανσιν aliquando violenter euenire, aliquando naturaliter, propter perfectam temporis durationem accidere.

Violenti marcoris, ſeu τῆς βιαίου μαράνσεως, plures ſunt modi (naturalis vnicus eſt) pro cauſarum efficientium diuerſitate, varioque agendi modo. Quicquid enim efficit, vt calor auctus alimentũ ſibi præripiat, itaque ſeipſum ante illud tempus, quod ſecundum naturam ſuam attingere poterat (aliæ res alijs, & in vna, & in diuerſis ſpeciebus, natura ſua durabiliores ſunt), conſumat, μάρανσιν inuehunt. Hinc ſtrangulantia, ſuffocantia, obſtruentia, vel aliter calorem inſitum, ſupra modũ naturæ congruentem, acuentia, marceſcere eundem faciũt. In horum ordine ac cenſu, putredinem propriè ſic appellatam, quæ τῶν κατὰ μέρος φθειρομένων corruptio exiſtit, collocari oportere,

nullus ſana mentis homo porrò dubitabit,ſpero. Etenim ante tempus à natura conſtitutum interficit:imò in florentiſsima ætate ſæpe necat. Naturalis ergo non eſt caloris natiui extinctio,quam putredo hæc infert,ſed violenta. Violenti porrò interitus caloris cùm duæ ſint tantùm ſpecies, μάρανσις & σβέσις, ac putredo τῆς σήψεως ſpecies cenſeri non poſsit, neceſſariò efficitur, inter marcoris ſpecies numerari eam oportere. Nam σβέσις ea eſt corruptionis caloris ſpecies, in qua calor non augetur & acuitur,ſeu ſe ipſo potentior efficitur,ſed in qua à contrario frigore extinguitur. Fit hoc ab aëre frigido, cibis, potu,medicamentis,iugulatione,diſſectione,repentina vacuatione,et omnino caloris ac ſpirituum celeri diſsipatione ſine caloris incremento accidens.

Summatim repetam,vt clariora ſint omnia, & ſic ad vlteriora pergamus. Calor perit vel à ſeipſo,vel à contrario:ſeipſum corrumpit,vel naturaliter (ad quam corruptionem via eſt ſenectus) vel violenter. Vtraq; corruptionis ſpecies vocatur μάρανσις. Quæ naturæ ordine fit,vnica eſt. At violenta ſpecies τῆς μαράνσεως habet modos plures:ſtrangulationem , exuſtionem (quoties enim maior minorem calorem perdit, μάρανσιν vocat Ariſtoteles,vt ex retrò dictis liquet) putredinem propriè dictam,febrem tabefacientem , &c. Extinctio etiam , quæ à contrario efficitur, pro cauſarum refrigerantium diuerſitate,diſtinguitur. Patet ex omnibus his,putredinem priuatim ſic nuncupatam non alienam eſſe à putredine Medicorum: Tametſi illa,quæ inuſitatè ſic eſt ab Ariſtotele nominata , toto cælo alia ſit. Hæc enim morbus non eſt,illa autem morbus eſt. Patet etiam,quo modo accipi debeant verba Ariſtotelis, οὐ μὴν ἀλλὰ ἰδίως γε λέγεται σῆψις ἐπὶ τῶν κατὰ μέρος φθειρομένων. In naturali enim putredine prorſus neceſſarium eſt,vt partes omnes æquè reſiccentur: pro ſuæ naturæ modo tamen,ſingulæ. In violenta,pars vna corrumpitur, cæteris incorruptis permanentibus.

Facillimè iam perſpicis,minimè nos tibi conceſſuros , quòd dicis Ariſtotelem cenſuiſſe omnem putredinem generationi oppoſitam, naturalisq; corruptionis finem eſſe. Euidenter ſanè oſtendimus , quandam ſolummodo putredinem , non omnem ab Ariſtotele naturali ac ſimplici generationi,tanquam contrarii communiſsimum,contra poſitam

ſitam fuiſſe: eam ſcilicet, ad quam per ſenectutem & naturalem ætatis decurſum, ſenſim peruenitur: quæq; impropriè putredo ſit nominata. In altera putredine tam conſentit cum Medicis Ariſtoteles, quàm conſentimus nos cũ Arithmeticis, bis duo quatuor eſſe affirmantibus: vt liquidò ſupra demonſtrauimus. Quocirca non eſt alia diſceptatio de hac, & de illa, quam tuentur Medici. Nec quadrat ad cauſam noſtram ſimilitudo de eo, qui madet ſolùm, & altero, qui totus eſt madidus. Cùm Ariſtoteles non ſic diſtinguat duas putredines, quomodo madeſcens à madido differt. Quoniam totis naturis diſcrepant: cum altera naturalis, altera violenta & naturæ aduerſiſſima ſit.

Cùm morbum peſtilentem longè ab intemperie ſimplici diſtare ſcribis, noſtra non impugnas. Idem enim nos quoq; & ſentimus & ſcribimus. Pars ſimplici intemperie laborans non amiſit naturam ſuam: & nec nomen nec definitionem perdidit. At putrefacta, neutrum ſeruat: & proinde corrigi nequit. Ariſtoteles certè, in putredine propriè dicta, hoc requirit, vt res, cui inſederit, corrupta ſit. Nam de ſolis κατὰ μέρος φθειρομένοις, ὅταν χωρισθῇ τῆς φύσεως *rectè efferri putredinem, quæ propriè ita vocatur, ſtatuit. Quamobrem non alterari, quod putridum eſt, ſed prorſus tolli poſtulat. Plurimum ergo differe huius & illius curatio, nec diſcrepant ſententiæ noſtræ in iſta parte. Tantum igitur abeſt, vt vel tibi vel alijs eripere hoc tentemus,* INDICAT CVRATIO, *vt nihil attentiùs obſeruari velimus. Duplex eſt intemperies, fiens & facta. In priore ſubſtantia non interijt, ſed naturam ſuam ſeruat: & proinde alterationem ſolam poſtulat. In altera ſubſtantia, quam occupauit, corrupta eſt: quo fit, vt alteratione reuocari nunquam poſſit. Quare non indicant alterationem ſui partes hac intemperie obſeſſæ, ſed ablationem ſui petunt. In putredine igitur, quæ ad factam intemperiem pertinet, non alteramus partes iam putrefactas, quia corrigi non poſſunt. At illas, quæ ſic intemperatæ ſunt redditæ, vt naturam & ſubſtantiam adhuc retineant, oppoſitione contrariæ qualitatis, priſtinæ conditioni reddere ſtudemus. Mirum igitur videri non debet, ſi peſtis curatio ſolis alterantibus non perficiatur.*

Cùm Ariſtotelem de vulgari & ſimplici putredine tum non cogitauiſſe ais, quando phthiſicos πνεῦμα φαῦλον καὶ βαρὺ *exſpirare*

certè, cùm phthiſicos putridum exſpirare ait, non de ſincero ſpiritu accipere nos voluit, ſed de eo, quem ægroti exhalant, quem impurum eſſe certum eſt. Et cùm non minus, imò magis fortaſſe difficilè ſit, ſpiritum purum in corpore noſtro inuenire quàm ſincerum ſanguinem ab omnibus alijs humoribus, bile, pituita, melancholia, ſero nimio ſecretum, neſcio cur dubitent nonnulli, an putreſcere poſsit? Miſtus profectò eſt, & magis miſtus ſanguine. At quantò res quæuis ex pluribus putreſcere aptis, concreta eſt, tantò magis putredini obnoxia eſt. Nec dubito ego, quin ſæpius alijs humoribus putreſcerent, ſi non in motu ferè continuo eſſent, nec tam facilè diſsiparentur. Quoniam & miſti & humidi ſunt, caleſieri etiam et frigeſieri præter naturam poſſunt. Cur ergo non etiam putreſcere poſsint? Eſto, reſiſtant putredini propter commemoratas cauſas, & conceptam excutiant, facilius. An propterea putreſcere nunquam potuerunt? An inſpiratus & permiſtus ipſe aër inquinatus, nullo vnquam tempore contaminare eos valebit? Quod humor aut vapor putridus non efficit: quia non ſimiliter cum ipſis confunditur, aut in quaſuis partes mouetur, aër permiſtus citius perficit, quoties excellente profundaq; putredine affectus, penituſq; cum eis confuſus, quaqua verſum mouetur.

Vnde igitur, inquis, ſubitus interitus? aut quæ putredo tam citò morbum in temperatura peperit? Vellem enim ſcire, cùm omnis actio fiat in tempore, nec temperamentum ſubitò poſsit diſſolui, cur venena & morbida exſpiratio in peſte, ſæpè ſubitò exſtinguant? Ad iſta mihi facilis & in medio poſita videtur reſponſio: quæ tamen ob id fuſiùs explicanda videtur, quia à paucis notata fuit.

Primùm ſcire conuenit, ſermonem nobis eſſe de viuentibus & operantibus partibus. Quæ operandi potentiam prorſus amiſerunt, æquiuocè inſtrumenta naturalium operationum dicuntur, quorum eſſentia & differentiæ functione atq; vſu definiuntur; teſte, poſt Ariſtotelem, Galeno 1. de plac. Hipp. & Plat. cap. 8. & 2. itidem cap. 8.

Præterea nouiſſe oportet, ad operationes non ſufficere partibus animalium (in alijs rebus aliter res habet) proprium ſiue calorem ſiue temperamentum, ſed egere inſuper influente ex corde calore, à quo de potentia in actum quodammodo perducantur. Si dubitabilis eſſet hæc ſententia, facilè inſolubilibus rationibus

eandem probarem. Satis eſt, quòd partes omnes continuò emori conſpicimus, quando per arterias calor ex corde, ad eas non influit: quia vel obſtructæ, vel laqueo intercepta, vel excisæ vel pulſare prohibitæ ſunt. Reuocat mihi in memoriam hypotheſis nunc poſita, inſignem audaciam (ne quid grauius dicam) Fernelij, in citandis authorum teſtimonijs. Exempli loco nobis ſit Auerrhois locus, qui in libro primo Collect. Campegij habetur, cap. 7, (in translatione antiqua eodem cap. lib. 2.) cùm ibi Auerrhoës monere vellet, partes non exercere vitæ operationes inſito ſuo calore ſolo, ſed opus habere præterea influente ex corde, à quibus iunctis actiones proficiſcantur, adducit eum Fernelius, vt duo probet. Primum eſt, calorem illum influentem, nihil conferre ad partium temperamentum. Alterum de cœlo ſpiritum venire, ex elementis, inſtar reliquarum partium, originem non ducere. Vtrumque cùm tam ſit alienum ab Auerrhois mente, vt pugnare cum ea magis nihil poſſit, qua fronte auſus ſit, ad aſtruenda figmenta ſua, producere, ſatis equidem mirari non poſſem, niſi eadem licentia, crebrò erga alios, vti viderem. Sed ad inſtitutum reuertor.

Tertio loco tenendum eſt, quod ex Ariſtotele ſupra demonſtrauimus, & confeſſum Medicis habetur, nec animalia, nec eorum partes interire, ingenito calore incolumi permanente. Mors enim nihil eſt aliud, quàm natiui caloris exſtinctio.

Deniq; meminiſſe nos decet pronuntiati Phyſici, nihil ſupra & vltra naturam ſeu ſpeciem ſuam agere. His poſitis, ad interrogationem tuam ſic reſpondeo.

Subitus interitus in peſte oritur ab intemperie cordis. Ratio hæc eſt, quòd putrida inſpiratio interimere non aliter poteſt, quàm ſi cordis temperationem diſſoluat. In cauſa duo ſunt. Primum eſt, quòd interire nulla res poteſt, niſi calor eius natiuus pereat. Putrida igitur inſpiratio non ante perimit, quàm cordis calorem corruperit. At corrumpere aliter non poteſt, quàm putrefaciendo. Alterum eſt, quòd nihil vltra ſuam ſpeciem agit. Calor enim non agit aliud per ſe & primò, quàm calefacere, (hæc eadem ratio in alijs cunctis valet) ſi quid amplius fiat, hoc vel per accidens ſequitur, vel quatenus talis quidam calor eſt, euenit: hoc eſt, ſine caliditate non contingit. At

git. At omnis putredo eſt calida quædam intemperies, Quare omnis res putrida calefaciendo putrefacit, & putrefaciendo calefacit. Etenim putredinem omnem à calore peregrino procreari, certum eſt. Quare neceſſarium prorſus eſt, vt putrida inſpiratio non prius occidat, quàm cordis calorem ſeu temperamentum labefactauit. His quo modo contra venire velis aut poſsis, equidem non video. Difficultas autem in hoc ſita eſt, quòd intemperiem cordis illa duntaxat tollere putantur, quæ natiuum eius temperamentum, quoad videlicet ex ſuis certis quibuſdam partibus coagmentatum ac temperatum eſt, nulla ſpirituum ratione habita, perdunt. Verùm hoc fortè ſit, ſi ſeorſum, quoad ſolida ſubſtantia eſt, contra ſpiritus & humores diſtincta, conſideretur, quomodo Lanij conſiderant. Sed Medici non abſq; ſanguine & ſpiritibus (quibus orbatum nec viuere nec officium ſuum exſequi vllo pacto valet) intuentur. Quippe aut naturæ conuenienter affectum ſit, vt vitæ munera obeat, vt temperamentum ſuum cuſtodiat, omnibus iam dictis opus habet: Ac ſine his nec nomen nec naturam, nec officium cordis tueri poterit vnquam. Quo fit, vt rectè iudicent Medici diligentiores, cordis temperationem vitiare, caloremq; eius corrumpere, quæcunq; vel ſpiritum & ſanguinem ei eripiunt, vel eadem hæc intemperata reddunt: etſi alteratio hæc ad ſolidum eius corpus nondum pertingat.

Quia verò tu nobis vltrò concedis, ſeminarium peſtis, propter certum putredinis gradum, peſtiferum eſſe, probationis labore nos ſubleuas. Quanquam difficile non erat ex ſupra demonſtratis conficere. Nam exhalationes peſte affectorum, nihil tranſportant ad alios, præter affectionem eius corporis aut partis, ex qua effunduntur. At non alia hæc affectio eſſe potuit, quàm putredo. Naturalis autem non fuit. Ergo morbida & violenta. Inter omnes autem violentæ corruptionis ſpecies, extra putredinem, nullam reperies, cuius natura in ſemina rio retineri ac ſeruari poſsit. Huius ſigna etſi non ſemper conſpiciuntur in ægrotis, non tamen ob id non adeſt. Ergo cùm putredo omnis, quæ propriè ſic nominatur, nihil aliud ſit, quàm intemperies quædam, ac putredinis propria & per ſe actio fingi alia nequeat, quàm putrefacere, non eſt imaginabile, quomodo ſeminaria hæc aliter vires cordis deijciant, quàm temperationem eius corrumpendo. Corrumpunt

autem, quatenus ſimilem putredinem ei, è quali ipſa exhalarunt, qualemq́; in ſe continent, imprimunt. Quod quia ſine calore peregrino & putrido fieri nequit, rurſus efficitur, temperiem cordis aut aliarum partium, à talibus halitibus per ſe & propriè oppugnari. Cùm cor dico, & ipſum cordis corpus, & ſpiritus ac ſanguinem in eo contentos, ſimul intelligo.

Cùm ad omnia tua reſpicio, ac ſingula diligentius conſidero, videris mihi in ea eſſe opinione, ac ſi, qui certum putredinis gradum duntaxat peſtiferum concedit, morbum totius ſubſtantiæ obſcuræ pariter concedat. Vtraq; enim ſententia æquè tibi inexplicabilis videtur. Ego ſanè longè aliter iudico, cùm, quæ de tota ſubſtantia horum morborum fabri ſenſerint, examino. Si de tota ſubſtantia ſic loquerentur aut ſentirent, quomodo veteres ſenſiſſe certum eſt, fruſtra fateor, & damnarent ipſi hac in parte veteres, & eoſdem nos defenderemus. Nunquam cenſerunt illi, vel totius ſubſtantiæ morbum ab intemperie eiuſdem alium eſſe, vel remedia tota ſubſtantia agentia per temperationem ſuam non agere: quemadmodum nec alimenta ratione totius ſubſtantiæ ſuæ, à nobis patientia, ſine caloris noſtri opera tranſmutari opinati ſunt. Ergo putredinis gradus vnus pernicioſior eſt altero: ſicut in pyris, meſpilis, cornis, ſorbis, rebus alijs plurimis apparet, quæ ſub initium & velut in primo gradu putredinis eſui apta ſunt, vlteriusq; progreſſa putredine, comedi amplius nequeunt. Sed ob id minimè rectè concluſeris, putredinem ſub quocunq; gradu abſq; intemperie aut fieri aut ſubſiſtere. Quare non poteſt vlla putredo morbi totius ſubſtantiæ nomine cenſeri, quantiſper ab omni temperie tota ſubſtantia ſic diſtinguitur, quomodo iuniores iſti ſeparant.

At non poteſt: inquis, tam ſubitò intemperies & putredo introduci. Ego verò non concedo in puncto temporis vel ſpiritus, vel humores, vel corpus cordis putreſcere. Nec eſt aliquis vnquam ſtatim ab hauſto ſeminario mortuus: etſi alij breuiore alij longiore tempore, poſtquam apud infectum fuêre, vim contagij ſenſerint. Sæpè multis ante diebus contagium intra venas latuit, quàm ſeſe proderet. Nec otioſum tamen interim fuit: ſed latenter humores corrumpendo ſenſim ad cor vſque penetrauit. Vſuenire hoc maximè ſolet, cùm per alias

alias corporis partes ſubit, non per inſpirationem ad cor adducitur. Hinc eſt, quòd in quibuſdam ante febris exortum, hoc eſt, antequam putrida lues ad cor peruenerit, tum anthraces, tum peſtiferi humores pronati ſunt. Non minus profectò incertum eſt, quando humores aut ſpiritus inquinare cœperit contagium, quàm obſcurum nobis eſt, quando in alijs febribus humores incipiant corrumpi. Ad huius rei declarationem præclarè faciunt, quæ Galenus in 3. Epidem. Com. 3. Aphor. 4. & in 1. Prorrht. Com. 2. ſect. 17. ſcripſit. Qui quæ citatis locis dicit, diligenter apud ſe examinauerit, clarè perſpicit cauſam, cur aliqui, cùm non admodum malè affecti paulò antea viderentur, repentè ferè exſtincti ſint. Vides igitur, nos optima vti ratione, cùm à corpore vel habitu contagium deferente mortem ſine intemperie apportari negamus. Etenim ſiue per cutem ſubeat, ſiue cum aëre inſpirato ingrediatur, non prius ægrum interficit, quàm vel ſpiritus, vel humores, vel ipſum corpus cordis putredine contaminârit: hoc eſt, horum calorem ac temperationem corruperit.

Prodit autem ſe venenum ocyus per ſpiritum attractum, quia rectà ad cor tendit, ad quod è remotioribus partibus ſeriùs arrepit. Summa eſt, nulla vel ratione, vel experientia probabitur contagium peſtiferum tum demum eſſe receptum, quando efficientia ſua ſe manifeſtum fecit.

Quàm facilè porrò ac citò cordis temperiem mutari contingat, animi defectio & ſyncope commonefaciunt. Vtraq; ſubitò nõnunquam illos etiam inuadit, qui de re nulla querebantur, & tum ſibi, tum alijs ſani videbantur. An in hiſce cordis temperiem non mutatam putabimus? Refellet opinionem noſtram, quod in ſyncope potiſſimùm totum corpus refrigeratur: et quod aliquando vix ſenſibilis permanet reſpiratio: quodq; ſpiritus exiẽs frigidus ſentitur. Et accidit hæc nõ à frigida ſolũ, ſed etiã à calida cauſa. Sicut ergo nullus rectè iudicet, cordis calorem & temperamentum nihil paſſum eſſe: quia in momento ferè iſta fiunt, ita nullus quoq; benè affirmauerit, idem non fuiſſe mutatum in eo, qui fortè repentè mortuus ſit. Nam vt citò diſsipantur cordis ſpiritus, propter mobilitatem & tenuitatem, ita ſubitò etiam frigeſieri &

inflammari ſolent At quicquid horũ perpeſſi fuerint, cordi accidiſſe verè dicimus: dum ita de corde, vt de inſtrumento vitæ, ſeu officina caloris vitalis, loquimur Hoc ergo probauerit fortaſſe, qui peſtis ſemi narium mortem inferre citra putredinem partium cordis demonſtret, inſtar contagij non occidiſſe: (tunc enim ſimilem morbum ingeneraiſſet) ſed abſq; interueniente intemperie necauiſſe nunquam probabit. Impoſsibile namq; eſt animal interire, cordis calore non extincto, aut viuere eodem perdito. Celeris iſtius mutationis cauſa eſt, quòd ſine conueniente copia, & qualitate ſpirituum cordis, viui tem peramentum nec ſubſiſtere, nec definiri, nec intelligentia comprehendi poteſt. In alijs partibus minor noxa ex ſpirituum diſſolutione & refrigeratione oritur, propter continuum eorum ex corde influxum. Cùm influxus iſte prorſus impeditur, ſtatim illæ quoq; calore natiuo in eis extincto, emoriuntur.

Quod ſi vlterius quæratur, cur non & aliarum putridarũ febrium vapores, cordis partem aliquam putrefaciant, reſpondeo, ideò accidere, quòd leuiter vel ſemiputridi ſunt: ſiue quòd putreſcũt potius quàm putrefacti ſint. Quò fit, vt magis calefaciant quàm putredine inficiant, cùm calidi magis ſint quàm putridi. Putredinẽ certè ſic non habent impreſſam, vt pertinaciter retinere queant: et aliud eſt χωρισθῆναι τῆς φύσεως *quàm* χωρίζεσθαι, *cùm illud perfectam, hoc incipientem ſeu fientem mutationem ſignificet. Gal. 2. aphor. 17. hanc rem declarat exemplo vini, quod aceſcere ſeu corrumpi incipiat quidem, at in acetum nondum ita ſit permutatum, vt reſtitui in integrum non valeat. Quod enim iam acetum eſt (aut alio modo corruptum eſt,) redire ad priſtinam vini naturam amplius nequit, propterea quòd regreſſus ad habitum à priuatione non habet locum in natura. Inter Elementa ſolùm, non autem inter perfectè miſta reciproca reperitur generatio. Quod porrò ſimiliter ferè habeat res in humoribus febrium putridarum vulgarium, ex eo manifeſtum fit, quòd concoctionem pro mouere ſtudemus. In peſte ſpes nulla eſt concoctionis propriè dictæ, ſed in ſola putrefacti humoris expulſione, & virium conſeruatione ac reparatione, tota curandi ratio poſita eſt. Sed de hac putredinum, ſeu putreſcentium diſtinctione, legito et expendito, quæ Gal ſcripta reliquit in 1. de diff. febr. cap. 6. Legi nuper epiſtolam eruditi medici,*

qui

qui contendebat febres putridas illas vulgares, verè contagioſas eſſe. Etſi enim non quoſuis obuios inficerent, lactentes tamen infantes à matribus & nutricibus coinquinari. Pueros item teneriores, qui cum febricitantibus cubant, promtè iiſdem corripi. Quæ omnia experientia & animaduerſione cognita aſſeuerabat. Ego quia tale nihil à me notatum memineram, & vt obſeruarem, in mentem non admodum venerat, contradicere nec debui, nec potui. Hoc ſolùm reſpondi, ſi contagioſæ inueniantur, ita leuiter contagioſas videri, vt cum aliis collatæ, non tales exſiſtere, indicatæ fuerint.

Vbi Gal. aduerſus Eraſiſtratum diſputauit, num actio aliqua lædi poſſit, inſtrumento eius non læſo, recordari iam non poſſum. Memini eum lib. de 4. motib. præter Naturam aliquid tale aduerſus Herophilum (quod tamen huc non rectè detorſeris) ſcribere: & in 1. de aff. locis Archigenem hoc nomine taxare. Sed cum idem principium methodi, qua loci affecti inueniuntur, ponat, τὸ μηδέποτε βλάπτεσθαι μηδεμίαν ἐνέργειαν ἄνευ τοῦ πεπονθέναι τὸ ποιοῦν αὐτὴν μόριον, haud ſcio, cur longiorem diſputationem hæc (vel altera illa de innati caloris de cælo deductione) diſquiſitio requirat. Summus eſt ac fuit ſemper Phyſicorum & Medicorum conſenſus, formas rerum ſine inſtrumentis nihil agere poſſe: nec alio potuit Ariſtoteles argumento, mentis noſtræ immortalitatem certius docere, quàm ſi, actionem abſq; corporeo inſtrumento edere, oſtenderet. Si poſſet anima deſtituta inſtrumentis, videre, audire, incedere, aliaq; talia agere, quis vſus eſſet oculorum, aurium, pedum, partium aliarum? Nullus, ſed hac de re legatur Gal. 1. method. cap. 9. Quid aliud hoc ſignificat, pronunciatum. Actiones non vel materiæ, vel formæ attribui debere, ſed compoſito? Adde hoc etiam, quod artis noſtræ fundamenta & principia prorſus euertit hæc opinio. Nam ſi actio lædi aliqua poteſt inſtrumento nihil patiente, perperam ſanitas atq; morbus proximæ cauſæ actionum vel congruentium vel incongruentium definiuntur: cum ſine morbo læſa inueniatur actio. At impoſſibile eſt, vllum in natura effectum naturalem exſiſtere aut fingi, qui abſq; ſua proxima per ſe cauſa ortus fuerit. Sunt autem ſanitas & morbus affectus corporum, ſiue corporeorum inſtrumentorum. Quare abſurdè hæc res in dubium reuocetur. Nec Archigenes aut alii ex veteribus iſta de re dubitant: Sed v-

trum pars, cuius actio læſa eſſet, ſemper affici potius, quàm affecta aut ægra vocari deberet, inquiſiuerunt.

Inſitum calorem ex eiſdem principijs naſci, ex quibus corpus noſtrum conflatum eſt, ita mihi videtur certum, vt mirer homines doctos iſta de re dubitare potuiſſe. Etenim ſpiritus ex ſanguinis attenuati vapore generari certum eſt: ex quo eodem, cuncta corporis noſtri partes, aluntur. Quare aut non eiſdem conſtamus, quibus alimur, aut ex eadem materia ſpiritus fiunt, ex qua corporis aliæ partes omnes procreantur, nutriuntur, augentur. Contendit Fernelius, originem ſpirituum & partium aliarum, cum ſuis temperationibus eandem non eſſe, quia videlicet animali recens iugulato, carnes priſtinam temperaturam ſeruare videantur. Quis non videt euanidam eſſe rationem? Non eadem prorſus eſſe calorem ex corde profectum & temperamentum partibus inſitum, ſi probare iſta ratione voluiſſet, tolerari poterat. Dum ſic iudicat de carnium viuentium temperatura, quomodo lanij cadauera æſtimant, ac ſpiritus ad viuentium carnium temperiem conducere negat, ferri non poteſt. Sed longius exſpatiati ſumus: ad locum noſtrum redeundum eſt. An calorem ſiderum pabulo egere, & alimenti inopia interire cenſebimus? An cum à putredine elementari extinguitur, cæleſtem calorem ab elementorum calore victum dicemus? An Ariſtoteles calorem alimenta conficientem non palàm facit igneum frigore temperatum lib. 2. de anima cap. 4. Sed de hac re fuſè egi in parte 2. diſput. Antiparacelſ. à pagina 168. vſque ad 182. ſed argumentis nullis opus eſt apud eos, qui calorem cuiuſque partis natiuum & congenitum nihil aliud eſſe intelligunt, quàm eiuſdem temperamentum: quod ex elementorum certa coitione ortum qui neſcit, nihil nouit. Influentem ex corde calorem ex ſanguinis vapore continuè generari, & ad membra inſtar fluuij ex eo promanare, perinde notum eſt ac confeſſum. Mirum ſanè eſt, aliquibus perſuaderi poſſe, hunc ex ſideribus defluere: & apud nos incorruptum permanere, cùm nullius rei calor proprius, extra ſuum ſubiectum proprium, fingi valeat. Nullo vnquam loco aut tempore diximus, Deo aliquid detrahi, ſi aſtrorum vi multa in natura fieri dicantur. Tunc ſolùm detrahitur Deo, quando quod eius proprium eſt, creaturis tribuitur, vt, cum prænonſtratio futurorum contingentium aſtris

tum aſtris adſcribitur. Quod de diuinatione ex aſtris aſſerimus, ad caloris inſiti originem violenter nimis detorquetur: eamq́ longè alijs rationibus, quàm nunc dicta, oppugnamus.

De totius ſubſtantia morbis quos etiamnum probare videris, pauca dicam: poſtquam in theſibus pleraq́ ſunt expoſita. Sicut in rerum natura non exſtat animal, niſi in homine, equo, cane, &c. ita neque homo vel alia quæuis animalis ſpecies exſtat extra cuiusque ſpeciei ſingularia. Verè igitur exſiſtunt Petrus, Paulus, & cæteri ſingulares homines: ipſa ſpecies ſeorſum ſubſiſtens non reperitur. Nam ſpecies & genera non ſunt res ſeipſis ſubſiſtentes extra indiuidua: ſed quoad ſeorſum conſiderantur, νοήματα duntaxat ſunt animorum noſtrorum. Similis ratio eſt actionis generatim acceptæ, actionis ſpecialis, & actionis ſingularis. Etenim actio vniuerſè ſumta, re ipſa extra mentem noſtram non inuenitur: Sic, inquam, vt ſimpliciter actio ſit, ac non ſimul certa quædam actio ſit: Vt viſio, concoctio, progreſſio, &c. Eodem modo res habet in actionibus ſpecialibus. Nulla enim inuenitur concoctio, exempli gratia, præter ſingularem hanc vel illam concoctionem. Quam enim rationem habet homo ad Petrum aut Paulum, &c. eandem concoctio obtinet cum ſingularibus coctionibus collata. Habet enim & ipſa ſpeciei rationem. Ergo ſicut in animalium genere particularia tantùm verè exſiſtunt, ita etiam particulares duntaxat actiones, reuera exſtare oportet. Atqui impoſſibile eſt, actionem aliquam ſingularem edi, quæ neque conuenienter naturæ neque inconuenienter edatur: hoc eſt, quæ neque ſana ſit, neque ægra (tàm inter morbum & ſanitatem nullum intercidere medium ponimus: etſi eadem præciſè ratio ſit, ſi interponere medium ſeu neutrum affectum velis) quod in præſentiarum breuiter ſic monſtro.

Animam principalem cauſam operationum humanarum omnium eſſe, certum eſt. Ac per ſe abſq́ corpore ſuo conſiderata; ſi actionis cauſa conſtitueretur, nulla abſurda conſequerentur. Primùm falſum foret pronunciatum phyſicum, actiones non eſſe componentium partium ſed compoſitorum ex materia & forma. Deinde daretur actio, quæ ad ſpeciem certam nullam referri poſſet: hoc eſt, quæ nec viſio, nec auditio, nec concoctio, nec progreſſio, nec alia

talis operatio eſſet. Impoſſibile autem eſt, actionem aliquam actu produci, quæ in certa ſpecie nulla contineatur: cum genera ſine ſpeciebus νοήματα ſolummodo ſint, reipſa extra indiuidua, non ſubſiſtant. Præterea vna & ſimplex ſubſtantia per ſe & primò, cauſa foret multarum & diſparium, imò contrariarum quoq; actionum: easq́ vno ſemel temporis momento producere poſſet. Quæ omnia cum fieri nullo pacto poſſint, falſitas hypotheſeos manifeſta eſt. Equidem anima diſcrepantes edit actiones, quia diuerſo inſtrumentorum apparatu vtitur: ac ſpeciem, definitionem, & determinationem ab inſtrumentis adipiſcuntur. Deniq; fruſtra factæ fuiſſent partes, quarum operationes anima ſola poſſet edere. Anima igitur, quoad forma corporis eſt, duntaxat generatim acceptæ, actionis principium exſiſtit. Eadem cum inſtrumento certo vnita, certæ actionis effectrix eſt. Nam per oculos viſionem: per aures auditionem: per ventriculum ciborum concoctionem: per pedes progreſſionem exercet. Quòd porrò tales actiones omnes neceſſarium ſit eſſe vel laudabiles, vel vituperabiles, hinc eſt perſpicuum, quod fieri nulla vi naturali poteſt, vt inſtrumenta, per quæ anima eas producit, non ſint vel ſecundum naturam affecta, vel præter naturam diſpoſita. Etenim ex genere τῶν ἀδυνάτων eſt, vt contrariorum, quæ medio carent, alterutrum ſubiecto, cui accidunt, non inſit. Sed accidere partibus omnibus corporis, vt vel aptè vel ineptè pro naturæ vſibus affectæ ſint, controuerſia omni & caruit antehac ſemper & carebit in poſterum ſemper. Nec minus certum confeſſumq́ue eſt, aptam inſtrumenti diſpoſitionem bonæ, ineptam vitioſæ operationis cauſam proximam exſiſtere. Et quod idem non ſint concoctio & bona ſeu laudabilis concoctio, probatione non eget. Quoniam reperitur coctio damnabilis.

Ergo cum actio ſimpliciter & generaliter intellecta, ab anima manet, certæ ſpeciei actio, ab eadem cum inſtrumento eius copulata proficiſcatur, bonitas & malitia actionis indiuiduæ in qualibet ſpecie ab inſtrumenti concinna vel inconcinna diſpoſitione proueniat, ipſa veritate verius eſt (ſi verius eſſe aliquid poteſt) omnem actionem re ipſa & actu ab agente proficiſcentem, vel bonam ſiue ſanam, vel malam ſiue ægram ac læſam eſſe. Omnis enim actio talis indiuidua & ſingularis eſt: cum genera & ſpecies ſeorſum non conſiſtant. At diſpoſitionem

ſpoſitionem naturæ conſentaneam,omnes homines vocarunt, ſanitatem: & contrariam,à qua videlicet actiones impediuntur & offenduntur,morbum nominarunt. Quocirca neceſſariò efficitur, actionis omnis,quæ actu fiat,cauſam proximam eſſe,vel ſanitatem vel morbum.Sic enim appellare omnibus placuit diſpoſitiones corporis,propter quas actio particularis quælibet incorrupta vel corrupta editur. Quid ex his ſequatur,vides.Si enim morbus aliquis datur totius ſubſtantiæ,dabitur etiam ſanitas totius ſubſtantiæ. Non enim poteſt exſtare vnũ contrariorum ſine altero.Quare ſanitas reperietur, quæ neq; praua diſpoſitio eſt inſtrumenti,nec vitioſa intemperies,nec continui ſolutio.Secundò falſe de morbo aliquo,itemq; de ſanitate dicetur,quòd ſit corporis ſolius diſpoſitio. Tota enim ſubſtantia,materiam cum forma,ſiue animam cum corpore complectitur. Quocirca amborum communis erit affectio,totius ſubſtantiæ morbus. Tertiò, dabitur morbus animæ,ſiue ægrotabit anima vel ſola ſecundùm illos, qui totius ſubſtantiæ morbos dicunt eſſe formæ morbos,vel cum corpore,iuxta aliorum opinionem. Quod etſi de brutorum animalibus certo poſſet modo ferri,de noſtris tamen flagitioſum,grauiſſimaq; pœna dignum ſit vel fingere. Quartò,edetur actio aliqua ſimilaris bona, licet temperamentum ſit vitioſum,& rurſus mala,quamuis temperamentum ſecundùm naturam ſit diſpoſitum.Etenim totius ſubſtantiæ morbus ponitur eſſe cauſa viciatæ actionis,nihil ad eam adiuuante temperamento.Siue ergo naturaliter ſiue præter naturam pars temperata ponatur,edet actiones ſuas tum bonas tum malas. Poterit igitur ventriculus,exempli gratia,aptè probeq; concoquere cibos ingeſtos,quacunq; intemperie laboret. Poterit idem deprauatè agere, tametſi optima temperatione ſit præditus.Deniq; cùm fieri nulla vi naturæ poſſit,vt actio aliqua neq; bona ſit neq; mala,(id eſt,neq; conueniens & laudabilis,neq; inconueniens & damnabilis) neceſſarium eſt,vt quam tota ſubſtantia edit,operatio aut bona ſit aut mala.Sed bonitas & malitia,ſiue conuenientia & inconuenientia cuiuslibet actionis per ſe primò,fit à conueniente vel inconueniente partis vel inſtrumenti,à quo editur,diſpoſitione,à re alia nulla Quare ſequetur neceſſariò,in tota ſubſtantia diſpoſitionem huius actionis per ſe,cauſam fingi oportere,præter temperamentum.Sed nulla eſt excogita-

bilis, nulla etiã imaginabilis. Quæ enim diſpoſitio aut qualitas fingatur cõmunis animæ & corpori, ſubſtantijs toto genere diſcrepãtibus? Hæc & alia plura monſtra ſequuntur opinionem illam nuper ſomniatam. Quæ cùm fieri nullo pacto poßint, certò certius eſt, damnoſum eſſe figmentũ hoc de morbis totius ſubſtantiæ, quod Architectus Fernelius, & faber Argenterius, cudere fabricarię cæperunt.

In hunc errorẽ incidiſſe videntur, quia nõ diſtinxerunt temperamenti ſignificationes apud Gal. Equidẽ Fernelius cùm alibi, tùm in fine 4. cap. lib. de abd. rerũ cauſis, ſingulare temperamentũ (quod à nõnullis temperamenti proprietatẽ vocatã ait) clarè ſatis diſtinguit à temperamento abſolutè appellato. Quòd ſi veteribus etiam nomen hoc, modò in vna, modò in altera ſignificatione vſurpatũ animaduertiſſent, nequaquaquã nouos hoſce morbos introduxiſſent. Profectò non Gal. modò duplex temperamentũ agnouit, verùm & ante ipſum Ariſtoteles, (τὴν πρώτην σύνθεσιν & τὴν δευτέραν σύστασιν nominans 2. de part. anim. cap. 1.) & poſt ipſum Auicennas idem docuere. Hic enim complexionẽ primã & ſecundã expreſſè diſtinctę vocat. Obijcias fortaſſe hoc ipſo ſtabiliri Recentiorũ de his morbis placitũ. Nam in nominibus tantùm, nõ in rebus diſputationẽ cõſiſtere: dum illi temperamentum ſingulare & propriũ vocant, quod iuniores totã ſubſtantiam nominare maluerunt. At fruſtra obijceres. Si enim & viderunt veteres duplex nominis ſignificatũ, nec plures tamen morbos vſpiam conſtituerunt, ſatis patet, eos plures nõ inueniſſe. Deinde cùm temperamentũ quouis modo ſumptũ corrumpi aliter non poßit, quàm qualitatum primarũ mutatione, neutiquã iudicarunt vtile, morbos abſq; neceßitate multiplicare. Quantò feciſſent rectiùs horũ morborũ genitores, ſi temperamenti morbos diſtinxiſſent, in eos, in quibus qualitas vna (vel duæ) hactenus aucta ſolùm eſt, vt citra ſubiecti interitum, actionem lædant & eos, qui ſubiecti naturam corrumpunt? Sic enim & cauſam clariorem reddidiſſent, & errandi alijs anſam nullis præbuiſſent. Argenterium non miror, qui veterum næuis amplificandis ſaginatur: at Fernelium quid huc impulerit nondum ſcio.

Quorſum verò tua hæc? Nolim tamen illa, quæ à totius ſubſtantiæ proprietate vel lædunt, vel iuuãt, tantopere oppugnari. Ego certè nunquã aut dixi aut ſenſi, nullas res exſiſtere, quæ tota ſubſtantia

ſua no-

ſua nobis vel amicæ ſint vel inimicæ. Quare ſi à me huius aliquid factum tŏtatúmue ſuſpicaris, falli te ſcias. Exponere ſtudui, quid veteres per totā ſubſtantium intellexerint, vt rectius intelligeretur, quid ſibi voluerint, cùm totius ſubſtantiæ proprietate, nobis aduerſa quædam eſſe vel familiaria, ſcripſerunt. Qui verò opinatur, morbū aliquem totius ſubſtantiæ inueniri veteribus incognitū aut perperam explicatū, is ſe in errore verſari norit. Etenim Gal. paſſim hanc totarū ſubſtantiarū proprietatē inculcat, nunquā tamen ob id, morbū exſtare totius ſubſtantiæ credidit, qui ſcilicet vitiū alius rei eſſet in ſimilari parte, quàm temperamenti. Nec adeò rudis fuit, vt non intelligeret, actionem inter cōtraria omnē fieri. Nec ingenio, nec iudicio, nec doctrina, nec vſu ceſſerit Fernelio horum morborum architecto. Sed quia de hac re abundè egi in theſibus de morbis totius ſubſtantiæ, minimè opus eſt hîc aliquid præterea addere. Hoc ſolùm te monebo, nunquam te probaturū eſſe, quæ ex Gal. lib. 1. c. 1. de comp. phar. ſecundū gen. & authore lib. ad Piſon. c. 4. de lepore marino & cantharidib. ſcribis: has, ſolos renes & veſicā, illū, ſolū pulmonē exulcerare, illæſis partib⁹ alijs corporis. Gal. primùm dicit, ſolā veſicā à cantharidib⁹ lædi, nulla renū mētione facta, Sed rogo te, an nō exulcerāt, imò exurūt cutem & carnes ipſis admotæ cātharides? Lege Nicandrū, Dioſcor. lib. 6. c. 1. (vt alios iuniores præterea) & intelliges, quantū hac in parte cū experientia pugnet Gal. ſententia. Quòd ſi nō eſt tantū otij, vel vna hiſtoria, quā Braſauolus in com. aph. 17. lib. 2. recitat, ſatisfaciet. Sed quid eſt opus teſtimonijs aliorū, quando noſtri ſenſus, & quotidiana experientia docere poſſunt, quid de re aliqua cōtrouerſa ſentiendū ſit? Leporem marinum non vidi, nec expertus ſum quas habeat vires.

Si autē nota ſunt, quæ authores de hoc etiā prodiderunt, non minus falſum eſt, quòd ſolos pulmones offendat aut exulceret, quàm quod de cantharidibus Gal. prodidit. Dioſcorides certè poſt Nicandrum ſcribit, vrinas eum purpureas, id eſt, cruentas ciere: ne ſolas cantharides hoc efficere cogitemus. Exulcerant partes omnes, quas attingunt (& ex renibus maximè educitur ſanguis cum vrina profluens) non occulta, ſed prorſus cognita nobis virtute. Et ſi maximè ſolas nominatas partes illa animalcula exulcerarent ſubſtantiarum ſuarum proprietate, an ideo ſine temperamenti læſione id agerent? aut ſententia noſtra de contagio vacillaret? Haud puto.

Quæ præterea in ſcripto tuo continebantur, vel non opus habent reſponſione, vel in antedictis comprehenduntur. Quare finem hîc faciam, cùm aliâs longior fuerim, quàm de principio propoſitum haberem. Vale. 8. Septemb. 75.

Epiſtola XXIV.

AD EVNDEM.

Peſtem, qualis plerunque aëris vitio accidere conſueuit, non tam forma, quàm maligna putredine occidere.

PErgratum mihi fuit, D. Ioan: Crato doctiſſime, quòd occaſionem mihi præbuiſti de ijs rebus ad te ſcribendi, de quibus plurimorum audire iudicium vnicè deſidero. Ante menſes plus minus quinque petiuit à me vir pietate, virtute, ac doctrina ornatiſſimus Dominus Conradus Geſſnerus, vt de quibuſdam quæſtionibus ad peſtis curationē pertinentibus breuiter ipſi meam ſententiā exponerem. Ego verò non ita breuiter ei reſpondi, ſed rationibus, quæ tum mihi occurrebant, opinionem meam cōprobaui. Statueram enim non ſoli Geſnero, ſed alijs etiam amicis ac viris doctis, quorum mihi iudicium minimè aſpernandum cenſerem, in primis autem mihi ipſi ſcribere. Quippe de ijſdem illis quæſtionibus aliquoties ipſemet mecum iam diſputaueram. Nec alia mihi tunc ratio commodior apparebat meipſum ex iſta hæſitatione explicandi, quàm vt doctorum plurimorum ſuper ea re iudicia exquirerem. Sic enim inuenturus videbar, id quo tutò acquieſcerem. Proinde idem illud ſcriptum ad te nunc mitto, ſimulque enixiſſimè rogo, vt quid in eo probes improbéſue candidè, & apertè propter communem & publicam vtilitatem indicare ne graueris. Erit hoc mihi omnibus diuitijs charius ac gratius. D. Conradus Geſnerus reſpondit mihi quidem perhumaniter, vt ſolet, ſed breuiter, atque ita reſpondit, vt longiorem ab eo reſponſionem adhuc exſpectem. Deſiderio meo plenè ſatisfeciſſet, ſi per negotia ei tunc licuiſſet. Cæteri, quibus miſi, nihildum reſponderunt, exceptis generalibus. Et pro reſponſione laudes ferè reſcripſerunt, quas neque aliâs, multò minus hoc tempore ab ipſis exſpectabam.

Quanquam

Quanquam autem propoſitam mihi à te quæſtionem in hoc ſcripto ex profeſſo non tractaui, tamen obiter de ea nonnihil dixi. Neq; difficilè erit vnicuiq; ex dictis animi mei ſenſum in hac parte intelligere. Quocirca non libet ea hîc repetere. De formarum natura & origine in tractatu de occultis medicamentorum poteſtatibus, earumq; differentijs & cauſis, quem medico Antuerpienſi amico meo ſcripſi, verboſe ſatis diſſerui. Atq; peſtem plerumq; (de ea loquor, quam aëris intemperies peperit) non ſine putredine interficere, in alio tractatu, quem de morbis vulgaribus ab aëris intemperie ſuſcitatis in defenſionem theſium quarundam conſcripſi, compluribus argumentis oſtendi. Verumq; opportunitate data edere decreui. Ergo in præſentia hoc tantùm dicam, peſtem, qualis hoc biennio fuit, & qualis plerunq; aëris vitio accidere conſueuit, non tam forma, quàm maligna putredine occidere. Neq; enim ſic corrumpi aërem exiſtimo, vt ipſius forma, vitæ noſtræ tanquam contrariæ formæ adeò inimica fiat, vt inſtar viperei veneni interimat. Non neſcio ea ſcribi à quibuſdam, ex quibus concludere probabiliter poſſis, talibus eum aliquando halitibus compleri. At hi paulò aliter in eodem collecti ſunt, quàm qui ex intemperie orti ſunt. Sic fermè aërem corrumpi iudico, vt in corpus cacochymum, aut certè putredini obnoxios humores continens, receptus, leui momento putreſcat, & humores atq; ſpiritus ſimiliter labefaciat. Nonnunquam in cordis ſubſtantiam ſe inſinuat, ipſiusq; natura labefactata hominem inopinatò perimit. Porrò gradus ſiue ſpecies reperiri plures putredinis, quarum aliæ alijs inimiciores ſint non nobis ſolummodo, verumetiam alijs animalibus, alibi quoq; demonſtraui.

Quamobrem plus huic intentum debere medicum eſſe arbitror, quàm formæ neſcio cui incognitæ: niſi putredinis iſtum gradum formam nominare aliquis velit. Hoc ſi ita eſt, nihil diſputo. Non enim vel res vel curatio, ſed nomen ſolummodo ſic mutatur. Quoniam putredo licet exitioſa, manet, atq; vni huic obſiſtendum erit. Equidem euicta putredine, concoctiſq; putridis humoribus recipiunt ægri ſanitatem, quamuis nihil ignotæ formæ oppoſuerint. Rurſus qui formæ opponunt omnia, nihil proficiunt, priuſquam putredinem extinguãt. Sanè hac relicta, fruſtra formam tollere ſtudebimus, & ſine fructu omnia fecerimus. Vt enim deleri forma, putredine manente, conceda-

tur,tantùm hæc nihilominus malignitatis retinebit,vt perimat. Certum nanq; eſt, putredinem quamlibet cauſæ putrefacientis qualitatem,ſi ea naturæ aduerſaria exiſtat,quodammodo retinere. Sicut vinum vaſis,in quod infuſum eſt,odorem ac ſaporem,ſi quo imbutum inſigniter fuerit,recipit,ſic ferè putreſcens humor putrefacientis cauſæ qualitatem ſuſcipit. Et,vt ſemel dicam,abſq; putredine,qui in hac peſte obiret,neminem fuiſſe audio. Vbi medicamentis plurimi ſunt reſtituti,talibus propè ſolis vſi ſunt,quæ & prohibere humorum putredinem, & putrefactos iam exigere cum aliter,tùm verò maximè per ſudorem poſſent. Nihil hactenus magis profuiſſe in iſta vicinia intelligere potui,ſucco Calendulæ à primo ſtatim principio exhibito.

Cæterum ſi per formam aliquis aërem impurum,humorem ac ſpiritus corrumpentem intelligat, fateor eo exacto pauciores ſupereſſe hoſtes. Verumtamen non formam iſti veneni,ſed malignæ putredinis efficientem cauſam tolli præcipiunt. Eam nos quoque tollendam eſſe minimè dubitamus. At ea ſublata nihilominus permanet in corpore putredo eadem ſpecie, paremq; cum effectrice ſui cauſa malignitatem obtinens. Puto ſanè illos, qui primi ſudorem elicientia pharmaca ſub initium morbi præſcripſerunt,hoc in animo habuiſſe, aërem venenatum extra corpus exturbare. Hoc enim remanente,rectè indicarunt, reliquam curationem fore difficiliorem. Etenim ratio omnis docet, cauſam prius effectricem tolli debere. Porrò educi aër nullo poteſt modo commodius & aptius, quàm per ſudorem, vt nemo non intelligit. Ego profectò vel hac vna ratione motus, talia medicamenta (modò non ſint calida validè,ſed aut temperata,aut frigida,& præterea ſicca) vt quæ ſæpiſſimè ſenſibiliter profuiſſe viſa ſint,non prorſus exiſtimem negligenda. Quamuis enim putrefactos humores ſtatim à principio talibus vacuari minimè credam,attamen aërem impurum & vitiatos ab eo ſpiritus ſeu vapores,ſeroſas atq; tenuiores ſanguinis partes educi hoc pacto ſuſpicor. Quod ſi tunc exhibeantur,cum in his putrida qualitas ſolis, aut certè præcipuè adhuc continetur, percurabitur ferè his æger. Cum craſſiores iam comprehendit atq; adeò occupauit humores,prodeſſe etiam tunc poſſunt,ſi vires conſtent,tempeſtiuè, quando,& quibus oportet, exhibita: At minus multo iuuant, quàm plerique putant.

Ex præ-

Ex prædictis haud eſt difficile videre, in ea me eſſe ſententia, putredini præcipuè eſſe obſtandum, atq; formam iſtam veneni nihil aliud eſſe, quàm putredinis gradum quendam, id quod etiam Galeno alijsq; præſtantiſſimis viris viſum eſt. Addam epilogi vice deſcriptionem aceti, quod D. Geſnerus plurimum profuiſſe illis, qui vſurparunt, ſcribit. Aſcripſi libentius, quia ita eſt compoſita, vt ſudorem moueat, nec calefaciat tamen, quod mihi ſanè plurimum probatur. Vtile certè ſuſpicor eſſe, quamuis periculum ipſius non fecerim.

Acetum deſtillari iuſſi cum Solano, Semperuiuo, Verbena, nucibus immaturis, &c. Hic liquor refrigerat & gratus eſt ſumentibus, per ſe, vel cum ſyrupo aliquo roborante, ita vt ſubito refocillet ægrotos. Nuper cum virgo quædam tertio demum die conſilium à nobis peteret, acetum hoc dedimus, vnde cum melius circa cor habere cœpiſſet, ſudorificam poſtea potionē dedimus. Sudauit. Conualuit. Multis etiam alijs hoc acetum profuit. Huius vncia vna, aut ſeſqui mixta theriacæ, recentiori præſertim non adeò calefacit, & egregiè mouet ſudorem.

Epiſtola XXV.

AD D. CONRADVM GESNERVM.

De Phlebotomia in peſte: vtrum ſemper, an nunquam: omnibus, an aliquibus conueniat: & ſi quibus, quantum & quo tempore. 2. Quibus maculæ aut peſtichiæ apparent, aut qui febre peſtilenti laborant ſine febre, ſang non mittendum. 3. De Sudoris prouocatione in peſte: quo tempore expediat: & vtrum ſanguis prius mittendus, an exhibenda antidotus ſudorem mouens 4. Contra eos, qui iactant ſua certa remedia, quibus maximè profuerint. 5. Antidota contra malignam putredinem, quo tempore exhibenda. 6. Theriacam & alia ſimilia calida non danda, vbi febris adeſt notabilis. 7. Theriacæ laus in preſeruatione. 8. Libros de Theriaca ad Piſonem et Pamphilianū, non videri Galeni eſſe.

COnatus ſum principio breuiter tibi meam, de propoſitis à te mihi quæſtionibus, reſpondere, vir omni virtutum genere præſtantiſſime, ſed non potui ſatis animum meum declarare. Itaq; abiecto conſilio, paulò fuſius eandem explicare cœpi. Et cum

perſcripſiſſem, nec mittendi facultas adeſſet, ſubinde ad marginem, quæ in mentem veniebant, notaui. Et tranſcriptam nunc tibi epiſtolam mitto, & propter communem multorum hominum vtilitatem, te, quanta obſeruantia debeo, & ſtudio quanto poſſum, oro, vti omnibus conſideratis, tuam mihi ſententiam viciſſim exponas. Contentus ſim mori, ſi ex hac re me poſſim expedire. Quanquam enim puto me non errare, & comprobauiſſe ſententiam probabiliter, non tamen non ſum paratus, cuilibet cedere, meliora afferenti. Non ſum, per Dei gratiam, ita mearum opinionum tenax, nec ita gloriæ ſtudioſus, aut ab omni pietate tam alienus, vt me erroris in talibus conuinci nolim, atque eum publicè confiteri grauer vel minimùm. Periculo multorum hic erratur. Deum Opt. Max. precor & oro, & ex toto corde, vt te, tuiq́ue ſimiles viros eruditos, candidos, & publicæ ſalutis ac veritatis amantiores, quàm proprij vel commodi vel honoris, longo tempore incolumes conſeruare dignetur, propter nominis ſui gloriam, Amen. Celeriter iſta die 13. Octob. Heydelbergæ.

Non eſt, cur ſingulare aliquod à me remedium expectes, vir doctiſſime, ad peſtiferas febres, quas apud vos quoq; graſſari incœpiſſe vehementer & ex animo doleo. Sed eſt hæc calamitas nunc toti Germaniæ communis. Vix vllus locus, quocunque te vertas, à lue iſta vacuus reperitur. Et quò nondum peruenit, eò arrepere ſenſim deprehenditur. Vſus ſum anno ſuperiore medicamento D. Lucæ Ghyni, præceptoris olim mei, quod tibi deſcriptum mitto. Quo cum fructu, neſcio. Dicam ingenuè, haud parum me conſecutum putem, ſi nemini obfuiſſet. Perpauci ex ea multitudine, quæ occubuit, vſi vel hoc, vel alijs ſunt remedijs. Et qui vſi ſunt, plerique omnes, vbi iam minus conſtare vires incœpiſſent, manum medicam implorarunt.

Sum in præſentia magis dubius, quàm vnquam fuerim. In cauſa eſt, quod nullam vnquam peſtem aliam vidi, vt Medicus. Nam cum anno 1542. ſi non fallit memoria, Baſileæ me corripuiſſet, parum mihi tunc iſta curæ erant, vt qui animum ad hæc ſtudia nondum appuliſſem, imò ne cogitarem quidem hiſce operam nauare. Proinde quæ ante annum me putabam ſcire, hoc anno me ignorare libenter fateor. Etſi enim hîc non remanſi, ſed cum Illuſtriſſ. Principis conſilio Mosbachium profectus ſum: ea tamen audiui, & per alios obſeruaui,

quæ

quæ me non immeritò dubium reddiderunt. Quæ ideò commemoro, vt intelligas, me non ita promtè & breuiter ad quæſtiones à te mihi propoſitas reſpondere poſſe. Cogitaui hiſce aliquot diebus, quantum per negotia licuit, diligenter, & quid cogitarim, ad te perſcribam. Deinde verò, vt non mireris, quòd nullum tibi medicamentum, tanquam præſens ac certum peſtis remedium, laudo ac prædico. Ambigo certè, an decantata illa à multis remedia tanta efficacitate huic malo reſiſtant, quanta reſiſtere dicuntur.

Ergo de venæ ſectione, de qua primo loco, quid ſentiam, cognoſcere cupis, ante omnia dicam, deinde ſimiliter de alijs. Accipi omnia debent de febre peſtilente ſeu peſte, quatenus ſola eſt, vel cum bubonibus, anthracibus & maculis: non quatenus vel pleuræ inflammationem, vel alium quempiam morbum ſimilem ſecum habet, cuius ratione ſanguis videatur mittendus eſſe. Georgius Agricola, vir excellenter doctus, ſcribit in libro ſuo de peſte: Veteres Græcos in curatione febris peſtilentis, quam aliâs peſtem & peſtilentiam nos, λοιμὸν illi vocare ſolent, nec purgationis, nec venæ ſectionis meminiſſe. Sunt qui Raſim, experientiſſimum inter Arabes Medicum, vtrunque hoc remedium ſimiliter ſilentio inuoluiſſe affirment. Quod ſi ita eſt, non peſſimè fortaſſe quæritur, an in peſte vena ſecanda ſit. Quamuis enim rectè inuentis poſteriores haud pauca rectè addiderunt: vix tamen mihi perſuadeo, ſummos viros hoc remedium, quo tam familiariter in omni febre putrida curanda vſi ſint, quoq́ue vt præcipuo ſemper auxilio magnopere confiſi ſunt, tacitè præterituros fuiſſe, ſi vtile & ſalutare cognouiſſent. Niſi fortè idcirco nihil de eo prodidiſſe credantur, quia neminem de hac re dubitandum iudicarent, vt qui has etiam inter putridas cõnumerarint, ideoq́ ſimilibus eas medicamentis curari voluerint.

Quin etiam Galenus in 1. cap. libri de cibis boni & mali ſucci palàm videtur probare, aut ſaltem non damnare venæ ſectionem in peſte, dummodo vitium imbecillitas abſit. Laudat ergo medicos, quòd in ea peſte, quæ tum graſſabatur, & ex vitioſorum alimentorum vſurpatione orta fuerat, ſanguinem non miſerint. Etenim non poſſunt conſtare vires, vbi tanta prauorum ſuccorum multitudo in corpore aceruata eſt. Cùm verò in humoribus inſigne vitium nullum cernitur, ac

nihilominus propter aëris labem ſeu corruptionem, à quacunq; tandem cauſa ea profecta credatur, plurimos peſtis inuadit ac iugulat, minus fortaſſe imbecilles ſunt per initia morbi ægrotorum vires. Quæritur ergò, quid in tali peſte faciendum cenſuerint veteres, cùm præſertim in principio libri ſecundi de natura humana neque Hippocrates, neq; Galenus venæ ſectionem aut purgationem inter peſtis remedia percenſuerint.

Puto ſanè, quia nihil certi apud hos iſta de re inueniretur, in tam diuerſas abijſſe iuniores medicos ſententias. Nam fuiſſe aliquos legimus, qui ſemper à principio venam tundi voluerunt. Rationem ſententiæ ſuæ hanc attuliſſe ſcribuntur, quia humores in corde, vel propinquis cordi partibus putreſcerent, quo in loco rarò alij à ſanguine humores reperirentur. Addi hoc etiam poteſt, quòd hæc febris maximè omnes ſimul humores, non vnum tantùm, vt aliæ putridæ, inquinare ſiue putrefacere nata eſt.

Alij quidam, nulli ſanguinem mitti facilè concedunt, cui non ad animi deliquium vſq; detrahatur. Extremis, aiunt, morbis extrema remedia conuenire. Huic tam copioſæ vacuationi vt plurimùm corporis refrigerationem, ſudorem, & alui profluuium ſuccedere, & ſic venenum ex corpore, ſiue in corde, ſiue in proximis ei venis contineatur, ſimul totum educi. Nec alia ratione facilius ac melius ægris cõſuli, propterea quòd humores in corde, vel propinquis ei partibus putreſcentes extrahi non poſſint per minorem vacuationem.

Fuerunt deinde alij quidam, & hodie quoq; non prorſus nulli reperiuntur, qui nunquam in his febribus venam ſecant. Non poteſt, inquiunt, cauſa mali, quæ in partibus ſeu venis cordi proximis continetur, per ſectam venam educi. Quapropter euacuantur boni ſucci vnà cum ſpiritibus, ac mali interim in corpore relinquuntur. Vnde eſt neceſſe, ægros, naturali calore imminuto, viribuſq; labefactatis, interire. Quinetiam experientia ſe didiciſſe aiunt, omnes propemodum, quibus in peſte aliquando vena fuit aperta, occubuiſſe, plures multò ex illis, qui ſanguinem non miſiſſent, ſanitati reſtitutos fuiſſe. Permiſceri quoq; bonum ſanguinem in illa agitatione cum putreſcentibus humoribus, & ſic venenatam qualitatem longiùs porrigi. Etenim humores, qui fortè quieti in vno aliquo loco permanſuri, naturæq; viribus

ribus faciliùs ceſſuri videri poterant, proximum ſanguinem contaminare, longè lateq́; ſeſe diffundere, & certo cum periculo ægrotantis ad cor propius nonnunquam pertrahi. In primis verò deterrere nos à venæ ſectione debere inſignem virium imbecillitatem, qua præſente aut futura, omnes præclari medici ſanguinem mittere prohibuerint. In his autem febribus, aut mox ab initio vires maximè imbecilles eſſe, aut paulò poſt ſubitò collapſuras, quæ in præſentia conſtare adhuc iudicantur. Iubere etiam Galenum in Comment. 2. Aphor. 29. Vt in exitialibus morbis nihil moueamus, ſed vt finẽ tantùm prædicamus.

Patrocinari his illud etiam putatur, quod Galenus in Comment. 3. lib. Epid. 3. declaratione 58. particulæ, ſcribit, omnes in peſte illa magna, & ferè ſolos ſuperſtites fuiſſe, qui ſeipſos ad comedendum coëgiſſent. Ex hoc loco omnes medici poſtea conſuluiſſe videntur, vt ægri viriliter edant. In cauſa eſt, quòd peſtifera febris vnà maximè ſpiritus corrumpit, diſijcit, perdit. Quos quia nouos & bonos ex probo & idoneo alimento generari ſubinde oportet, cùm alimentum aut apta materia in corpore nulla ſupereſt, corrupto ſcilicet circa cordis regionem ſanguine, neceſſarium eſt, vt ex ingeſto cibo talis procreetur. Conſtat namq́; hanc febrem vel ſolam, vel certè omnium maximè ex corrupto ſanguine venarum & cordis naſci. Quoniam ergo æger ob hanc quoq; cauſam cogendus eſt ad ſumendum cibum, parum ſanè fuerit rationi conſentaneum, ſpiritibus pabulum, id eſt, ſanguinem nondum infectum per venæ ſectionem ſubtrahere. Vbi namq́; de ſufficiendo bono ſanguine laborandum eſt, haud rectè is qui adeſſe potuit, detrahitur. Suſpicor Raſim, cuius non immeritò ſumma eſt inter Arabes authoritas, in hac eadem opinione fuiſſe, iiſdemq́; rationibus permotum, nec venæ ſectionem, nec purgationem in harum febrium curatione imperaſſe.

Perfacile, qui ſic ſentiunt, ad Galeni locum, qui in lib. 11. Methodi cap. 15. habetur, ſaluberrimã eſſe in omni putrida febri ſanguinis miſſionem, reſponderint. Etenim Galenum non de hiſce, ſed alijs putridis locutum dicent, aut ſaltem conſiderandum reſpondebunt, quòd ab eo adiectum eſt, Siquidem nihil vetet. Vetare autem virium imbecillitatem, quarum ante omnia ſit ratio habenda. Quoniam facillimè in his febribus morbo ſuccumbant, & nonnunquam ſubitò reſoluantur.

Proinde præſtare, vt ſanguis, proprium videlicet partium nutrimentum, & conuenientiſſima ſpirituum materia non euacuetur, ſed hoc potius agatur, vt apta & idonea, pro eorum generatione materia largiter & copioſe ſuppetat.

Poſtremò ſunt adhuc alij, quorum & ego ſententiam, veluti rebus maximè conſonam, modis omnibus approbo, qui ſanguinem ſolis illis, qui eo abundant tunc cùm nihil impedit, detrahi iubent, præſertim verò, ſi per ſanitatem aſſueti ſint veni ſectioni, aut conſuetus ſanguinis fluxus ex naribus, vtero, aut alia quadam parte cohibitus fuerit. Cæterùm plurima in his febribus accidunt, quæ ſanguinis miſſionem prohibere poſſunt, qualia ſunt, nauſea, fluxus ventris, animi deliquium, & huius generis alia. At illis, qui non ſanguine, ſed humoribus alijs venas habent plenas, quos κακοχύμους medici appellare ſolent (quorum ferè ſemper peſtis tempore longè maximus eſt numerus) purgationes, conſideratis ſimiliter circumſtantijs, præcipiunt. Huic ſententiæ præſtantiſſimi omnes Medici, antiqui & recentiores Græci & Latini cum plerisq; Arabibus, aſſenſerunt. Nititur ea rationibus firmis, & rei naturæ conſentaneis, vt poſtea intelligetur. Nunc ante dictarum opinionum firmamenta breuiter examinare libet.

Primi omnibus mihi modis peccare videntur. Non enim intelligere poſſum, quid prohibeat, quò minus etiam cacochymi, qui parum boni & puri, multum autem habent vitioſi ſanguinis in toto corpore, peſte quouis tempore corripiantur. Quin imò hi plerunq; præ cæteris tunc periclitantur & numero cæteros facilè multumq; ſuperant. At quis ſanæ mentis medicus, hos potius detracto per ſectam venam ſanguine, quam per pharmacum vacuare tentet? Haud rectè ab illis dicitur, in peſte tantùm in corde, aut vicinis cordi venis, contentum ſanguinem putredine affici. Sæpiſſimè alibi corrumpitur primùm, indeq; ad cor arrepit labes. Fit hoc aliâs ſenſim, aliâs breui admodum tempore, cùm videlicet ſubito & inopinato metu percellitur animus. Sic quibuſdam terror peſtis, putridos ſpiritus ad cor attraxit, qui abſente illo metu, & perturbatione hinc orta, tandem illo peruaſuri fuerant.

Quod ſi certò ſemper ſcire poſſemus, in qua parte, & quando ſanguis corrumpi exitiali iſta putredine incæpiſſet, atq; ex eo poſſet loco

vel totus

vel totus, vel pars aliqua corrupti iam ſanguinis, priuſquam ad cor penetraſſet, elici: non dubium eſt, quin ſanguinis miſſione tunc plerumq; æger percurari, aut certè plurimùm iuuari poſſet. At verò nos vt plurimùm non ante peſtis ſemina in aliquo eſſe nouimus, quàm febrem adeſſe ſentiat. Sentit autem eandem citiùs, cùm per terrorem ſpiritus ad cor reuocantur, & cum bonis vnà vitioſi eodem adducuntur. Accidit aliquando vt qui peſtiferæ febris ſeminaria in ſe haberet aliqua, funeri obuius fieret, atq; ex metu peſtis, non multo poſt in eam febrem incideret. Exempla plurimorum recitari poſſent, ſi res poſtularet, qui omnes ſeriùs febrem perſenſiſſent, ſi non per metum ſiue terrorem putridi ſpiritus ad cor ipſis attracti fuiſſent. Inſcitè, meo quidem iudicio, creditur à nonnullis, terrorem peſtis aut imaginationem peſtem in corpore benè ſano, & à putrendis malignæ fomentis libero, procreare poſſe. Sed hac de re alibi à nobis eſt diſputatum pluribus: neq; hîc percenſere argumenta neceſſe eſt, quibus ita ſentientes confutari poſſunt.

Non eſt verum, quod præterea aiebant, ſanguinem circa cor collectum meliorem ac puriorem eſſe eo, qui in cæteris partium corporis venis continetur. Non enim video, cur non æquè poſſit impurus eſſe in finitimis cordi venis, atq; in remotioribus. Poſtremò perperam exiſtimare videntur, ideò ſemper nos ſecare venam, vt corruptum educamus ſanguinem. Optandum quidem hoc foret, ſi fieri ſemper poſſet. At frequenter admodum fieri, non poteſt. Quin aliquando per eum locum educimus, ad quem ſimiliter corruptum ſanguinem, ſi alio in loco putruerit, confluere nequaquam velimus.

Qui ad animi deliquium vſq; detrahere iubent, ij compendioſam quidem minimeq; difficilem viam ad ſanitatem monſtrant. Vtinam æquè facilè docere poſſent, tam eſſe eam ſecuram, quàm eſt breuis. Quis nos certos reddet, per largam iſtam ſanguinis detractionem, putridum omne, quod fortè relinquitur in venis, per ſudorem atq; aluum, abſq; pernicie ægroti vacuandum? Si vel minima aliqua particula remaneat in venis, an non ea proſtratis iam viribus ſanguinem vniuerſum inficiet, atq; ſic ægrum perdet? Non fuit hæc mens Hippocratis, cum extremis morbis extrema remedia congruere dixit. Plus præſidij apud Galenum 14. Meth. cap. 10. quo in loco copioſam iſtam

ſanguinis miſsionem in peſtifero carbunculo approbaſſe cenſeri quibuſdam poteſt, habituri videbantur. Veruntamen hic quoq; generalis regula locum habet, ſi vires patiantur, atq; aliud nihil prohibeat. At prohibent vires mox collapſuræ in tam pernicioſo morbo, vt cætera taceam. Illud potiùs ex citatis Galeni verbis colligatur, licere ex ipſius ſententia nonnunquam febre laborantibus peſtifera venam ſecare, quamuis ad animi vſq; defectum detrahere non liceat.

Maioribus viribus opus habemus contra illos, qui nunquam rectè mitti ſanguinem in peſtiferis hiſce morbis opinantur. Nam & authoritatibus ſubnixa, & rationibus fulcita eorum videtur opinio. Et quòd me præcipuè mouet, experientia in primis nituntur, qui ſic ſentiunt, eamq; ſuæ opinionis faciunt patronam. Profectò niſi fuiſſem nimis ſæpè expertus, falſò experientiam plerunq; prætendi, in hac mihi ſententia putauiſſem acquieſcendum eſſe. Cæterum refellitur hæc quoque cogitatio ſeu imaginatio non contemnendis ac leuibus argumentis. Plurimum quidem oppugnat eam Galeni, & præſtantiſsimorum omnium medicorum authoritas. Deinde docet aperta ratio, argumenta, quibus ea nititur, inutilia eſſe.

Quod ad Galenum attinet, duos iam locos protuli: vnum ex 1. cap. libri de boni maliq; cibi ſuccis. Alterum ex 14. Meth. Medend. cap. 10. Vtrobiq; oſtendit Galenus, ſanguinis miſsionem ſe probare, ſiquidem vires non lædat. Qui attentè Cõmentarios in lib. Epidem. Hippocrat. conſcriptos perlegere volet, plura inueniet teſtimonia, ſi teſtimonijs Galeni contentus eſſe poſsit. Oribaſius in libro de Cucurb. & ſcarificat. cap. 20. (impreſſa ſunt hæc cum Latinis Galeni operibus apud Iuntas Venetijs) ſic ſcribit: Et ſanè dum peſtilentia vehemens Aſiam deprehendiſſet, multoſq; perdidiſſet, meq; etiam morbus attigiſſet, ſecunda morbi die remiſsione febris facta, rus ſacrificaui, duaſque ferè ſanguinis libras detraxi, hacq; de cauſa p. ri. ulum vitau. Pleriq; etiam alij hoc præſidio vſi, ſuperſtites euaſere. Erant enim plenitudinis ſigna. Illiq; præcipuè ſaluabantur, qui ſanguinem copioſum exhauriebant.

Paulus Ægineta lib. 2. cap. 36. & Aëtius in ſermone 1. Tetrabili. 2. cap. 94. ex Rufo hæc verba habent: Quibus ſanguis abundat plus æquo, vena ſecta detrahito. Eadem ferè Oribaſius ex eodem Rufo tranſcri-

tranſcripſit in ſynopſeos ſuæ lib.6.cap.25. Citaui Rufi verba eò libentius, quòd veteres Græcos non abhorruiſſe à ſanguinis miſſione in peſtiferis febribus manifeſtè probant. Anteceſſit enim ætate Galenum Rufus, cuius teſtimonio hi nituntur. Parum probabile eſt, quòd hîc à quibuſdam dicitur, Rufum non de curatione, ſed de præſeruatione loqui. Si hoc verũ, conſectarium eſt prorſus, Oribaſium Æginetam, & Aëtium ſimiliter intelligendos, vt qui verbis Rufi vtantur, & ex ipſo ſua tranſcripſerint. At verò verba, quæ in vtroq; leguntur, & mox poſt illa quæ citauimus, ſequuntur planiſſimè demonſtrant, Rufum de curatione agere, quicquid tandẽ Raſis ſuper hac re diſputauerit, aut quomodocunq; ipſe intellexerit. De Auicenna & Auerrhoe (cæteros Arabes non legi, quare nihil de ipſis affirmo) res eſt nota. Proinde non potuerunt hi ſe tueri authoritate antiquorum, qui fermè cuncti nobis fauent.

Non loquor in præſentia de febre peſtilente priuatim ſic dicta, quæ ſcilicet abſq; peſte in quibuſdam naſcitur. In hac ſanguinem aut nunquam mittendũ eſſe, aut certè quàm rariſſimè præſtare ſcio. Oritur enim hæc ex inſigni cacochymia, abſq; externa cauſa tali, qualis in peſte intelligitur, humoribus ad veneni quandam naturam permutatis. Quocirca non niſi in paucis reperiuntur (niſi fames præceſſerit, aut alia quæpiam ſimilis cauſa generalis) nec adeò ſunt contagioſæ, vti eæ ſunt, quas aëris vitiũ, cõmuniſue cauſa excitauit in vera peſte. Vires in talibus plerunq; conſtare non poſſe, nemo ſanus neſcit. Ideo Gal. in lib. de cibis boni ac mali ſucci Medicos laudat, qui paucis ſanguinem miſerunt. Aliquibus miſſum fuiſſe ex lib. de atra bile ſatis oſtenditur.

Meminit huius diſcriminis (ſcilicet peſtis, & febris peſtilentialis, quæ extra peſtem aliquos priuatim inuadit) Galenus in duobus locis: quorum alter extat in tertio de præſagio ex pulſibus cap.4 vbi ſe ita ex inſigniorũ Medicorũ ſententia diſcernere aſſerit. Alter in Comment.3. ſup. lib.3. Epid. in textus 57. expoſitione habetur, quem, quia ad rem propoſitam conducit plurimum, adſcribere placuit. ἦν δ᾽ ἡ σύντηξις τὰ κενούμενα, καὶ τοῦ τ᾽ ἔοικεν ἀχώριστον εἶναι σύμπτωμα τοῦ καλουμένου λοιμώδους πυρετοῦ ἰδίως καταλαμβάνοντος τοὺς ἀθρόως, καὶ χωρὶς λοιμοῦ. *Quod ſi ergo eſt proprium huius febris ſymptoma colliquatio, nõ temerè certè venæ ſect, ò fuerit vſurpanda in huius curatione.*

Neq; plus eos iuuant rationes, quas adducunt, quàm iuuare authoritates oſtenſum eſt. Noſtram certè ſententiam non oppugnant. Quoniam tuncſolummodo venam tundimus, cùm & vires conſtant, & ſanguis redundat, naturæq; oneri magis eſt quàm vſui, & præterea æger venæ ſectioni aſſueuit. Nec temerè tamen poſt elapſum primum diem aperimus venam, quòd ſuſpectam habeamus tunc virium conſtantiam. Quis ſanguinem, qui naturæ in pugna contra exitialem putredinem occupatæ & diſtentæ impedimento eſt, non ſublatum de tractumq; volet? Certè eo detracto, alacrior & robuſtior efficitur, atque vni malignæ putredini totis reſiſtit viribus, onere altero leuata. Sic dum ſuccumbere eam à duobus oppugnatam hoſtibus neceſſe erat, ſæpenumero contra & præter omnium expectationem victrix euadit, venenumq; profligat. Proinde multitudinis, ſiue ad vaſa ſiue ad vires æſtimetur, partem auferimus, quo reliquos humores facilius regat, nec putreſcere eos ſinat, quod euenire tunc eſt neceſſarium, cùm omnibus regendis propter copiam non ſufficit.

Deinde, quamuis obſtructio & exitialis putredo per ſanguinis miſſionem non ſemper tollantur, inducimus tamen per eam corpori frigiditatem exiccationemq;, quibus putredo non omnino nihil cohibetur & hebetatur. Rareſit per eandem corpus, & commodius perſpirant ſucci pernicioſi: ijdemq; facilius vincuntur, concoquuntur, ac reſoluuntur. Quibus rebus cùm in harum febrium percuratione vnicè indigeamus, optima ſanè ratione abundantem ſanguinem emittimus. Cauendum nihilominus ſedulò dicimus, ne alimentum ſpiritibus, quos perpetuò nouos procreari ex incorrupto ſanguine oportet, vlla ex parte adimatur. Quamobrem non incommodat huiuſcemodi ſanguinis miſſio, nec vires proſternit, ſed maximè prodeſt, & vt vires minus lædantur à perículoſo morbo, efficit. Minus enim ab vno quàm à duobus ſimul hoſtibus, omnino offenduntur.

Galenus præcipit quidem, vt deploratos ſinamus: at nullo in loco iuſſit peſte affectis nullam afferre medicinam. Omnia ipſius monumenta contrarium perſpicuè probant. In 9. de Simpl. Medic facult. non Armeniam modò terram, ſed alia quoq; plurima ægris remedia adhibita fuiſſe commemorat, quamuis præter nominatam nuper terram nihil aliud conferre videretur. Idem ex 14. Method. vbi peſtilen-

lentiæ eiuſdem grauis ac diuturnæ meminit, intelligi poteſt, quemadmodum ex 1. cap. lib. de cibis boni & mali ſucci, atq; ex lib. de atra bile etiam cognoſcere licet. Conſtat quoq; non omnibus in peſte qualibet fruſtra medicinas afferri. Quapropter non de peſte laborantibus abſolutè, ſed de illis loqui cenſendus eſt, qui deploratè iam ægrotant, quoſq; perituros conſtat, ſiue peſte laborent, ſiue alio quouis morbo lethali premantur.

Cæterum quando perniciosi humoris pars ad glandulas depoſita eſt, modò fieri à nobis poſſit, eam ſemper eligimus venam, per quam ſanguis non ad cor adducatur, ſed ab eodem longius ad affectam partem deriuetur, ſicq; minore periculo æger laboret. Admoueri etiam tumoribus cucurbitulas, vel alia medicamenta ſimilem poteſtatem obtinentia, rectè iubent medici diligentiores, ne expulſus humor in venas regredi retrahiue per venarum ſuctũ poſſit. Quanquam non multum periculi hîc eſſe videam, in plenis præſertim corporibus, niſi præter & ſupra modum venæ inaniantur, id quod maximè caueri oportet. Cùm circa inguinem tumores exoriuntur, poplitum, ſiue crurum, ſiue pedum venas ſecamus, aut certè cucurbitulas cum ſcarificatione, vt ex Oribaſio dictum eſt, cruribus affigimus. Quod cùm facimus, non ad cor putredinem adducimus, ſed ab eo potius ad inguina abſtrabimus.

Plus fortaſſe periculi eſt in maculis, vel exanthematis, quas à peſte Peſtichias vocandas Maſſa putat. Etenim licet aliud nihil eſſe videantur quàm pars putreſcentis humoris tenuior, ſeu potius vapor quidam ab eodem exhalans, non tamen reuocari eam materiam in venas vtile fuerit. Certum eſt, eas naturam ſanguinis, cuius ſunt expirationes quædam, adhuc retinere. Quippe pro natura ſanguinis putreſcentis & putredinis modo variant in ſubſtantia & colore. Quoniam ergo conſtat, ſanguinem ex venis excluſum, magis ſemper corrumpi, verendum certè eſt, ne iſti vel humores vel halitus ad venas retracti, cõtentum in ipſis ſanguinem peſſimè afficiant. Arbitror non inutiliter ſanguinem, qui ad cutem hoc modo peruaſit, vel cucurbitularum appoſitione, vel fricatione ac inunctione medicamentorum facultatem rarefaciendi, diſcutiendi, ac leuiter ex profundo ad ſuperficiem attrahendi poſſidentium, vacuari, prout vires magis minúſue

ſe credatur, cauendum certè fuerit, ne præparati ad fluxionem humores agitentur.

Nunc de ſudoris prouocatione aliquid dicam, de qua magis ſum dubius. Non eſſe eum ab initio morbi, vt hic plerię omnes faciunt, calidis valdè medicamentis eliciendum, multa demonſtrare videntur. Si de medicorum, non antiquorum modò, ſed recentium quoq; ſententia quæſtio decidenda ſit, lis iam dirempta eſt. Conſtat enim ex antiquis illis præcellentibus medicis, nullum hoc aut feciſſe, aut conſuluiſſe.

Ex recentioribus (non de imperitis, qui potiùs Empiricorum more, quàm ratione artem exercent, ſed de eruditis & doctis hîc loquor) nulli etiam, exceptis perpaucis, iiſq; noſtratibus ferè, aliquid tale imperaſſe inueniuntur. Oribaſius, Paulus, & Aëtius ex Rufo vacuationem per vrinas, & totam corporis molem, ſi res flagitet, præcipiunt quidem, at non ſtatim à morbi inuaſione. Venam prius ſecant, aut medicamento aluum ſubducunt. Deinde verò ſignis aliquibus coctionis apparentibus, quantumuis obſcuris, vrinas cient, ſudoreſq; prouocant, vt reliquias putredinis hoc pacto educ[illegible]t. Vix mihi perſuadeo, ipſos in hac febre, in qua præcordia magno æſtu tenentur, & in qua leuis error certiſſimum affert exitium, præcalidis illis medicamentis, quæ nunc plurimi in frequentiſſimo vſu habent, violenter ſudorē prouocaſſe, aut prouocare alios voluiſſe. Etenim frigidis, exiccantibus, abſtergentibus, incidentibus, paſſim vti nos iubent.

Auicenna, qui ex Græcis omnia ſua tranſcripſit, ne quidem Rufi medicamentum putauit in curatione vſurpandum, ſed in præſeruatione tantùm concedit. Quin & in 4. lib. Canonis Fen. 1. Tract, 4. cap. 5. odores etiam calidos improbat. Galen. in 9. de Simpl. facul. cùm de Armenia terra diſſerit, non audebat eam, quanquam nihil poſſideret caliditatis, in vino, niſi valdè diluto & aqueo, febricitantibus exhibere. Quomodo ergo vehementi febre conflictatis calidiſſima medicamenta, vt iis per vim ſudorem euocaret, præſcripſiſſe credi poterit? Equidem in genuinis ipſius operibus nihil tale inueniri poſſe arbitror. Quæ de Theriaca ad Piſonem & Pamphilianum leguntur, poſtea conſiderabimus.

De recentioribus medicis non eſt res ignota & obſcura. In Italia

per annos vndecim totos, præceptores meos, viros ſummos & experientiſſimos, diligenter & ſæpè de cura huius febris interrogare ſolitus ſui, quod vehementer certi aliquid cognoſcere cuperem: at nihil aliud expiſcari potui, quàm vtendum poſt vacuationem frigidis, & exiccantibus medicaminibus abſq; inſigni adſtrictione, illis præſertim, quæ à poteſtate occulta veneno reſiſterent. Habendam rationem virium, corroborandum cor modis omnibus, & extinguendam eſſe putredinem. Legi poſtmodum multorum de hac re commentarios. Apud nullum, quòd ſciam & meminerim in præſentia, ſudorem à principio morbi calidis euocandum eſſe medicinis legi. Vnus D. Lucas Ghynus huiuſmodi quippiam, vt mox dicam, laudabat. Noſtrates medici nihil habent vſitatius, imò ſi hæc negligantur, non rectè curari ægros ſibi certò perſuaſerunt. Hoc inde adeò euenire opinor, quod venenum ſe depellere, manente nihilominus putredine, malè crediderunt.

Quòd ſi rationibus res eſt explicanda, non poteſt non abſurdum videri, ægrum ab initio ſtatim morbi, pannis contectum, calidiſq; medicamentis hauſtis ad ſudorem cogere. Non enim negari poteſt, violentos ſudores non modò grauibus morbis oppreſſos, verumetiam ſanos mirificè debilitare. Galenus in 2. ad Glauconem cap. 4. etiam robuſtos, cùm ægrotant, ex ſudore copioſiore in animi deliquium incidere ſcribit. Hic autem ad duas, tres, atq; adeò plures horas ægrum iubet ſudare, acutiſſimo & periculoſiſſimo laborantem morbo. Certum eſt in ſudore tam longo & præterea coacto, plurimos omnino ſpiritus reſolui. Relinquitur ergo ſudorem coactum, & virtute calidorum medicaminũ prouocatũ, nõ ſine magno periculo, in pernitioſo iſto morbo, qui ſæpe corpus repentè exoluit, ac vires omnes proſternit, imperari.

Galenus alicubi verè ait, ſudores in crudis morbis nec prodeſſe, nec boni ſigni rationem habere. Et quidem de illis ſudoribus id dicit, qui vi morbi, nullo ad eam rem epoto pharmaco eueniunt. Minus, puto, boni eſſe poſſunt, quos medicamentũ calidum in exitiali & crudo morbo violenter exprimit. In tempeſtate 3. Com. 2. in 1. Epid. declarat, textus 73. pernitioſum aſſerit in ardentibus febribus per initia ſudare. Neq; de alijs ardentibus loquitur quàm peſtiferis, quas corruptus aër procreare potuit. Vidi ego aliquando idiotas putrida febre

bre affectos cogere, vti pannis bene contecti pluſculum ſudarent, eoſque hoc pacto in magnum vitæ periculum adducere, vbi prius nullum erat. Ac certum eſt inde hoc accidiſſe, quòd ſpiritus fuiſſent reſoluti, cauſa autem morbi vacuari non quiuiſſet. Si in non periculoſis hoc febribus vſu venit, ad quas perferendas corporis vires longo tempore ſufficiunt, quid in exitioſa hac & maligna fieri oportet, quæ paucarum ſæpe horarum ſpatio vires omnes ſubitò labefacit? Nullus adeò eſt demens & rudis, qui non à ſudoribus iſtis ægros vehementer frangi ac debilitari intelligat, tunc etiam, cùm aut nullis, aut frigidis medicamentis elicitur. Multò, arbitror, magis nocere eos oportet, cùm in lethali febre calidis medicamentis violenter euocantur.

Præterea norunt omnes, per ſudorem tenuia, ſolùm & aquoſa excrementa in corporis habitu collecta, cum ſpiritibus vacuari, dum adhuc crudus eſt morbus. Sanè Galenus hoc in locis propemodum infinitis, ratione ſimul cum experientia atteſtantibus, docuit. Hac de cauſa videri poteſt in 3. Apho. 15. aſſeruiſſe, euacuationem per balnea factam paruam eſſe, ſolamque fermè cutem expurgare, per carnes & ſolidas partes diſperſa excrementa nequaquam educere, ob eam videlicet cauſam, quòd craſſiora exiſtant quàm ſudorum materia. Ergo calida iſta medicamina, dum ſanguinem agitant, inflant, & quaſi fermentant, ſiue intumeſcere faciunt, ſpiritusque impellunt & exigunt, quid quæſo aliud efficiunt quàm putredinem augent? Si in feroſa tantùm, & tenuioribus ſanguinis partibus venenata ſemper conſiſteret putredo, ſicut aliquando eam conſiſtere non nego, non malè fortaſſe ſudorifica ab initio omnibus offerremus. Iam cùm in craſſa ſubſtantia ſanguinis, non in ſero ſolo impreſſa eſt, ſine fructu per ſudores educere eam tentauerimus forſan, priuſquam eſt extenuata. Multò namque craſſior eſt ſanguis, & longius, qui in venis cordi propinquis continetur, à cute diſtat, quàm vt per eam diſſipari poſſit.

Tam etiam ſubita & improuiſa eſt in hac febre virium diſſolutio & extinctio, vt plerunque inopinatò concidant, & ſic derepente moriatur æger. Certè hoc omnibus ferè in peſte morientibus accidit, vt tunc moriantur, cùm adhuc mediocriter habere putantur, propter repentinum virtutis vitalis caſum, & ſpirituum celerem reſolutionem. Vix euadunt, qui non conueniente cibo & potu etiam præter volun-

tatem ſumpto, materiam eorundem generationi præparant, vt ſupra declarauimus. Niſi ita faciant, haud ſuppetit ſatis multa & idonea pro ipſorum inſtauratione. Proinde non rectè coguntur tunc ægri ſudare, cùm ſanguis bonus non eſt à malo ſecretus, & ex æquo bonum & malum vnà cum ſpiritibus vacuari neceſſe eſt, imò cùm plus ſpiritùum, quàm praui humoris, diſperdi oportet. Sanè ſpiritus per ſudores affatim & copioſè vacuari, ſatis indicant proſtratæ afflictæq́; poſt largum ſudorem vires. Craſſi & inquinati ſanguinis nihil, aut particulam exiguam educi, probant accidentia, quæ ferè omnia fiunt poſt ſudorem deteriora. Neq; poſſunt corrupta tantùm per ſudorem vacuari, propterea quòd vtilia ab inutilibus nondũ ſecreta ſunt; vt illa quidem retineat natura, hæc aũt expellat. His coniungitur altera illa difficultas, quòd videlicet nõ ſua ſpõtè, ſed coacta ſudores iſtos exprimit.

Clarius intelliget rem, qui nihil ex venis per ſudorem expurgari didicit, niſi quod in corporis habitum effuſum, ibidemq́; ſi craſſiuſculum exiſtat, extenuatum ſit. Argumento ſunt cùm aliæ putridæ febres, tum verò maximè ardentes. In his enim febris cauſa non ante rigorem, hoc eſt ante putridæ bilis ex venis effuſionem, eiuſdemq́; per carnoſas partes diſperſionem, vnde rigor naſcitur, per ſudorem vacuantur. Neq; ſtatim poſt rigorem, ſed poſt horas aliquot demum conſequitur ſudor vtilis & ſalutaris. Quippe attenuari effuſam bilem à largo calore, qui mox rigori ſuccedit, prius oportet, inq́; vaporem conuerti. Aliter per ſudorem eijci nequit, vt in regio morbo laborantibus manifeſtè apparet. Non enim poteſt in his bilis flaua, quantumuis tenuis, per cutem totam penetrare, niſi temporis aliquo ſpatio ibi hæſerit, & magis extenuata fuerit.

Adde quod in peſte haud multi per ſudores iudicantur. Qui euadunt omnes ferè per decubitum humoris craſſi vel ad glandulas, vel ad alia loca, liberantur, aut per copioſam ſanguinis alicundè fluentis vacuationẽ periculũ effugiunt. Dicere non poſſum, an huc vſq; in præſenti peſte quiſquã ſit ſanitati aliter apud nos per iudicium ſiue criſin reſtitutus. Certè vix dici poteſt, quomodo inchoante nuper morbo, tã craſſus humor, per ſudorem ex venis euocari queat. Quippe bilis flauæ, quæ ſanguine multò eſt tenuior, non ante poteſt euocari per cutẽ (vt diximus) quàm ſit amplius extenuata. Quo pacto igitur

credimus, craſſum ſanguinem per vim ex venis expulſum, mox per cutis meatus elici? Nihil dubito, quin tenuiores aliquae partes ac ſeroſi ſucci hoc modo euacuentur. At quomodo per horum excretionem mox ab inſultu febris tentatam, labes, quae in craſſo ſanguine impreſſa haeret, tollatur, id eſt, quod nondum ſatis perſpicio. Non enim in his febribus, vt nunc ſunt, vnus aliquis humor tantũ, ſicut in alijs quibuſdã putridis vſu venit, putreſcit, ſed ſanguinis maſſa corrũpitur.

Praeceptum eſt artis Medicae, vt qua natura ſe exonerare tentat (modò per conuenientem regionem, non per nobilem aliquam partem id tentet) hac vacuemus. Caeterùm pars maxima laborantium abundè teſtabitur: Naturam in hac peſte vt plurimum conatam fuiſſe, & hodie quoque conari, corruptum ſanguinem à corde ad glandulas propellere, interdum quidem inchoante febre, nonnunquam horis aliquot ante eius inſultum, ſaepe aliquanto poſt tempore. Equidem ſicut natura in febribus intermittentibus putreſcentem humorem ex venis in carnoſas & ſenſibiles corporis partes à principio excernere ſolet, ita in hiſce, cum robuſta eſt, mox ad glandulas venenatum humorem deponere ſtudet. Quomodo ergo non malè facit, qui, quae natura per patentes meatus vix ad glandulas detrudere, ſicut caepit, poteſt, per anguſtos cutis meatus, contra naturae inclinationem & conſilium, per vim educere conatur? Adiuuanda potiùs foret, vt quemadmodum caepit, totum ad ea loca propelleret.

At conuenit, inquiunt, perniciosum humorem quàmprimum, nulla occaſione alia expectata, à corde auertere, & ex corpore educere. Hoc niſi fiat, magno in periculo aegrum verſari. Laudo voluntatem ac ſtudium: at valdè vereor, vt natura poßit craſſum humorem in corporis habitum effundere, & deinde per cutem euacuare. Si id potuiſſet praeſtare, non ſtuduiſſet ſe ad glandes exonerare. Regio namq; amplior, commodior & familiarior cutis eſt. Atqui deponere ad glandes incaepit. Cur ergo hanc ipſius actionem, praeſertim verò cum non ſit inſueta Naturae regio, turbamus diuerſa euacuatione? Hoc conſequimur, vt deinceps venenum per neutrum locum expellere poſſit. Non ad glandulas, quoniam ab hoc propoſito auocatur. Neque ad cutem, quia craßior eſt materia, quàm vt hac expellatur. Indicio eſſe queant exanthemata, quae culicum pulicúmue morſibus ſimilia in cute

efflorescunt, ex halitu ſeu vapore nata, qui de putridis humoribus expirat. Hunc conſtat ſanguine putrido, à quo eleuatur, multò eſſe tenuiorem. Qui cum per cutem penetrare nequeat, quomodo, quæſo, craſſus humor, ex quo exhalat, penetrare poſſe creditur? Congruit hoc etiam cum illis, quæ de febrium ardentium materia ſiue cauſa ſupra diximus.

Hîc ſi quis iam diſputet, ſudoris prouocationem huic vacuationi, qua natura humorem ad glandulas à corde protrudere ſtudet, non aduerſari, propterea quod vtraque à centro ad circumferentiam tendat: non magnopere cum eo de hac re contenderim. Nota res eſt cunctis, nec poteſt non ignarus artis noſtræ diſcrimen vtriuſque vacuationis, & quantum altera alteri impedimento eſſe queat, neſcire. Similiter etiam illis reſpondere me hoc loco non eſt neceſſe, qui expulſionem humoris venenati ad glandulas ſymptomaticam, non criticam, eſſe aiunt, atq; ideo alteram illam hac non impediri. Hoc volo, non me videre, quomodo humor craſſus, qui vix per apertam & amplam venarum cauitatem poteſt ad glanduloſa corpora propelli, per inſenſiles totius corporis & venarum meatus poſſit ad cutem diſpergi, & per eandē deinceps cū ſudore vacuari. Profectò ſi verū eſt, quod Fallopius de ſucco Galegæ epoto affirmat, eum putreſcentem materiam ad glandulas trudere, nullum poterit hoc remedio certius, aptius, præſentius, efficacius tunc offerri, cum eodem natura venenum tranſmittere cœpit. Sunt qui Calendulæ ſiue Calthæ ſuccū, trium plus minus vnciarum pondere ſtatim ab initio hauſtum, idem præſtare aſſeuerant. Eundem præterea excrementa circa vteros muliebres hærentia per eoſdem feliciſſimè expurgare aiunt. Proindè laudanda magis ſunt hæc remedia, quàm quæ tantùm ſudorem ciere ſolent.

Quod ſi autem verum non eſt, hoc ſaltem affirmare auſim, minus ea nocere calidis medicamentis, quæ alij vſurpant. At certum eſt, talia ſtatim à principio quibuſdam exhibita prodeſſe plurimum poſſe. Quippe aliquando non ſola illa ſanguinis pars inquinata eſt, quæ ad glandulas tranſmittitur, aut in vicinis locis continebatur. Quocirca cum aut in pluribus partibus vitium contraxit, aut non eſt totus ad glandulas tranſmiſſus, vtiliter per ſudorē vacuabitur, ſiquidem nihil aliud impediat. Attamen hîc non calidis, ſed vel tēperatis, vel frigidis

vtendum

vtendum fuerit, qualis eſt aqua ex corticibus nucum viridibus deſtillata, quam aliqui mirificè in hoc malo commendant. Ratio ſimilis ferè eſt in ſucco Veronicæ maris, quam herbulam conſtat non adeò calidam eſſe, vt vitari, præſertim ab initio, debeat. Tribuunt autem ei inſignem poteſtatem venenum à corde depellendi, & ne ad ipſum arrepat, arcendi. Huius generis etiam ſunt ſucci vel decocta radicum Tormentillæ & Serpentariæ. Carent enim perceptibili guſtui caliditate, licet ſtrenuè exiccent. De aceto, limonum & citriorum ſucco fruſtra dixero, cùm vſum & vim eorum in peſte nemo ignoret.

Porrò illud etiam non poſſum animo ſatis comprehendere, quomodo calidus & putreſcens ſanguis, vi medicamenti ex venis expulſus, & per ſenſiles corporis partes cum impetu diſperſus, nullum rigorem efficiat. Conſtat enim in his ſudoribus rigorem non excitari. Deinde manifeſtum etiam eſt, ſudores hic epotum pharmacum multò citiùs ſequi, quàm in ardentibus febribus poſt rigores ijdem conſequantur. Quin plerumque corpus totum largo ſudore manat, priuſquam ex ventriculo pharmacum exiiſſe, inq; venas diſtributum credi queat.

Non puto Mithridatum, Theriacam, electuarium de ouo, pulueres, & quæ his ſimilia ad ſudorem prouocandum paſſim exhibentur, tam breui tempore in ventriculo hærere, quàm citò ſudorem mouent. Non enim poſſunt nullo, vel tam breui temporis ſpacio diſſolui, attenuari, in actum deduci, & tandem in venas digeri, atq; in his craſſos humores hactenus extenuare, vt in ſudorẽ vertantur. Quod ſi etiam in hepate nonnihil morari conceda̅tur, plus habebit propoſita cauſa perſpicuitatis. Profectò iſta mihi ſuſpicionem faciunt, nihil aliud per ſudores iſtos vacuari, quàm ſpiritus, & flatulenta aquoſaq; excrementa in corporis ambitu inhærentia. Conſentire huic ſententiæ omnia ferè videntur, quæ vel ægris vel ſanis accidere conſueuerunt.

Haud alia eſt ratio, aut non multum diuerſa in illis qui à principio morborum ſponte ſua ſudant. Conſtat eos non leuari eo ſudore, ſed ſæpenumerò plurimùm debilitari. Sequitur is aut materiæ copiã, aut virium imbecillitatem, aut morbi violentiã, hoc eſt, naturæ coactæ, non liberæ, actionem. Non enim antequam bonum à malo ſepararit, vacuare tentat. Et quæ crudo adhuc morbo exiſtente, vacuat,

non liberè, ſed coactè vacuat. Hunc naturæ motum non temerè ac ſemper imitari medici debent. Idem ferè de exanthematis ſupra dictis ſentiendum puto. Tantum abeſt, vt horum apparitio in hac peſte aliquem iuuerit adhuc, vt pleriq; omnes non multò poſt eorum apparitionem extincti ferantur. Videntur à vapore quodam tenui & putrido ad cutem ſe diffundente naſci, manente intus craſſiore ſubſtantia. Et tunc ferè primùm apparent, cùm magna ex parte ſanguis eſt corruptus, & hactenus attenuatus, vt pars in vaporem ſoluta exhalet. Hos vacuari quidem velim, at non medicamento calido ſudores ciente, ac reliquum ſanguinem amplius conturbante. Valdè probabile eſt, non in ſola cute hunc vaporem conſiſtere, ſed in reliquis etiam viſceribus colligi. Quippe ſi in cutem ſolam effunderetur malignus vapor, mitior aliquantò fieret morbus. Vtrobiq; eas naſci poſſe ex Galeni teſtimonijs, quæ in lib. de atra bile, cap. 5. & lib. Method. Therapeu. 5. cap. 12. habentur, perſpicuum eſt.

Ex his, arbitror, patet, ſudores ſtatim ab inuaſione febris huius per vim adeò calidorum medicamentorum euocatos, non tam vtiles eſſe, quàm aliqui putant. Siquidem ſpiritus vacuantur, vires deijciuntur, ſanguis inflatur, agitatur, turbatur, magisq; febris acuitur, quod ſubtile eſt in ſanguine excernitur, ſicq; craſſior intus relicta materia citius & facilius interficit. Idcirco magis videtur factum & conſilium eorum approbandum, qui ab his medicinis calidis abſtinent ſiue ſudent ægri ab initio, ſiue non ſudent. Certum namq; eſt, ſudorem ſponte ſub initium morbi prodeuntem, diaphoreticum & ſymptomaticum, non laudabilem & criticum eſſe.

Quod ſi omninò vtile putetur ab initio in hoc malo ſudorem prouocare, frigidis potentia medicamentis, qualia ſupra iam quædam commemoraui, & præterea tenuibus (quo facilius penetrent) atq; ſiccandi vim, incidendi, abſtergendiq; poſſidentibus mox ab inſultu, aut etiam ante inſultum febris prouocandum eum (non quidem in omnibus, ſed in quibuſdam) iudicem potiùs, quàm calidis illis & inflammantibus medicinis. Forſan etiam tertio vel quarto die, cōſtantibus adhuc viribus non inutiliter, aut minore ſaltem cum periculo, non valdè calidis medicamentis prolici poſſet. Tunc enim humor magis attenuatus, facilius naturæ ceſſerit expellenti. Ioan. Manardus in 5. lib.

ſuarum

ſuarum epiſtolarum, epiſt. 3. ſic facere iubet. Mihi quidem magis hæc ratio arridet, quàm aliorum, licet hîc quoq; non omnia plana videantur eſſe, vt ex ſupra recitatis intelligere vnuſquiſq; poterit. Magis etiam probo, vt mox ab inuaſione, aut ante eam, eiuſcemodi exhibeantur, dum putredo vel in aëre inſpirato ſolùm, vel in ſeroſis tenuioribusq; ſanguinis partibus adhuc inhæret, atque craſſiores nondum occupauit, aut leuiter tantùm comprehendit. Illud affirmare vt verum nihil vereor, ad præſeruandum corpus à peſte, & expellendum aërem noxium, quem quis fortè hauſerit vel apud ægrotos, vel alia occaſione, antequam ſcilicet ſanguinem putrefecerit, febremq́ue excitarit, nihil poſſe ſudorificis iſtis medicinis ex Theriaca, Mithridato, & ſimilibus alijs concinnatis vtilius excogitari, & certius adhiberi. Tunc enim qualitas venenata in aërea & halituoſa adhuc ſubſtantia inhærens, non multo labore per ſudorem vacuatur. Fortè in primo ſtatim febris inſultu, aut paulò ante hunc exhibita, cùm craſſiorem ſanguinis ſubſtantiam nondum altè comprehendit putredo, nonnihil etiam hæc calida proſint. Cùm verò iam inualuit febris, atq; æſtus in præcordijs percipitur, non prodeſſe, ſed potiùs obeſſe cenſeo. Videntur certè talia à tam multis ideò probata vſurpataq; fuiſſe, quod aliquos iuuiſſe obſeruatum ſit. Ac fieri poteſt, vt hi vel paulum anteuerterint febrem, vel vnà cum inuaſione ipſius biberint, & ſic periculum euitarint. Quod quia alij non aduerterunt, malè vti iiſdem non in tempore cœperunt, nempe cùm altiùs iam putredo infixa eſt, ac febris hominem iam detinet.

Parum curo, quod quidam de ſua experientia iactitant, ſcribuntque. Scio enim quàm vana ſint eiuſcemodi. Viri graues & eruditi, qui meritò prædicare de ſe talia poſſent, non plura aſſerunt, quàm ratio dictat vera eſſe. Eſto, vitarint mortem aliqui ex illis, qui ſudorem proliciente medicamento valdè calido ſunt vſi. An hinc ſtatim rectè concludetur, vtilia eſſe & congruentia hæc medicamenta? Non arbitror. Varijs caſibus quoſdā à magnis morbis liberatos legimus. Nullus tamen medicus, ægros ſuæ fidei concreditos ita curare tenetur, vt illi ſanati ſunt, ſi modò non ſit amens. Per accidens innumeri euadunt cùm ex hoc, tùm ex alijs morbis. Si alios eodem modo percurare velimus, homicidæ rectius, quàm medici appellemur. Galenus in opere,

quod de facult. ſimpl. medic. ſcripſit, fuſè docet, quomodo experientia medicaminum vires demonſtret, ac quomodo quod per accidens euenit, diſtinguendum ſit ab eo, quod per ſe fit, indicat. Sicut remedium nullum ſemper iuuat: ita nullum ex æquo ſemper cunctos perdit. Aliqui ſemper, quamuis per accidens id contingat, euadunt.

Non admodum dubito, quin aliqui peſte apprehendantur, qui ſanguinem prorſus aquoſum habent ac tenuem. Sanè cùm ſanguinem mittimus certis hominibus, aliquando eum ita aquoſum cernimus, vt fibræ in eo nullæ appareant, ſed in aqua rubra ſolummodo telæ araneorum ſimile quippiam innatare videatur. Frequenter hoc in aliorum, & ſemel in meo ipſius ſanguine conſpicatus ſum. Accidit hoc ferè poſt diuturnas pluuias: cùmq́ multum bibimus, & pauco ſolido cibo veſcimur, præſertim verò ſi per hyemem fiat, & ea exacta ſanguis mittatur. Potuit ergo ſudorificum pharmacum tali exhibitum aliquando profuiſſe: non quia illo tempore congrueret morbo per ſe, ſed quia accidiſſet illi homini tunc habere ſanguinem aptum, qui in vaporem permutaretur, & per ſudorem vacuaretur. Habent aliqui fortè tam patentes meatus, vt craſſiuſculus quoq́ ſangui per eos penetrare valeat. Sunt quidam à natura ita facti vt ab omnibus ferè morbis eos ſudor liberet. Si ergo in hominem aliquis incidat, qui vel omnia hæc, vel aliqua ex his habeat, ei certè pharmacum tale profuerit, alijs propè omnibus noxium exiſtens. Vnde multò plures ab eo lædi, quàm iuuari omnino eſt neceſſarium, ſi promiſcuè cuilibet offeratur.

Qui hoc pacto ſanitati reſtitutos enumerant, ſimiles mihi illis videntur eſſe, qui anathemata in templis numerant, ac ex numero coniiciunt, cunctos id eſſe conſecutos, quòd à tutelari eius templi numine, ethnicorum more comprecati ſunt. Vt enim omnes iſti, qui anathemata poſuerunt, caſu quodam compotes facti ſint: atque id precibus ſuis impetraſſe credant, non tamen aut rectè hoc factum oſtenditur, aut ideò periculum effugiſſe putandi ſunt, aut ſancti homines, quorum opem implorarunt, ob eam cauſam opem tuliſſe credi debent, vt qui auxilium à ſe petitum fortè ne reſciuerunt quidem. Si quis numerare omnes illos poſſet, qui ſimiliter auxilium ab homine mortuo & ſancto expetiuerunt: neque tamen impetrauerunt, multò plu-

plures hîc quàm ibi, eſſet reperturus. Sic ſi audaces iſti Empirici percenſere nomina eorum, quibus nocuerunt, tam expeditè poſſent ac vellent, quàm paucos quoſdam, quos ſua potius fortuna, quàm horum medicorum (ſi tam honeſto nomine ſunt digni) peritia, ex periculo eripuit, in ore ſemper habent, ac identidem numerant: procul dubio pro reſtituto vno perditos & occiſos decem aut viginti numerare nobis cogerentur. Notum eſt Diagoræ dictum in cauſa ſimili. In peſte facilior eſt excuſatio quàm in alijs morbis compluribus. Nam qui pereunt, ſæuitia morbi interijſſe putantur. Qui aduerſantibus morbo, medico & medicina, vix euaſerunt, à medicis ſeruati ſtultè aliquando creduntur. Quocirca non tam quid aliquando in hoc morbo fiat, quàm quid rationi & rerum naturæ conſentaneum ſit, diligenter conſiderandum exiſtimo.

Inepta magis eſt illorum iactantia, ne dicam fatua, qui certis remedijs ſe omnes, paucißimis omnino exceptis, percuraſſe, aut percurare poſſe dictitant. De peſte laborantibus loquor, quos, ſi medicinis non vtantur talibus, mori ſit neceſſe. Ea eſt peſtiferorum morborum natura, vnde nomen ſortiti ſunt, vt ſemper plures è medio tollant, quàm viuere ſinant, quantumuis aptis remedijs occurratur malo. Plerunque enim naturã vnà cum remedio ſuperant, vt ægrum occumbere omninò oporteat. Equidem nullum eſt remedium, quod mitißimum etiam morbum in omnibus & ſemper extinguat. Quomodo ergo iſti omnes ſe curauiſſe à peſte oppreſſos affirmare impudenter audent? Niſi fortè in paucos quoſdam, eoſq́ per ſeſe conualituros inciderunt, & nihil operæpretium agendo morbum ſe perniciosum expugnaſſe inſcitè credũt. Quantò rectiùs ac veriùs Galenus, qui terram Armeniam ita profuiſſe ſcripſit, vt omnes qui curabiles eſſent, euaſiſſe dicat, non autem omnes, qui eam ſumpſiſſent, perſanatos affirmet. Facilius tolerari poterant, ſi præſeruatos omnes dixiſſent, qui talia vſurpauiſſent, quàm peſte iam prehenſos percuratos fuiſſe.

Obſeruatione dignum hoc quoq́ eſt, quòd non omnes peſtes vnius eiuſdemq́ naturæ ſunt ac moris. Vt cætera hîc prætermittam deq́ue ſubiecto tantùm aliquid dicam, certum eſt ipſumq́ aliquando virus in ſeroſo præcipuè humore inſitum eſſe, aliquando in craßiore ſanguinis ſubſtantia inhærere. Prioris generis eſt ea, quam ſudorem Angli-

Cc

cum plurimi nominant. Argumento eſt, quòd ferè iis ſudor in humidis regionibus humida corpora poſt diuturnam aëris humidam intemperiem vexauiſſe fertur. Legi qui affirmaret, vernaculum eſſe morbum maritimarum quarundam regionum, ad Occidentem ſitarum. Non mihi adhuc legere contigit, qui exactè hunc ſudorem deſcriberet. Nec vidi aut audiui aliquem, qui eo laboraſſet. Multi ſe ex eo laboraſſe aiunt quidem: at cùm de morbi natura, moribus, inuaſione, liberatione, ſymptomatis, à me interrogati fuiſſent, hoc tantùm reſponderunt, niſi octonis, vel ſenis, vel quinis diebus copioſè, propemodum ad animi deliquium vſq; ſudent, peſſimè ſecum agi. Hos non ſit mirum ſudorifico pharmaco peſtis tempore percurari. Videntur enim in talibus venæ omnes plenæ aquoſi ſanguinis eſſe, qui facilè per ſudorem quouis tempore eliciatur. Ratio non diſſimilis eſſe videtur eorum, qui vero illo peſtifero ſudore Anglico corripiuntur.

Explicata hoc modo illa ſimul videatur quæſtio, qua nonnulli quærunt, vtrū præcedere alterum debeat, ſanguinis miſſio, an potius antidotus per ſudorem venenum vacuans. Quòd ſi monſtratum ſit rectè ſudorifica, etiam calida, peſte comprehenſis offerri, ſic fortè agendum fuerit. Quando corruptus ſuccus vniuerſus adhuc intra venas cohibetur, tunc ſanguinem ab initio mitti oportere puto, ſiquidem ſanguinis miſſione ægrotus indigeat: qua tamen indigere videntur, cùm propter aëris intemperiem peſtis nata eſt. Mox quæ cor corroborant, viresq; reficiunt, ac veneno reſiſtere, idemq; expellere poſſunt ex ſententia illorum, qui ſic ſentiunt, offerenda erũt. Etenim parte vitioſi humoris vacuata, facilius natura, ab antidoto adiuta, reliquum diſſipabit. Qui primo loco per ſudorem vacuare ſtudet, nec educere venenum totum poteſt, ac ſanguinem poſtea mittit: is putrida excrementa, quæ ad cutem extruſerat, ad venas retrahit: Certè in magno verſatur æger periculo, ne, quod paulò ante cum labore natura expulerat ex venis, ab iiſdem recipiatur. Deinde ſi venæ multo ſanguine repletæ diſtentæq; ſint, & is medicina calida ſudorem proliciente inſletur amplius, tunc aut non benè continebunt ſanguinem venæ, aut putredo certè augebitur. Quoniam in iſta commotione, & agitatione ſanguinis, ſpiritus & putridi vapores facilius & penitius permiſcebũtur, ſanguinẽq; vndiq; inficient. Taceo quod debilitatæ à ſudore vi-

ves poſtmodum difficilius iuſtam venæ ſectionem admittent. Proinde multitudine præſente, auferenda ea prius eſt, deinde antidotus offerenda, præſertim verò calida. Nam frigida minus afferet periculi, etiam ante detractam multitudinem exhibita. Cæterum nuper dixi, calidas antidotos non videri mihi temerè offerendas, niſi in ipſo mox principio proponantur.

Quòd ſi vel tumor, vel carbunculus apparuiſſet, curationem à venæ ſectione ſimiliter auſpicarer. Minore quippe tunc labore prohibere poſſumus, ne veneñ retrocedat, inq́ venas ſe iterum inſinuet. Verum tamen ſi ab initio natura per ſudorē feliciter vacuare inceperit, quod in præſenti febre per quàm rariſſimè accidere puto: tunc ab initio antidoto ſudorem mouente, ſiue calida ſiue frigida ſit, adiuuandam eſſe arbitror, quo reliquum aptius expellat. Sed tunc, vacuato ſcilicet humore noxio vniuerſo, non magna ſit futura ſanguinis miſſionis neceſſitas. Præſeruationis gratia magis, quàm curationis adhiberetur. Quanquam hîc etiam nonnihil periculi video. Sed hæc extra rem dicta ſunt. Quoniam dubito adhuc an vel omnibus vel pleriſq́ ægrotis ſudorificum medicamentum præſcribi, ſeu imperari vtiliter ac rectè poſſit. Calida quidem perpaucis, & in primo tantùm principio febris exhibenda iudico. Frigida etſi minus obeſſe poſſunt, quocunq́ febris tempore, conſtantibus adhuc viribus, offerantur, ab initio tamen vſui magis fore videntur.

In cæteris antidotis, quæ ad frangendam ac retundendam malignam putredinem, ad corroborandum cor, & ad confirmandas vires adhibentur, facilis eſt nodus. Nihil enim prohibet huiuſmodi quouis tempore exhibere, modò citra nauſeam faſtidiumq́ ſumantur. Si ventriculum perturbatura vomitumq́ motura videantur, paulò longius, vel ante, vel poſt venæ ſectionem offerenda forent. Haud enim obſcurum eſt, quàm multis venæ ſectio ventriculum rectè affectum conturbet. Si abſque faſtidio ſumi poſſint, atque paulò ante apertionem venæ hauſta ſint, non tantùm roborabunt, ſed præterea ne ventriculus à ſanguinis miſſione aliquid pro more perpetiatur, perficient. Non ſufficit autem ſemel hæc remedia obtuliſſe, ſi magnopere iuuari illis ægros velimus, ſed ſæpius, iuſto interpoſito ſpacio, repetenda erunt. Certè ſi primum talibus ſit cor confirmatum, alacrius à ſe poſt ſectam

venam vitioſum ſanguinem alio depellet, vbi alterando eundem minore cum periculo natura ſubiectæ partis tandem ſuperet.

Tota hæc quæſtio, ſicut alij multi errores in peſtilentiæ curatione occurrentes ex hoc fonte manauit, quod aliud venenum eſſe creditum eſt à perniciosa putredine, aut quod venenoſam qualitatem ex ſanguine deleri poſſe cenſuerunt aliqui, remanente nihilominus putredine. Qui norunt iſta re non differre hactenus, vt alterum ſine altero ex corpore exturbari queat, ſine multo ſudore hinc ſe extricauerint, atque ad alias etiam quæſtiones plures expeditè, rectè, ac ſolidè reſponderint. Profectò in alijs febribus, in quibus vnus aliquis humor, non tota ſanguinis maſſa putredinem concepit, nullus temerè putreſcentem humorē, ante ipſius vel coctionē, vel ex venis eiectionē, per ſudorem exigere tentet, nec ſanguinis miſſionem tunc quiſquam ſudorem conſequi debere opinetur. Quomodo ergo hic, vbi vniuerſi humores ſimul (non in omnibus corporis partibus, aut non ſimiliter in omnibus) afficiuntur, de talibus diſputaremus, ſi non perſuaſum haberemus, diſiungi iſta ſeparariq́; poſſe? Sed de his alibi plura diximus.

Vnicum reſtare adhuc videtur, vt quid de Theriacæ, & Mithridati antidoti exhibitione ſentiam (Euphorbij mentionem, & ſimilium aliorum, nullam hîc facio, quoniam à paucis probata fuiſſe peritis video) breuiter commonſtrem. Cùm febris adeſt notabilis, rarò exhibenda huius generis calida medicamenta cenſeo. Ratio eſt, quia febris hæc, vt tangentibus mitis & lenis appareat, interiora plerumque valdè vrget vritq́;. Deinde, quòd in hac peſte noſtra obſeruatum eſt, multos poſt horum ſumptionem de caliditate & inflammatione præcordiorum & pectoris conqueſtos fuiſſe. Poſtremò, quòd præſtantiſſimos medicos non vti animaduerto. Germani noſtri propemodum ſoli aliquid hîc audent, propter regionis frigiditatem, vt ſuſpicor. An aliarum nationum ad ſeptentrionem medici eadem vſurpent, neſcio. Arbitror tamen, quia in ſudore Anglico profuiſſe talia compererunt quidam, ipſos mox in alia quauis peſte vtilia exiſtimauiſſe. At ita res non habet, vt ſupra indicaui. Præſens namq; peſtis in craſſa parte, non in tenui & aquoſa ſanguinis ſubſtantia inhæret.

Huc pertinet, quod ex veteribus neminē talibus vſum fuiſſe legimus, præter authores lib. de Theriaca ad Piſonē & Phamphilianū.

Quamuis enim Paulus Ægineta & Aëtius Theriacam ex Galeno in profliganda peſte vtilem eſſe ſcribant (putarunt hos duos libros à Galeno fuiſſe conſcriptos) neuter tamen in curatione adhibuiſſe deprehenditur. Nam Paulus poſt traditam deſcriptamq́; curationem, tantummodo addit, Galenum ipſam commendaſſe, ſcilicet in prædictis libris. Aëtius verò in loco ſupra citato, vbi febris peſtilentis curationem docet, Theriacæ, & ſimilium medicaminum calidorum mentionem non facit, ſed in 1. Serm. 4. Tetrab. cap. 96. tale quid ex Galeno refert.

Sanè non eadem eſt ratio veneni hauſti & peſtis. Nam ibi ſi educatur venenum, plerunq; conualuit æger. Quod vt non ſit in omni veneno verum, in plurimis tamen verum eſt, illis præſertim, quæ ab occulta virtute homines necant. Hîc putredinem tollere oportet, nec, qui ægrotat, ſtatim conualuit, aëre, qui eam intulit, vel exacto, vel conſumto, vel permutato. Non ſatis etiam perſpicio, an probè ratiocinentur, qui certa quædam medicamenta peſtilenti febri vtilia concludunt, propterea quod venenis alijs aduerſentur. Non enim quæ vni veneno reſiſtunt, omnibus reſiſtunt, vt omnes norunt, niſi fortè generali qualitate, vt exiccando, exempli gratia, reſiſtant. Venenum, quod ab aëre humoribus infertur, tunc ferè venenum fit, cum per putredinem tale factum eſt. Rarò aër actu venenatus ita eſt, vt inſtar virulentarum beſtiarum occidere ſua venenoſitate homines poſſit. Similiter enim omnes occideret, quemadmodum hæc facere ſcimus.

Ergo cum non omnes interficiat aër in peſte, ſed illos tantùm, qui vel humores, vel ſpiritus, vel cordis ſubſtantiam aptam habent ad putreſcendum, non niſi per putredinem plerumque mortem affert. Equidem multi cum infectis cohabitant, ſpiritum eundem inquinatum, aut certè eundem aërem per inſpiratione, quem alij, qui in eodem loco verſantur, attrahunt, & ſæpè largius ac longiore tempore citra offenſionem attrahunt, alijs per eundem illum hauſtum periclitantibus. Cur non illi ſimiliter pereunt? Quia nihil potuit hauſtus ab ipſis aër putrefacere in corporibus illorum. Quoniam ergo per putrefactionem nocet, hæc tollenda erit. Quod ſi calidis medicamentis exaſperatur potius, quàm leniatur: acuitur magis, quàm hebetetur: augetur citius quàm extinguatur: haud erit vſus eorum vtilis & ſalutaris. Non

Cc 3

enim ſatis eſt aërem malignæ putredinis effectorem ſuſtuliſſe, quod in alijs fortè necantibus venenis præcipuum eſt, ſed ipſam quoq; putredinem, ſiue effectum auferre oportet, ſiquidem tutus eſſe æger debeat. Ipſamet putredo venenata eſt, etiamſi aliud nullum inſit virus. Nec tolli ergo venenum poterit, manente putredine, multò minus au-cta eadem auferetur. Illa ergo remedia præcipuè peſti aduerſantur, quæ venenis reſiſtunt, ſimulq́ue refrigerant & ſiccant, hoc eſt, putredinem extinguunt arcentq́, ne videlicet vno modo iuuent, altero autem lædant.

Ad Galenum quod attinet, ſic ſentio, nunquam ipſum tàm càlida medicamenta febrientibus in peſte exhibuiſſe, aut exhibenda cenſuiſſe. Etenim ne Armeniam quidē terram, nullius caloris participē, in vino tenui non diluto offerre auſus fuit, quamuis vinum hîc maximè tùm vtile, tùm neceſſarium eſſe cognoſceret. Sic enim faciliùs & ocius terra arida & craſſa diſtribuitur, atque ad cor vſque pertranſit. Poſteriores Medici eum aceto & aqua roſacea, quæ mirificè cor recreat, ob eaſdem cauſas, puto, miſcuerunt. Nihil certè dubito, quin aut ſecum ipſe Galenus toto, quod aiunt, cælo pugnet, aut non ſint ab eo conſcripti illi libri. Non enim excidiſſe ipſi puto, quæ in vtroque ſcripta ſunt. Neq; perſuadere mihi poſſum, ipſum poſt tot labores, & tot opera à ſe conſcripta, hoc ipſum ſerò tandem, ſcilicet in extrema ætate ſua, addidiciſſe.

Ridiculum eſt cogitare, eum virum, qui in tàm graui & diuturna peſtilentia tanto iudicio & ſtudio cuncta ſolertiſſimè explorauerat, hæc tandem ita nude ſcripſiſſe. Tàm ſæpè peſtis illius longæ meminit, ac ſymptomata curationesq; ægrorum recenſet, Theriacam aut inutiliter, aut vtiliter exhibitam nuſquam dicit. In 9. Simpl. ſcribit, ſolam Armeniam terram quibuſdam profuiſſe. Haud puto Galenum in alia peſte, quam in longa illa, de qua in tàm multis locis mentionem fecit, Romæ fuiſſe. Quid quod ad Pamphilianum ſcribitur, authore Æliano Meccio Theriacam Romanos vſurpare primum in peſte Romæ ſæuiente incœpiſſe? Vt ſemel dicam: Galeni non puto eos libros eſſe legitimum partum. Vt ita ſentirem primum effecit Epiſtola de hac re Iulij Alexandrini, quæ inter Andreæ Mattioli Epiſtolas extat (quam te legiſſe non dubito) deinde vero etiam alia. In

quorum cenſu & illud fortaſſe ponatur, quod author ad Piſonem cap. 15. ſuccum abſinthij ait atram bilem contemperare, & quaſi edulcorare. Vt enim hîc fingere interpretationem, qua vtcunque excuſetur ac leniatur ſententia, non videatur difficilè; non tamen id Galenus quoq; mox ſenſerit. Equidem in legitimis operibus eius nihil ſimile vidiſſe me recordor, vt interim taceam, eum pro more Galeni minimè indicare, quo tempore morbi Theriaca fuerit vſus in illa quartanariorum curatione.

Haud me mouet multum, quod Paulus, Aëtius, Auicenna, Galeni eſſe putarunt, & ex his tanquam legitimis Galeni operibus, teſtimonia citarunt. Oribaſius, qui hos omnes longo tempore anteceſſit, ac ſub Iuliano claruit, nullam, quantùm ipſe memini, mentionem eorum facit, quod certè efficit, vt credam, vel ſuſpicer ſaltem, ipſum non vidiſſe eos, aut non pro Galeni operibus agnouiſſe. Profectò ſi tantam Theriacæ laudem efficaciam ſciuiſſet à Galeno adſcriptam fuiſſe, vix præteriturus fuerat, cum de peſtis curatione diſſereret.. Si ſciuit, nec vti voluit, non probauit. Cum enim de curatione peſtis eadem ex Rufo in Synopſin ſuam tranſcripſerit, quæ poſt eum Paulus & Aëtius inde in ſuos libros tranſtulêrunt, vix ſilentio Galenum prætериuiſſet, ſiquidem eos vidiſſet, aut pro legitimis Galeni libris agnouiſſet. Non parum probabile eſt, poſt Iuliani demum tempora conſcriptos ambos fuiſſe. Hoc certum eſt, non congruere hanc ſententiã cum ea, quæ in cæteris Galeni ſcriptis extat. Proinde nec Paulo, nec Aëtio, nec Oribaſio, vt iam monuimus, nec Auicennæ perſuadere potuit, quiſquis tandem author eſſe putetur, vt Theriaca in harum febrium curatione vterentur. Tametſi enim Auicenna in lib. de vitandis incõmodis in regimine ſiue rectione ſanitatis euenientibus, exhibitionẽ ipſius approbare videatur: in Canone tamen ſuo, vbi ex profeſſo, & cum ratione tractat omnia, longè aliter ſentit, vti ex ſupra dictis perſpici poteſt..

Actuarius antidotum Hippocrati attributam deſcribit, eaq; ipſum in peſte Athenis graſſante vſum narrat, & corona ob eam rem ab Athenienſibus donatum ait; quæ ipſa quoq; admodũ calida exiſtit. Quod ſi in præſeruatione vſus putetur, non valde miror. Si, quod ſentio, dicendum mihi eſt, fabulã eſſe arbitror, quod de ea ſcribit, ſcili-

cet Hippocratem eſſe authorem, & in peſte Athenis ſæuiente curanda hac vſum fuiſſe. Mirum nanq; foret, ſi præter Actuarium, ſcriptorem recentem, nullus Græcorum aut Arabũ de prædicta antidoto aliquid reſciuiſſet. Qui compoſuit, Hippocratis nomen ei præfixiſſe videtur, quò commendabiliorem redderet. Idem in libris factitatum olim fuiſſe Galenus monet. Quid igitur miri ſit, ſi Galeno ſupra dicti libri, vt alij permulti, falsò adſcripti iam olim fuerint.

Recentiores medici, Auicennam ſecuti Theriacam nunquam, vel ſaltem in quantitate exigua, non ad mouendum ſudorem, vt hodie faciunt multi, ſed ad hebetandam & extinguendam malignam putredinem, poſt venæ ſectionem, admiſtis frigidis & exiccantibus ſuccis, aliquando imperarunt. Quin ipſe author libri ad Pamphilianum, non exhibet, vt malam ſanguinis qualitatem per ſudorem huius vi vacuet, ſed vt eam ex inimica amicam efficiat. Verba ipſius hæc ſunt: Χρηστὸν γὰρ ἀποφαίνει τὸ αἷμα αὐτοῖς, οὐ τὴν φθειρομένην ἐν αὐτῷ φαυλότητα ἀποκρίνουσα, ἀλλ' ἐξοικειοῦσα τὴν ἀτοπίαν, καὶ κρατοῦσα τῆς παρὰ φύσιν ποιότητος.

Quamdiu in Italia ipſe fui, à nullo, præterquam à D. Luca Ghyno præceptore meo, viro optimo, erudito & exercitato commendari calefacientia iſta animaduerti. Is mihi, quamuis ſe nunquam vſum diceret, medicamen ex Theriaca & Mithridatico compoſitum mirificè prædicabat, ex narratione celebris viri, qui in peſte quadam Neapolitana omnes periculo exemiſſet, qui ante 24. horam ebibiſſent. Fuerat autem is, qui tàm multis dediſſe ferebatur, non medicus, ſed mercator. Quod ideo addere placuit, vt minus mireris, ſi eo fuerit auſus vti homo artis medicæ imperitus. Multos an paucos eo ſanauerit, neſcio. Qui ei dederat, quiq; vſurparat, idem laudauit etiam, cum fortè laudatorem alium non reperiret.

Verum enimuero, dicat aliquis, eſto, non ſcripſerit iam ſæpè nominatos libros Galenus: à docto nihilominus viro, vel duobus, ſi placet, conſcripti ſunt, quorum authoritas non eſt aſpernanda. Quod ſi ergo tanto cum fructu iſti theriacã exhiberi viderint, non prorſus abſurdum cenſeri debere, ſi & nos ea rectè, & cum ſucceſſu vſuros quiſpiam affirmet, credat, ſperet. Profectò hæc ratio, & præterea Pauli, Aëtij, Auicennæ, ac recentiorum quorundam medicorum authoritas

& exem-

& exemplum, me quoq; permouerunt, cum minus diligenter cauſam examinarem, vt putarim non inutiliter exhiberi, præſertim quoties natura per ſudorem tentaret ſe alleuiare. Principio prodeſſe ſcribebatur mihi (Mosbachium, vt dixi, ſeceſſeram, vt præſens obſeruare non poſſem) quod facilè tunc credidi. At reuerſus cum diligentius omnia inueſtigarē, rem non ita, vt ſperaueram, inueni, tametſi recens eſſet noſtra theriaca, & vix annum exceſſiſſet, qualis frigidior eſſe à multis creditur. Quo factum eſt, vt accuratius ſingula deinde perpenderim, & nonnihil dubitare incœperim. Neq; me nuper dicta ratio nunc ita ſicut prius mouet. Et cur non moueat, ſupra ſatis expoſitum eſt. Author ad Pamphilianum audita recenſet. Is ad Piſonem comperta ſibi narrare ſe ſcribit. Ego non quid vnuſquiſq; affirmet, cum non conſentit ratio, ſed quid verum ſit, ex ipſa re propoſita inueſtigandum eſſe, tùm hîc, tùm alibi iudico.

In præſeruatione valde vtilem eſſe vtranq; antidotum, certum eſt. Hîc enim cum experientia conſentit ratio, & accedit ſummus præſtantiſſimorum medicorum omnium conſenſus, ne quicquam vſum eorum impedit, ſicut cum præſens eſt febris. Theriacam tutum reddere ab aëris noxa, ipſe quoque Andromachus dixit. Galenus in 1. ca. vtriuſque libri de antidotis, theriacam in vna tantùm re, in morſu ſcilicet viperarum, Mithridato præfert, in cæteris omnibus hanc illi non cedere, imò præſtantiorem in pleriſq; venenis alijs eſſe affirmat. Autor libri ad Piſonem inſtar ignis purgatorij cuiuſdam ſcribit theriacam corporum noſtrorum vitia expurgare, putredinem futuram arcere, præſentem amouere, videlicet exiccando & abſumendo redundantes humores, attenuando craſſos, calefaciendo frigidos, concoquendo crudos, & diſſipando malos & noxios. Quæ cum perficiat caliditate in ſanis non conſpicua & moleſta, aut certè non noxia, meritò commendatur hîc vſus ipſius, ſi iuxta medicorum præcepta ſumatur. An autem febre correptis ad ciendū ſudores exhibendam, vel alterutram, vel vtranq; antidotum arbitreris, valdè ex te ſcire deſidero.

Scripſi de iſtis capitibus tàm verboſè, non vt te docerem, cui omnia notiſſima multò ante fuiſſe certo ſcio, ſed vt meipſum exercerem, & ſi interrogarer, haberem quod reſponderem. Cogitaui namq; ſæpè de hiſce, at ſcribendi occaſionem tu iam dediſti. Scripſi ergo vt mihi-

met commentarium ſeruarem. Et hæc prima cauſa eſt.

Altera eſt, quod vehementer cupio tuam atq; aliorum doctorum de omnibus ſigillatim ſententiam cognoſcere, quo vel ſic tandem inueniam, in quo animus tuto acquieſcere poſſit. Non me vnquam puduit, & ne nunc quidem pudet, etiam publicè, quotieſcunq; res poſtulat, errorem agnitum confiteri. At pudet in eodem perſiſtere, nec meliora docentibus aſſentiri. Quapropter liberè ſententiam te, vbi à veritate deflectere eam videris, reprehendere iubeo, in ſingulis etiam particulis. Etenim ſi in vllo morbo periculum affert error, in hoc affert, vt pote per ſe periculoſiſſimo. Quocirca minus hîc etiam quam alibi, vbi leue peccatum ſine pernicie aut incommodo ægri committitur, errare velim. Cupio ob eam rem ex te, & alijs doctis veritatem cognoſcere, vbi ea me adhuc latet. Spero etiam diligentiam eruditorum in hac re explicanda minimè infructuoſam cenſeri poſſe, in noſtra præſertim Germania, vbi Empiricorum more plurimi, methodo perpauci morbos curare ſtudent. Ipſa certè rerum, de quibus agitur, natura atq; ratio vberiorem & longiorem explicationem deſiderare mihi viſa eſt. In Chriſto feliciſſ. vale. Heidelbergæ 17. Septemb. Anno 1564.

Epiſtola XXVI.

AD D. IOAN. GVILHELM. STVCKIVM.

Etſi nihil iam habeo, vir doctiſſ. quod ad te præcipuè ſcribam, non potui tamen non hoc ipſum ad te, ne nihil ſcilicet nobis occurreret. Edidit Perna librum de Legat. Imperat. ad Armenios: quem ego nullo vnquam tempore, puto, prodire potuiſſe in tempore adeò oportuno. Huic conſenſus additur orthodoxus: qui duo libri facilè frangent aut debilitabunt ſaltem Aduerſariorum veritatis conſilia. Noui ex Belgio nihil certi habemus. Quid futurum ſit in tanta omnium rerum confuſione nouit ſolus Deus. Idem ille Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum Patre & Spiritu Sancto regnat in ſempiternum, nos ab omni malo tueri dignetur. Amen. Dat. 12. Kal. Octob. Anno 1578.

Epiſtola

Epiſtola XXVII.

De Reuulſione.

AD D. THADDAEVM DVNVM.

ACcepi nuper exoptatiß. et humanitatis plenas literas tuas, D. Thaddæe doctiß. & humaniß. Nihil dum ad eas reſpondi cùm ob alias cauſas, tùm quod tabellarij poteſtas nulla data fuiſſet. Sed & magno deſiderio accenſus partem primam eius operis perficiendi, quod de Noua Parac. Medicina inſtitui, hortantibus ad id viris clariß. Germaniæ Medicis compluribus, non valde ſolicite inueſtigaui per quos literas mitterem. Superiore autumno ſcripſeram de Reuulſione theſes, quæ pro more Scholæ noſtræ publicè examinarentur. Cum autem eo tempore forte fortuna, nobis ſcilicet non expectantibus, quinque iuuenes peterent Doctor. titulum, putauit Decanus ordinariam diſputationem reijci in hoc vſque tempus poſſe, cum quinquies tempore tàm breui extra ordinem diſputandum foret. Nunc cum diſputandum fuit, & in ſcriptione ego totus eſſem eius operis, de quo ſupra mentionem feci, theſes eas proponi ſiui, ne nouæ fabricandæ eſſent. Poſtquam editæ iam fuerant, coactus tua curſim perlegi: quæ ſi legiſſem prius, meis nonnulla adie iſſem, aliqua ſubtraxiſſem, quædam etiam mutauiſſem. Videbis ex eis, quid de hac re ſentiam: de qua diu multumq́ cogitaui. In perfunctoria illa tuorum lectione nihil certè obſeruatum mihi eſt, quod ſcrupum mihi mouere debuerit: ocium nactus diligentius perpendam. Amo mirificè libertatem, iudicium probo, laudo ſtudium iuuandi. Debemus enim noſtra omnia huc dirigere, vt proſimus plurimis, noceamus nemini. Nec ægrè, puto, feres, ſi non idem prorſus tecum in omnibus ſentio, cum æquiſſimo ſemper animo tulerim, ſi à me diſſentirent alij. Et ſanè vix puto vſuuenire poſſe, vt duo idem de partibus & particulis tàm latè patentis artis omnibus ſentiant. Ego ſanè ſic ſentiens, nullamque rationem videns, cur mutare ſententiam debeam, non videor reprehendendus hoc nomine. Illos enim ſolos vituperare ſoleo, qui ex obſtinatione & pertinacia ſententiam, quam veram non eſſe intelligunt, pergunt tueri. Si tuas ego hypotheſes omnes poſ-

ſem, vt certas & indubitatas admittere, de cæteris nihil dubitarem. In præſentia tantum licuit per negotia reſpondere: quod maluiſſem tunc facere, cum exactius ſingula æſtimauiſſem. Ne viderer autem nolle reſcribere, hæc iam indicare tuæ humanitati paucis debui. Exemplum mitto theſium, parum certè commodè excuſarum. Si quid præterea eſt, quod à me præſtari tibi poſſit, habebis me ſemper paratiſſimum Fuchſij defenſionem niſi filius ſuſcipiat, neminem alium ſuſcepturũ puto. Sanè diſcipulus eius & ſucceſſor, Io. Fiſcherus, vir apprimè doctus & pius non conſentit ei, vt ex diſputatis ab eo theſibus quibuſdam coniicio. Dominus Ieſus te Reip. incolumem ſeruet. Amen. Die 9. April. 71.

Quod in 19. theſi dicitur de Stephano Athenienſe non ſic accipiendum eſt, quaſi omnia, quæ ibi dicit probemus, ſed ea ſolùm quæ de corporis diuiſione et meatibus ſecundum rectum adfert: quæ in viuentibus omnibus, etiam plantis, locum habere cernimus.

INDEX

INDEX ARGVMENTORVM

SINGVLARVM EPISTOLARVM.

I. Vtrum artis medicæ aliqua ſit neceſsitas:quandoquidem ſuæ cuique vitæ terminus ita præfinitus,vt vlla arte ea, neq; prolongari, neq; ante tempus abrumpi poſsit. 1

II. Quomodo per eaſdem vias humores diuerſi,ad diuerſas partes non modò temporibus diuerſis,ſed iiſdem etiam moueri poſsint. Et quòd non neceſſariò,trahentibus alijs partibus,alias verò per eaſdem vias expellentibus humores,ij confundantur. 2.b

III. Metalla & his cognata,Myſy, Sory,Hydrargyrũ, Stimmi,&c. intra corpus non eſſe admittenda,quouis licet modo ſint,& maximè ignis præparata:eademq; nullo pacto corpus alere. 4

IIII. De gemmarũ & Chalcanthi facultatibus.2. Metallorũ tranſmutationem impoſsibilem.3.Purgatricem medicamentorum facultatem ad materiæ qualitates,non ad formam pertinere.4. De morbis totius ſubſtantię.5.Quomodo inter ſanitatem & morbum ſtatuatur mediũ:& quæ ἄμετρα & ἔμμετρα. 6.b

V. Diſputatur vlterius de iiſdem,de quibus in pręcedenti. 11.b

VI. De iiſdem quæſtionibus, de quibus in prioribus, differit. 14.

VII. Qui nam morbi cõmunes ſint & dicantur.2.An peſtis in priuatam & publicam aptè diuidatur.An ſeminaria peſtis neceſſariò eiuſdem generis animante oriantur 4.Vtrum ex febre peſtilente, peſtis latè fuſa generetur,ſi contagioſa putredo infectorum in aërem diſſeminetur. 17

IIX. De putredine:& quòd calor innatus in definitione putredinis Ariſtotelicæ,idem ſignificet,quod in Galeni definitione tota ſubſtantia.2.An eadem putredo ſit,quæ ex occultis qualitatibus, & tota ſubſtantia oritur,cùm illa,quę à manifeſtis qualitatibus.3. Totam ſubſtantiam aliud eſſe à forma.

IX. Et alimenta & medicamenta occulta virtute vni parti conferentia aut nocentia,etiam alijs omnibus partibus vel nocere vel prodeſſe pro diuerſitate ſingularum, magis minúsue.2.Non tolli methodum componendi pharmaca purgantia , ſi omnia irritando, non certum duntaxat humorem trahendo,vacuare ſtatuantur. 22

X. Vtrum ex febribus putridis,aliquæ contagioſæ. 2.Vtrum vires propriæ ac facultates rerum , ſic imprimi alienis ſubiectis poſſint,vt re,cuius ſunt proprietates,ammota , tamen eis inhæreant. Pro affirmatione huius ad 4.obiectiones reſpondit. 3. Falſè attri-

bus verbis virtutem profligandi & infligendi morbos, & de ſuperſtitioſa gladiorum illinitione, quibus vulnera inflicta ſanari creduntur. 24
XI. Dubitationes aliquot continet, & earundem ſolutiones circa morbos totius ſubſtantiæ, 29.b
XII. Vtrum dum pauci adhuc, vti inter initia fit, peſte inficiuntur, Peſtis tum reuera dici poſsit. 2. De conuulſione & Epilepſia. 32.b
XIII. Vtrum muſculi contractio propter ſcirrhum aut phlegmonem obortam, à voluntate, an à morbo ſolo dependeat. 36
XIV. An temperamentum ſit vna ex quatuor primis qualitatibus. an omnes quatuor ſimul, an harum mixtio & vnio, an proportio, an concentus & ſymmetria, an aliud quippiam tale. 38.b
XV. De morbi vera definitione: quodq; ea cum ſuo definito rectè conuerti poſsit, quum omnis actio læſa, neceſſariò ſequatur affectum præter naturam, qui morbus nominatur. 2. De actionibus corporis ſanis & vitioſis, earumque cauſis multa ingenioſè diſputantur. 43
XVI. De calore inſito, qui triplex apud Medicos ſtatuitur. 49.b
XVII. Morbos quoſdam ſua eſſentia, contagioſos eſſe. 2. Tria tantùm morborum genera eſſe, nec his poſſe addi morbos totius ſubſtantiæ. 3. Vtrum ſpiritus putreſcere poſsint. 50
XIIX Continet defenſionem ſuarum Theſium de contagio & contagioſis morbis. 2. Spiritus vtrum putreſcere nati ſint. 54.b
XIX. Eiuſdem, cum præcedenti, argumenti epiſtola eſt, & præterea, An omne peſtilens morbi genus, putridum ſit. 59.b
XX. Vtrum rectius Medici de morbis ita differant, vt Logici ſolent, in abſtracto eos conſiderantes, an vt Phyſici ſolent, qui non ſine ſubiecto & cauſis, eos contemplantur. Reſpiciunt verò ferè omnia ad ea, quæ in ſuperioribus ſunt tractata, vti etiam quæ de ſpirituum putredine in fine dicuntur. 65
XXI. Quòd nullus morbus, quatenus morbus, cõtagioſus dici poſſit. 2. Vtrum actio aliqua lædatur, inſtrumento non læſo. 3 Galenici loci cap. 1. lib. 3. de ſympt. cauſ. explicatio. 4. De putredine. 70
XXII. De contagio & vera eius definitione: quomodo item contagium fiat, & qui morbi contagioſi eſſe dicantur. 73
XXIII. Vtrum in Methodica doctrina ſtatui poſsit morbus totius ſubſtantiæ. 2. De putredine, quid, quotuplex, & quid inter ſe differant. 3. De calore natiuo, & quibus modis ille extingui poſsit. 4. Morbum peſtilentem, longè ab intemperie ſimplici diſtare. 5. De ſpirituum

ſpirituum putredine. 6. Cur venena & morbida in peſte expiratio, ſubitò extinguant. 7. Ad operationes, non ſufficere partibus animalium proprium ſiue calorem ſiue temperamentum, ſed egere inſuper influente à corde, à quo de potentia in actum quodammodo perducatur. 8. Nullo modo poſſe probari, contagium peſtiferum tùm demùm eſſe receptum, quando efficientia ſua ſe manifeſtum fecit. 9. Num actio aliqua lædi poſſit, inſtrumento eius non læſo. 10. Inſitum calorem ex iiſdem principijs naſci, ex quibus corpus noſtrum conflatum eſt. 11. Actionem ſingularem nullam edi poſſe, quæ non aut conuenienter naturæ aut inconuenienter edatur. 12. Leporem marinum & cantharides, quòd hæ ſolos renes & veſicam: ille ſolos pulmones exulceret, alijs partibus illæſis. 77

XXIV. Peſtem, qualis plerunq; aëris vitio accidere conſueuit, non tam forma, quàm maligna putredine occidere. 88.b

XXV. De Phlebetomia in peſte: vtrum ſemper, an nunquam: omnibus, an aliquibus conueniat: & ſi quibus, quantum, & quo tempore. 2. Quibus maculæ, aut peſtichiæ apparent, aut qui febri peſtilenti laborant ſine febre, ſanguinem non mittendum. 3. De ſudoris prouocatione in peſte: quo tempore expediat: & vtrum ſanguis prius mittendus, an exhibenda antidotus ſudorem mouens. 4. Contra eos, qui iactant ſua certa remedia, quibus maximè profuerint 5. Antidota contra malignam putredinem, quo tempore exhibenda. 6. Theriacam & alia ſimilia calida non danda, vbi febris adeſt notabilis. 7. Theriacæ laus in præſeruatione. 8. Libros de Theriaca ad Piſonem & Pamphilianum, non videri Galeni eſſe. 90

XXVII. De Reuulſione. 106

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE